


44.133



Res 44133 (3)

MORALIS CHRISTIANA EX SCRIPTURA SACRA, Traditione, Conciliis, Patribus, & insignioribus Theologis

EXCERPTA.

In quâ positis & statutis principiis generalibus de-
ducuntur Consectaria;

Quibus casus conscientiae sigillatim explicantur.

Autore R. P. JACOBO BESOMBES, Doctore
Theologo, Congregationis Doctrinæ Christianæ,
& in Provincia Tolosana ejusdem Congrega-
tionis præposito Provinciali.

*Luis hæc legit, ubi pariter certus est, pergit tecum; ubi pari-
ter hæsit, querat tecum; ubi errorem suum cognoscit,
redat ad me; ubi meum, revocet me, et ita indulgiamur si-
mul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est:
Quærite faciem ejus semper. Aug. lib. de Trinit. cap. 3.*



Apud G. ROBERT, Liberalium Artium Magistrum &
Typographum, in vico Sanctæ Ursulae.

M. DCCIX.

Cum Approbatione & Privilegio.

СИДОРОВ
СИДАРТ
СИДОР
СИДОРЧИК
СИДОРЧУК
СИДОРЧУКІ
СИДОРЧУКІВ
СИДОРЧУКІВСЬКІ
СИДОРЧУКІВСЬКІЙ

СИДОРЧУКІВСЬКА

СИДОРЧУКІВСЬКАЯ

СИДОРЧУКІВСЬКАЯ

СИДОРЧУКІВСЬКАЯ

СИДОРЧУКІВСЬКАЯ

СИДОРЧУКІВСЬКАЯ

СИДОРЧУКІВСЬКАЯ

॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥ ॥

ORDO.

Eorum, quæ hoc tertio volume continentur.

De novem posterioribus Decalogi preceptis.

PRæmium totius voluminis, ejusque
divisio. pag. i

TRACTATS I. De secundo Decalogi precepto.

Quid præcipiat, & quid vetet 2. præceptum.

Caput I. De Blasphemia.

Quid sit blasphemia, & quotplex. *ibidem.*

Quam grave sit peccatum blasphemiarum. 4

Consecaria hujus Doctrinæ. 6

Caput II. De Juramento.

Natura juramenti, ejusque variæ notiones. 11

An juramentum vestitum circumstantiis requisitis, sit licitum, vel illicitum. 12

Consecaria hujus Doctrinæ. 14

Conditiones ex parte jurantis, ut juramentum sit licitum. 15

Consecaria hujus Doctrinæ. 16

Conditiones ex parte rei, per quam jura-
tur. 18

ORDO.

Consectaria hujus Doctrinæ.	19
Conditiones ex parte rei, ob quam juratur.	22
Consectaria hujus Doctrinæ.	ibidem.
Quale peccatum sit juramentum contra veritatem.	25
Consectaria hujus Doctrinæ.	26
An juramentum factum cum aequivocatione vel restrictione mentali sit licitum.	28
Consectaria hujus Doctrinæ.	32
An jurare pro re levi quamvis vera sit peccatum.	35
Consectaria hujus Doctrinæ.	36
Quale peccatum sit jurare pro re illicita.	37
Consectaria hujus Doctrinæ.	38
Conditiones ex parte jurantis, ut licitum sit juramentum.	40
Consectaria hujus Doctrinæ.	41
De juramento promissorio.	43
Obligatio juramenti promissori.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	44
Conditiones juramenti promissorii.	45
Consectaria hujus Doctrinæ	47
De modo, secundum quem obligat juramentum promissorium.	48
Consectaria hujus Doctrinæ.	49
Quomodo tollatur obligatio juramenti promissorii.	53
Consectaria hujus Doctrinæ.	55
CAPUT III. De imprecatione.	
Quid & quotplex sit imprecatio.	ibid.
An imprecatio sit peccatum, & quale.	56
Consectaria hujus Doctrinæ.	57
CAPUT IV. De Adjuratione.	
Natura & conditiones adjurationis.	59
Consectaria hujus Doctrinæ,	ibid.

ORDO.

TRACTATUS De 3. Præcepto.	
Finis tertii præcepti, quid jubeat, & quid vetet.	61
CAPUT I. Ubi præmittuntur quædam scitu necessaria ad clariorem hujus præcepti ex plicationem.	
An præceptum de sanctificatione Festorum sit naturale, vel positivum.	ibid
Consectaria hujus Doctrinæ	62
De varia determinatione legis naturalis cir ca observantiam festorum.	64
De gravitate peccati in violatione fest orum.	68
Consectaria hujus Doctrinæ.	67
CAPUT II. De variis operibus, quibus sanc tificatio festorum, vel violatur, vel promo vetur.	
De variis operibus hominis.	69
De his, quæ jure naturali prohibentur diebus festis.	70
Consectaria hujus Doctrinæ.	72
De his, quæ jure positivo prohibentur die bus festis.	75
Consectaria hujus Doctrinæ.	79
De causis excusantibus à peccato eos, qui vacant servilibus diebus festis.	88
Consectaria hujus Doctrinæ.	90
De his, quæ præcipiuntur diebus festis vi juris naturalis.	96
Consectaria hujus Doctrinæ.	98
De operibus servilibus jure naturali impe ratis die festivo.	100
Consectaria hujus Doctrinæ.	101
De his, quæ permittuntur diebus festiis.	ibid
Consectaria hujus Doctrinæ.	

ORDO.

TRACTATUS III. De 4 Decalogi præceptio.	
CAPUT I Quis suis & quæ merces hujus præcepti.	104
De fine quarti præcepti.	105
Quosnam respiciat quartum præceptum? ibid.	
Consecratio hujus Doctrinæ.	106
Quæ merces observantibus, & quæ poena in- fractoribus reservetur.	109
CAPUT II. De mutuis filiorum & parentium carnalium officiis.	111
Quid debeant filii parentibus suis carnali- bus.	ibidem.
Amor specialis & internus debetur paren- tibus.	113
Reverentia specialis interna & externa de- betur parentibus.	115
Obedientia specialis interna & externa de- betur parentibus.	116
Filiī debent parentibus subsiduum speciale, tum in corpore, tum in anima.	119
Quid parentes filiis debeant quoad cor- pus.	122
Parentes debent filiis victum.	123
Parentes debent filiis vestitum.	125
Parentes debent filiis congruam heredita- tem.	126
Quid parentes filiis debeant quoad ani- mam.	127
Parentes debent filiis doctrinam.	129
Parentes debent filiis correctionem.	132
Parentes debent filiis bonum exemplum.	134
Parentes debent filiis Episcopalem sollicitu- dinem.	137
Quinam munus parentum verè Christiano- rum impleant.	140

CAPUT III.

ORDO.

CAPUT III. De Curatoribus & Tutoribus erga pupillos & minores, & vice versa.	141
De his, quæ sibi mutuo debent Tutores & pupilli.	ibid
CAPUT IV. De servis erga Dominos & de Dominis erga servos.	142
Quid famuli debeant Heris suis.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	143
Quid debeant heri servis suis.	148
Consectaria hujus Doctrinæ.	149
CAPUT V. De mutuis conjugatorum officiis.	151
De officio uxoris erga virum.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	152
De officiis mariti erga uxorem.	154
Consectaria hujus Doctrinæ.	156
De subsidio, quod sibi mutuo debent conjugati, ut societatem conjugalem soveant.	158
Consectaria hujus Doctrinæ.	159
De subsidio, quod sibi debent conjugati in ordine ad salutem æternam.	161
Consectaria hujus Doctrinæ.	ibid.
CAPUT VI. De mutuo pastorum oviumque officio.	163
De officio ovium erga pastores:	ibid
Consectaria hujus Doctrinæ.	165
De officio pastorum erga oves suas.	167
Consectaria hujus Doctrinæ.	169
CAPUT VII. Quæ sit mutua obligatio Pædagogorum & discipulorum.	171
De officio discipulorum erga Pædagogos.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	172
De officio Pædagogorum erga discipulos.	174
De his, quæ in formandis puerorum moribus	

Tom. III.

C

ORDO.

in servire possunt.	175
De his , quæ necessaria sunt Pædagogis , ut pueros scientiam edoceant.	180
Monitum utile Pædagogis.	191
Quæ Monita dare possunt Pædagogi paren- tibus.	194
C A P U T VIII. De mutua obligatione inter su- premos Dominos & subditos.	197
De debito subditorum erga Reges.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	198
De officio regum.	203
T R A C T A T U S VI. De 5. Decalogi præcepto:	
C A P U T I. Quid prohibetur auti jubeatur illo præcepto: Non occides.	204
De fine hujus præcepti , & quibus actionibus violetur.	ibid.
Quinam sunt illi , qui peccant peccato homi- cidii , vel pertinente ad homicidium.	206
Consectaria hujus Doctrinæ.	207
C A P U T II. De injusta laſione corporali pro- ximo illata.	209
De his , qui peccant peccato homicidii , vel reducto ad homicidium , causando direc- tè , vel percussionem , vel mutilationem , vel occisionem corporalem.	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	210
De his , qui peccant peccato homicidii , vel reducto ad homicidium , causando indirec- tè vel percussionem , vel mutilationem , vel occisionem corporalem.	214
Consectaria hujus Doctrinæ.	215
C A P U T III. De occidente sui ipsius , tum positiva , tum negativa.	222
An licita sit directa sui ipsius occiso , vel	

ORDO.

proprieti membra mutilatio.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	223
De indirecta occisione sui ipsius, & proprii membri mutilatione.	226
Consectaria hujus Doctrinæ.	227
Quandonam ex præcepto permittenda est sui ipsius occisio?	231
Consectaria hujus Doctrinæ.	232
Quandonam ex præcepto tenemur mutilatio- nem in nobis permittere?	234
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
CAPUT IV. De occisione, mutilatione, & per- cussione factis autoritate publica.	235
De occisione facta expressio Dei iussu.	<i>ibid.</i>
De occisione facta autoritate judicis.	236
Consectaria hujus Doctrinæ.	238
CAPUT V. De percussione, mutilatione, & occisione factis autoritate privata.	241
An & quando liceat privata autoritate pro de- fendenda vita iniquum aggressorem occi- dere.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	244
An & quando liceat privata autositate pro defendendis bonis fortunæ iniquum aggres- sorem occidere.	251
Consectaria hujus Doctrinæ.	252 & 257
An & quando liceat privata autoritate pro defendendo honore iniquum aggressorem occidere.	259
Consectaria hujus Doctrinæ.	261
CAPUT VI. De Duello.	262
Quid sit, & an licitum sit Duellum?	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	263
CAPUT VI. De Bello	265

ORDO.

Quid sit, & an licitum sit bellum?	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	266
Quæ causæ requirantur in eo, qui bellum indicit?	268
Consectaria hujus Doctrinæ	269
Quæ requirantur, ut bellum sit licitum.	270
Consectaria hujus Doctrinæ.	271
C A P U T VIII. De Scandalō.	275
Quid & quotuplex sit scandalum?	<i>ibid.</i>
Quale peccatum sit scandalum, & quibus in casibus interveniat scandalum?	276
Consectaria hujus Doctrinæ.	277
An res præcepta sit omittenda propter scandalum passivum proximi?	285
Consectaria huius Doctrinæ,	287
Quæ omittenda sunt ad vitandum scandalum pusillorum?	289
Consectaria hujus Doctrinæ.	291
Quæ omittenda sunt ad vitandum scandalum etiam malignorum,	292
Consectaria hujus Doctrinæ.	293
De his, qui videntur esse scāndalo, & non sunt; qui videntur cooperari peccato, & non cooperantur.	295
Consectaria hujus Doctrinæ.	297
T R A C T A T U S V. De sexto & nono præcepto.	
C A P U T I. De quibusdam præambulis necessario pertractandis, aniequam agatur de vi- tio luxuriæ.	305
Quam grave peccatum sit luxuria?	<i>ibid.</i>
Quæ poenæ contra luxuriam à Deo destinentur.	307
Poenæ temporales contra luxuriam.	308
Poenæ spirituales contra luxuriam.	309

O R D O:

Pœnæ æternæ contra luxuriam.	310
C A P U T II. Quid sit luxuria, & quætuple ejus species?	311
De natura luxuriæ.	<i>ibid.</i>
De variis speciebus luxuriæ secundum natu- ram.	312
De variis speciebus luxuriæ contra natu- ram.	313
De permixtione diversarum specierum lu- xuriæ:	314
De diversis actibus imperfectis luxuriæ.	315
C A P U T III. Quod & quale peccatum sit luxu- ries in genere, & quælibet species luxu- riæ.	316
An actus venercus sit licitus in legitimo ma- trimonio; & quale peccatum sit extra legi- timum matrimonium.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	320
De fornicatione.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	322
De stupro.	323
Consectaria hujus Doctrinæ.	324
De Adulterio.	325
Consectaria hujus Doctrinæ.	326
De sacrilegio.	328
Consectaria hujus Doctrinæ.	329
De incestu.	332
Consectaria hujus Doctrinæ,	333
De raptu.	334
Consectaria hujus Doctrinæ.	335
C A P U T IV. De speciebus luxuriæ contra na- turam.	336
An & quale peccatum sit actus luxuriosus contra naturam,	<i>ibid.</i>

O R D O.

Consectaria hujus Doctrinæ.	337
De mollitie.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	339
De Sodomia imperfecta.	342
Consectaria hujus Doctrinæ:	343
De Sodomia perfecta.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ,	344
C A P U T V . De actibus imperfectis luxuria.	345
An peccatum sit & quale actus imperfectus luxuriæ.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
De visu libidinoso.	346
Consectaria hujus Doctrinæ.	347
De verbis obscenis.	349
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
De tactibus & osculis libidinosis.	
Consectaria hujus Doctrinæ.	352
C A P U T VI . De variis fomentis lascivia.	355
De comediis & choreis.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	362
C A P U T VII . De usu matrimonii.	363
De his , quæ in usu matrimonii nullatenus sunt peccata.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	364
De his , quæ inter conjugatos sunt peccata tantum venialia.	365
Consectaria hujus Doctrinæ.	366
De his , quæ inter conjugatos sunt peccata mortalia.	368
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
De his , quæ inter conjugatos habentur à quibusdam ut peccata mortalia , ab aliis	

ORDO.

ut venialia.	371
Explicatur sigillatim quæ peccata committi soleant in usu matrimonii.	373
De fine actus conjugalis ; qui est generatio prolis.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	374
De modo concubandi ordinario.	375
Consectaria hujus Doctrinæ.	376
De damno inferendo vel proli jam conceptæ & non dum natæ , vel proli jam natæ , vel conjugatis.	377
Consectaria hujus Doctrinæ.	378
De debito conjugali reddendo.	380
Consectaria hujus Doctrinæ. 381. 382. 383 & 385.	
De mutua conjugatorum obligatione coha- bitandi simul.	386
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
De loco , in quo debitum conjugale redden- dum est.	387
Consectaria hujus Doctrinæ.	388
De tempore , quo debet reddi debitum con- jugale.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	389
De obligatione servandi votum in usu ma- trimonii.	390.
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
Quibus remediis possint conjugati vitare pec- cata , quæ committi solent in usu matri- monii ?	394
C A P U T VIII. De excessu , tum in cibo , tum in potu.	396
An licitus , vel illicitus sit cibi & potas usus ?	397

ORDO.

Consectaria hujus Doctrinæ.	398
Quandonam illicitus sit cibi & potus usus , sive privatim , sive cum aliis ?	399
Consectaria hujus Doctrinæ.	400 & 402
Quandonam licitus , vel illicitus sit convi- viorum usus ?	406
TRACTATUS VI. De octavo præcepto.	
CAPUT I. De veritatis amore.	409
Quando oporteat veritatem occultare aut manifestare ?	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	411. 413. 415. & 418.
De æquivocatione & restrictione mentali	419
Consectaria hujus Doctrinæ.	421
CAPUT II. De mendacio.	426
An mendacium sit semper illicitum ?	ibid.
Consectaria hujus Doctrinæ.	427
Quandonam mendacium sit peccatum mor- tale ?	432
Quando mendacium sit peccatum veniale solum ?	440
CAPUT III. De fama & honore.	441
Quæ sit obligatio conservandi propriam fa- mam ?	442
Consectaria hujus Doctrinæ.	443
Quam strictè prohibetur diffamare seip- sum ?	445
Consectaria hujus Doctrinæ,	446
Quæ sit obligatio conservandi famam proxi- mi ?	448
Quam strictè prohibetur diffamare proxi- mum.	449
CAPUT IV. De diffamatione proximi apud nos interius facta per suspiciones , per du-	

ORDO.

<i>bia, & judica temeraria.</i>	<i>451</i>
Quale peccatum sint suspiciones, dubia, & judicia temeraria facta contra probitatem proximi.	<i>ibid</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
De circumstantiis aggravantibus diffamatiōnem interiorem factam per suspicionem, dubium, & judicium injustum.	<i>455</i>
De casibus, in quibus sine peccato possimus de proximo dubitare, suspicari, & judicare.	<i>456</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>457</i>
CAPUT V. De diffamatione exteriori per calumniam & detractionem.	<i>459</i>
Quale peccatum diffamatio exterior?	<i>ibid</i>
De calunnia.	<i>ibid.</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>460</i>
De detractione.	<i>462</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>463</i>
De circumstantiis, tum augentibus, tum minuentibus diffamationem exteriorem proximi.	<i>465</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
De casibus, in quibus sine peccato possimus peccatum proximi manifestare.	<i>468</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>469</i>
CAPUT VI. De honore proximis exhibendo.	<i>471</i>
Quis honor debeatur proximo?	<i>472</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
De diminutione honoris, qui debetur proximo.	<i>474</i>
Consectaria hujus Doctrinæ.	<i>475</i>
De casibus, in quibus contumelia, convi-	

O R D O.

tium , improprium sunt absque peccato.	476
Consectaria hujus Doctrinæ.	477
De cooperantibus diffamationi & contumeliam.	478
Consectaria hujus Doctrinæ.	479



MORALIS CHRISTIANA

DE
NOVEM POSTERIORIBUS
DECALOGI PRÆCEPTIS
Simulque de præcipuis Ecclesiæ
Mandatis.

PRO O E M I U M.

Post explicatum in superiori
Tomo primum Decalogi Præ-
ceptum, novem posteriora in
isto Tomo explicanda suscipi-
mus, addemusque brevem man-
datorum Ecclesiæ expositionem;
quod quidem decem Tractatibus absolvemus.

A

TRACTATUS PRIMUS.
DE SECUNDO DECALOGI
PRAECEPTO.

Secundum Praeceptum Decalogi his verbis exprimitur. *Non assumes nomen Dei tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Exod. cap. 20.

Hoc Praeceptum aliquid præcipit, aliquid vetat; præcipit, ut Dei nomen honoretur; prohibet, ne nomen Dei contemnatur, nomen autem Dei honoratur, fide, spe, charitate, & Religione, de quibus suprà. Contemnitur vero blasphemia, juramentis illicitis, imprecatione; de quibus omnibus hic agemus.

CAPUT I.

De Blasphemia.

ARTICULUS I.

Explicatur natura blasphemie, simulque traduntur variae notiones ad blasphemiam pertinentes.

Blasphemia est injuriosa, tum in Deum, tum in res sacras, vel interna, vel externa locutio.

Blasphemia alia est cordis, seu interior alia oris seu exterior.

Blasphemia interior ea est quā interius male sentimus de Deo , rebusve divinis. Talis est cogitatio interior eorum qui Deum sibi fingunt , vel misericordem sine justitiā , vel justum sine misericordiā , talis est blasphemia illius de quo David Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.*

Blasphemia exterior ea est , quā , vel verbis . vel scriptis , vel cantu , vel sono inarticulato aliove signo sensibili aliquid injuriosum , vel contra Deum , vel contra res sacras proferimus. Talis est actio eorum qui verbis suis , aut signo aliquo sensibili Deo , aut rebus sacris contumeliam irrogant.

Blasphemia tum interior , tum exterior , seu tum cordis , tum oris , alia est *enuntiativa* . alia *imprecativa* , alia *de honestativa* , alia *hereticalis* , alia non *heretica'is*, ut dicunt.

Blasphemia *enuntiativa* ea est quā Deo rebusve divinis attribuitur aliqua imperfetio , quæ eis minimè convenit , aut de Deo rebusve divinis negatur aliqua perfectio , quæ eis maximè convenit ; ut si quis assertivè dicat quod Deus est injustus , quod Sacra menta sint inutilia ; vel si neget quod Deus sit sanctus ; quod Sacra menta conferant gratiam.

Blasphemia *imprecativa* ea est quā Deo rebusve divinis malum aliquod imprecatur : ut si quis sanctum nomen Dei maledictis impetrat.

Blasphemia *de honestativa* ea est quā membra Christi , vel sanctorum in honeste nominantur.

Blasphemia *hereticalis* ea est quā assertur

4 MORALIS CHRISTIANA.

aliquid fidei contrarium , vel negatur aliquid ad fidem pertinens.

Blasphemia non *hereticalis* ea est quæ nihil continet contra fidem ; talis est ea blasphemia quæ sit optando , vel imprecando aliquod malum Deo , itenique ea quæ ex iracundia proficiscitur in despectum Dei , nullum tamen errorem in fide continens.

ARTICULUS II.

Quām grave sit peccatum Blasphemiae.

PROPOSITIO unica. Blasphemia est peccatum ex suo genere mortale.

Probatur 1^o. Ex Script. *Est & alia loquela* ; blasphemia scilicet , *contraria morti* , idest mortifera. *Non inveniatur in hereditate Jacob.* Ecclesiastici 23. v. 15. Et ad Ephes. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei... Omnis amaritudo.... Et blasphemia tollatur a vobis : Ergo cum blasphemia juxta Ecclesiasticum sit mortifera , & juxta Paulum contristet Spiritum Sanctum , debet esse peccatum mortale.*

2^o. Ex Aug. lib. contrà mendacium cap. 19 *Ideò autem pejus est blasphemare , quam pejare ; quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testimonius Deus ; blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo.* Ergo blasphemia est peccatum mortale , cum sit pejor perjurio.

3^o. Ratione. Per blasphemiam negatur Deo , aut rebus divinis perfectio , quæ eis debetur , aut eis tribuitur imperfectio , quæ eis non convenit : ergo cum id sit maximè

injuriosum Deo, rebusquè divinis, blasphemia est peccatum mortale.

Probatur 4^o. Ex pœnis destinatis contrà illud vitium. Blasphematores in lege Mosaicâ morte puniebantur. *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatnr.* Levit. 24. v. 16. In lege Evangelica, Blasphemia in Spiritum Sanctum, non remittitur, nequè in hoc sæculo, nequè in futuro. In jure Canonico can. *Si quis*, 22. q. 1. Determinatur quòd, si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemiam contra Deum usus fuerit; si in Ecclesiastico ordine est, deponatur; si Laicus anathematizetur. Et cap. *Statuimus de maledicis*. statuitur gravis pœnitentia, quam si blasphemus nolit adimplere, interdictum ei, ingressus Ecclesiae, & in morte privatur, Ecclesiasticâ sepulturâ. Item blasphemum non posse absolvî sine gravissima pœnitentia decrevit Concil. Lateranense.

In jure civili, qui rei sunt blasphemiae sepiissimè damnantur pœnâ capitisi, unde sanctus Ludovicus Rex Galliæ contra blasphemos constituit pœnam, *igniti cauterii*, in fronte ut habetur cap. *Statuimus de maledicis*, similemque zelum pro extirpanda à regno suo blasphemia adhibuerunt Ludovicus XIII. & XIV. ut patet ex eorum Edictis; & quidem merito, nam ut optimè ait Aug. lib. 5. civit. cap. 24, *Is felix & magnus Rex est*, si suam pœnlatatem ad Dei cultum maximè dilatandum majestati ejus famulam faciat. Ergo graves illæ pœnæ contra blasphemos destinatæ denotant blasphemias.

miam esse peccatum mortale ex genere suo , potest autem fieri veniale ex sola indelibera-
tione ; minimè verò ex levitate materiae ; sicuti enim perjurium etiam in *minima* re
gravem continet malitiam , ita quoque blas-
phemia in *quacumque* materia gravem in
Deum injuriam involvit.

Consectaria bujus doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant mortali-
ter qui interiùs aliquid negant Deo , vel
rebus sacris ; quod eis tamen reverā conve-
nit , v. g. qui interiùs dicunt , *Deus non est
justus , Evangelium non est sacrum , &c.* Ta-
lis est blasphemia dæmonum interiùs divi-
nam bonitatem & justitiam execrantium , ut
dicitur Apoc. 16. *Æstauerunt æstu magno ,
& blasphemaverunt nomen Domini.* Talis est
etiam blasphemia eorum . qui de Deo , re-
busquè sacris non satis altè , sentiunt , inter
quos numerari potest Rex Tiri , quem ita jus-
su Dei alloquitur Ezech. 28. v. 2. *Hec dicit
Dominus Deus : eò quòd elevatum est cor tuum ,
& dixisti Deus ego sum ... Cum sis homo
& non Deus & dedixisti cor tuum quasi cor Dei....
Morte incircumcisorum morieris.* v. 10.

CONSECTARIUM II. Peccant mortali-
ter qui exterius voce vel scripto negant ali-
quid , quod aut Deo , aut rebus sacris conve-
nit vel affirmans aliquid quod Deo rebusve
divinis minimè convenit , talis fuit blasphem-
mia Pharaonis supremum Dominium Deo
abnegantis. His verbis *nescio Dominum &
Israël non dimittam.* Exod. 5. v. 2. Talis item

fuit blasphemia Nabuchodonozor infirmitatem Deo attribuentis, & quis est Deus, inquietabat, qui eripiat vos de manu mea. Dan. 3. v. 15. Talis quoque fuit blasphemia Sennacherib qui comparans Deum verum cum Diis gentium dicebat. Non conturbet vos Ezechias dicens: Dominus liberabit nos, numquid liberauerunt Dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assiriorum. Isaï. 36. v. 18.

C O N S E C T A R I U M III. Peccant mortaliter qui signo aliquo exteriori Deum, aut res sacras aspernantur, v. g. expuunt in cœlum, in crucem, in imagines, in reliquias, in Sacra menta, &c. Quia hæc contra res sacras contumelia blasphemiam redolet, talis erat Judæorum contra Christum cruci affixum contumelia qui juxta Math. 27. v. 39. Prætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua. Talis fuit pariter blasphemia Juliani apostatae, qui vulneratus sagittâ projiciebat sanguinem suum in cœlum, dicens *vicisti Galilæe, vicisti.*

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant mortaliter qui ex impotenti animo, ex ira, aut alio pravo motu verba contumeliosa in Deum, aut res sacras proferunt; hi dicuntur blasphemare in patrem cui attribuiur omnipotencia, cui videtur expressius opponi blasphemia, impotentis animi. Talis fuit blasphemia illius qui jussu Dei lapidatus est; iurgatus enim cum Israëlite blasphemavit; res ad Moïsem defertur, qui interrogat Dominum, consultus Dominus respondet dicens: *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt manus suas super caput ejus, & la-*

8 MORALIS CHRISTIANA
pidet eum populus universus. Levi. 24. v. 14.

CONSECTARIUM V. Peccant peccato blasphemiae qui ex ignorantia verba contumeliosa in Deum proferunt, hi dicuntur blasphemare, in filium cui attribuitur sapientia, cui videtur expressius opponi blasphemia ex ignorantia. Talis fuit blasphemia Pauli ante ejus conversionem, ut ipse fatetur 1. ad Tim. 1. v. 13. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum quia ignorans feci in incredulitate.*

CONSECTARIUM VI. Peccant peccato blasphemiae qui ex malitia verba contumeliosa in Deum proferunt attribuentes spiritui maligno id quod venit ex Spiritu Sancto & hi dicuntur blasphemare in Spiritum Sanctum cui attribuitur *bonitas* cui expressius opponitur blasphemia ex malitia talis erat blasphemiæ Judæorum opera Christi in Beelzebub refundentium. *In Beelzebub principe Dæmoniorum, ajebant, ejicit Dæmonia.* Luc. 11. v. 3.

CONSECTARIUM VII. Peccant peccato blasphemiae qui assumunt nomen Dei, aut Christi ad execrationes. *Immanis est blasphemia.* Ex Concil. Trecens apud Bochellum cum sanctum Dei nomen & virtus Dei, & salutaris Christi passio, & adoranda vulnera, & devotus pro hominum salute sanguis ejus, & reverenda Christi Sacra menta ad execrationes & maledictiones assumitur.

CONSECTARIUM VIII. Peccant peccato blasphemiae aut reducto ad blasphemiam qui in Deum, aut sanctos contumeliosa verba proferunt, eorum significationem adver-

tentes, quamvis intentionem actualem non habeant blasphemandi; nam ad peccatum non requiritur advertentia actualis. Divus quippè Paulus fatetur se reum esse blasphemix, quamvis ignorantè egisset. *Cum alio quis*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3. *Subitè ex aliquâ passione in verba imaginata prorumpit*, quorum significationem non considerat, tunc est peccatum veniale, & non habet propriè rationem blasphemiae, alio modo, quandò advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum, & tunc non excusatitur à peccato mortali; sicuti nec ille, qui ex subito motu aliquem occidit juxta se sedentem.

C O N S E C T A R I U M IX. Peccant peccator ad blasphemiam pertinente qui Dei nomen incommunicabile, aut attributum aliquod divinum creaturis adscribunt; quia de Deo non loquuntur, uti decet. Exemplum habemus in Herode Agrippâ, qui Tyriis & Iudeis pacem postulantibus, & populo acclamante; *Dei voces*, & non hominis, confessim percussus fuit ab Angelo Domini; & ex eo quod non dedisset honorem Deo, consumptus vermibus, expiravit. Act. cap. 12. v. 22. Simili inquinantur peccator viles illæ animæ, quæ hominibus mortalibus laudes soli Deo debitas tribuunt. Id præstant aliquando prædicatores in suis concionibus, Authors in suis libris.

C O N S E C T A R I U M X. Peccant peccator ad blasphemiam pertinente qui ut asserant, aut negent aliquid etiam verum, sic proloqui non pertimescunt; *Hoc magis verum est*, quam Deus sit verax, quam Evangelium sit

10 MORALIS CHRISTIANA.

verum, quām res fidei sit vera, &c Ego sum magis innocens, quām Christus, quām Virgo : Hæc enim impia & injusta comparatio est Deo, rebusque divinis quām maximè injuriosa, non videtur autem blasphemiae reus qui afferendo, sic loquitur : hoc ita est verum & certum, sicuti certum est Evangelium, si intelligatur cum quādam proportione; ita ut sensus sit, hoc esse verum suo modo, sicut Deus est verax, sicut Evangelium est verum; est tamen abstinentia à tali loquendi formulæ; impium enim aliquid sapit istæ assertio.

C O N S E C T A R I U M XI. Peccant peccato blasphemie, qui maledicunt creaturis, quatenus sunt opus Dei, ita D. Thom. 2. 2. quest. 76. a. 2. in corpore. *Maledicere autem, inquit, rebus irrationalibus in quantum sunt creature Dei, est peccatum blasphemie: maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum & vanum, & per consequens illicitum.*

C O N S E C T A R I U M XII. Peccant blasphemiam operis fideles, qui infidelibus sunt scandalum, Sacerdotes, qui Laicis scandalum pariunt, & demum omnes, qui aliis non præludent exemplo, de quibus sic loquitur Paulus ad Rom. 2. v. 23. *Qui in lege gloria-
ris, per prævaricationem legis Deum inhono-
ras; nomen enim Dei per vos blasphematur in-
ter gentes, sicut scriptum est.*

CAPUT II.

De Juramento.

ARTICULUS I.

Explicatur quid sit Juramentum, simulque trahuntur variae notiones ad Juramentum pertinentes.

Juramentum est divini numinis attestatio, ad faciendam fidem, *circa rem assertam*, promissionemve firmandam, *circa rem promissam*. Unde jurare juxta Chrysostomum & Augustinum est accipere Deum in testem, eumque dare quasi testem rei assertæ & fidei iussorem rei promissæ.

Juramentum aliud est per Deum, aliud per creaturas.

Juramentum per Deum est attestatio divini numinis in se vel in attributo suo, v. g. juro per Deum viventem, per veritatem Dei, per omnipotentiam, &c.

Juramentum per creaturam est attestatio creature, quatenus in ea relucet specialiter divinitas, v. g. juro per Mariam quæ est mater Dei, per Angelos qui sunt ministri Dei, per sancta Evangelia in quibus continentur veritas divinitus revelata.

Juramentum sive per Deum, sive per creaturas Deum specialiter representantes, aliud est assertorium, aliud promissorium.

Juramentum assertorium est attestatio divini numinis vel in se, vel in creatura relucentis ad faciendam fidem circa rem quæ assertitur.

Juramentum promissorium est attestatio divini numinis, vel in creatura re lucentis, ad firmandam rem quæ promittitur.

Juramentum sive assertorium, sive promissorium, aliud est *simplex*, aliud *solemne*.

Juramentum simplex est attestatio divini numinis absque ceremonia notabili. Tale est juramentum quod fit in vulgari cum hominibus colloquio.

Juramentum solemne est attestatio divini numinis cum aliqua ceremonia notabili, v.g. coram Notario, testibus, per attachum Evangelii, Reliquiarum, Crucifixi, &c.

Juramentum tam simplex quam solemne aliud est *formale*, aliud *materiale* ut dicunt.

Juramentum materiale est divini numinis attestatio externa sine deliberatione, intentioneve jurandi.

Juramentum formale est divini numinis attestatio deliberata cum intentione jurandi.

Conditiones juramenti, aliae sunt ex parte personæ quæ jurat, aliae ex parte rei per quam juramus, aliae ex parte rei ob quam juratur.

ARTICULUS II.

An Juramentum vestitum circumstantiis requisitis tum ex parte personæ quæ jurat, tum ex parte rei per quam juratur, tum ex parte rei ob quam juratur sit licitum, vel illicitum.

PROPOSITIO unica. Juramentum non est illicitum, quando vestitum circumstantiis

TRACT. I. DE II. DECAL. 73

tiis requisitis , tum ex parte personæ quæ jurat , tum ex parte rei per quam juratur , tum ex parte rei ob quam juratur.

Probatur 1º. Script. Dominum Deum tuum timebis , & per nomen ejus jurabis. Deut. 6. & David ait : Laudabuntur omnes , qui jurant in eo. Psal. 62. v. 12. & Isaías 19. v. 18. Vaticinans de gentibus convertendis ait , In die illa erunt quinquè civitates in terra Ægypti . loquentes linguâ Chanaan , & jurantes per Dominum exercitum.

2º. Exemplis desumptis ex Scriptura , ante legem , Abraham juravit Regi Sodomitum his verbis. *Levo manum meam ad Dominum meum Deum excelsum possessorem cœli & terræ quod.... Non accipiam ex omnibus quæ tua sunt , ne dicas ego ditavi Abraham.* Gen. 14. v. 22. Post legem Moysi datam David juravit Saüli quod non destrueret semen ejus *Jura mihi in Domino , inquit Saül , ne detreas semen meum post me ... Et juravit David , Saül.* 1. Reg. 24. v. 22. In lege Evangelica Paulus juravit sèpius his verbis , *testis est mihi Deus , ad Rom. 1. v. 9. Angelus juravit , per viventem in sæcula sæculorum.* Apoc. 1. v. 6. Immò Deus cum non habeat maiorem juravit per semetipsum Abraham dicens , *nisi benedicens benedicam te.* Ut scilicet filii promissionis per duas res immobiles , scilicet promissionem & juramentum fortissimam spem salutis æternæ conciperent : ergo ex tot exemplis constat juramentum non esse ex se malum.

3º. Ex Concilio Constantiensi in quo damnatur ista propositio ; *Juramenta illicita sunt*

14 MORALIS CHRISTIANA.
quæ fiunt ad roborandum humanos contractus,
& civilia commercia.

4°. Ratione. Quando juramentum fit cum debita reverentia ex parte jurantis, cum attestacione veri Dei per quem juramus, cum veritate, judicio & justitia ex parte rei ob quam juratur, est actus religionis quo Deus invocatur tamquam prima veritas & testis veracissimus, qui non potest decipi, quia est infinitè sciens, nec potest decipere; quia est infinitè bonus: cum ergo actus religionis non sit prohibitus, ita nec juramentum.

Consecataria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM unicum. Quando Scriptura dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, sit sermo uester, est, est, non, non,* tunc Scriptura non prohibet absolute juramentum, sed ideo dicitur *est est, non non,* ut duplicata affirmatio significet firmiter asserendum esse quod verum est, & duplicata negatio, firmiter negandum esse quod falsum est: vel ideo dicitur bis, *est, est, non, non,* ut quod ore affiras, operibus probes, & quod verbis negas, factis non probes, cum autem addit, *quod amplius est à malo est.* Scilicet jurantis cum leviter & sine re reverentiæ jurat, item à malo illius qui exigit juramentum cum & sine causa exigit iuramentum, sed Scriptura solum prohibet illicita juramenta, ea scilicet, quibus assuescimus jurationi contrà illud Scripturæ: *Jurationi ne assuescat os tuum; multi enim casus in illa: & ea insuper, quibus decipimus pro-*

ximum, juxta illud Psal. *Qui jurat proximo suo, & non decipit*: ita ergo intelligitur præcepisse Dominum, ne juretur, inquit Aug. *Ne quisquam sicut bonum appetat iurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur*, in Psal. 109. Sed non prohibet juramentum factum in debitissimis circstantiis, de quibus jam agendum uberius.

ARTICULUS III.

Quæ conditiones requirantur ex parte Jurantis ut licitum sit Juramentum.

PROPOSITIO unica. Ut attestatio Divini Numinis veram juramenti rationem habeat, requiritur ex parte jurantis deliberata intentio jurandi.

Probatur 1°. Scripturâ. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in justitia, & in iudicio*; In iudicio, id est, cum discretione & deliberatione, ergo jurans debet habere intentionem jurandi.

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 3. in corp. ubi sic habet. *Juramentum non est bonum, nisi ei qui benè utitur juramento. Ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur; primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discretè juret, & quantum ad hoc requiritur iudicium scilicet discretionis ex parte jurantis. Judicium autem discretionis includit intentionem, ergo jurans debet habere intentionem deliberatam jurandi.*

3°. *Juramentum est actus religionis; er-*
Bij

gō importat intentionem deliberatam.

4°. A juramento judiciali excluduntur impuberes; cum pueri antē an. 14. non cogantur jurare. Concil. Illiberitanum an. 305. Ergo jura requirunt maturam deliberationem in his, qui jurant, ergo intentionem jurandi.

5°. Damnata est sequens propositio. *Cum causa: licitum est jurare, sive animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. Censura Cleri Gallic. art. 12.*

Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM I. Peccat peccato perjurii, qui jurat exterius sine intentione jurandi, pro quacumque re juret. 1°. Quia magna est irreverentia in Deum quod quis utatur testimonio primae veritatis ad fallen-dum. 2°. Quia talis modus jurandi simulatē est perniciosus & contrarius fini juramenti. 3°. Quia si semel permitteretur dolosa illa juratio, prorsus evertetur fructus omnis juramenti, & securitas quæ ex juramentis ex-pectatur, unde à summis Pontificibus & à Clero Gallico art. 12. damnata est sequens propositio: *Qui jurandi intentionem non habet, licet falso juret, non pejerat, et si alio crimine tenetur, putà mendacii alicujus.*

Sic qui interrogatus à legitimo judice simulant juramentum bis peccat. Primò contra Religionem, quia irreligiosè tractat rem sacram, scilicet juramentum. Secundò contra obedientiam, quia non morem gerit legiti-mo superiori.

Sic qui ex conventione tenetur jurare super aliquo contractu qui initur , si simulatè juret , bis pariter peccat , primò , contra Religionem quam tractat irreligiose ; secundò contra publicam fidem quam violat.

Sic qui ultroneè exterius jurat etiam pro veritate. Si sine intentione interiori jurandi exterius proferat verba juratoria gravissimè peccat ; quia irreligiositas quæ est in juramento illo simulato abstrahit per se ab eo , an sit verum , vel falsum quod profertur , & censetur ex genere suo esse mortalís , quia semper est illusio divini numinis , etiam quando reperitur in materiâ verâ , semperque adversatur fini juramenti , continetque mendacium quo decipitur ille cui sit juramentum ; recipit enim iste simulatum juramentum cùm credit sincerum accipere.

CONSECTARIUM II. Qui juramento promittit aliquid , quod dubitat se posse exequi , peccat mortaliter ; quia exponit se periculo pejerandi. Et si ibi interveniat jurandi intentio , non intervenit saltem intentio sincera exequendi quod juramento promittitur.

CONSECTARIUM III. Peccat mortaliter , qui juramento promittit aliquid , quod sibi videtur impossibile , dum promittit ; quia tunc aut non habet intentionem jurandi , aut si habeat intentionem jurandi scienter se exponit periculo pejerandi , & proinde ex utroque capite gravissimè peccat. De quo ita D. Thomas. *Si est , inquit , talis res , quæ in ejus potestate non fuit , deest juramento discretionis judicium ; nisi forte quod erat ei pos-*

sibile, quandò juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum, putà cum aliquis jurat se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi, vel furto substrabitur; nam tunc videtur excusatus à faciendo, quod juravit, licet teneatur facere, quod in se est. 2. 2. q. 89. a. 7.

ARTICULUS IV.

De conditionibus requisitis ex parte rei, per quam juratur.

PROPOSITIO unica. Ut attestatio, quæ adhibetur, veram & integrā iuramenti rationem habeat, res, per quam juratur, debet esse; *Vel Deus ipse, vel creatura aliqua, in qua specialitè reluceat divinitas.* Relucet autem Dei majestas in rebus sacris; quia sunt media, quibus Deus utitur ad sanctificandos homines; relucet pariter in cœlis, in elementis, igni, aëre, aqua, & terrâ; quia sunt partes præcipuae universi.

Probatur 1º. Scripturâ. *Dominum Deum tuum timebis, & ei soli servies, ipsique adhærebis, jurabisque in nomine illius.* Deut. 10. v. 20. & rursus: *Per nomen exteriorum deorum non jurabis.* Exod. 23. Ergò non licet jurare, nisi per Deum, vel per aliquid, in quo specialitè reluceat divinitas.

2º. Ex Aug. *Quid ergò tu facis, cum juras? testaris Deum, hoc est jurare, Deum testari.* in Psal. 10. v. 9.

3º. Ratione. Juramentum propriè est invocatio, quâ petitur, ut is, qui vocatur

in testem, tamquam unicus cordium inspecto^r testimonium der veritati, & falsum juramentum puniat; cordium autem inspectio, criminum punitio, ad solum Deum pertinent; undē Deus solus est, qui in attestacionibus potest juramento compellari.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Possimus jurare per tres personas Trinitatis, scilicet Patrem, Filium & Spiritum Sanctum; quia quaelibet persona Divina est Deus. Sic Paulus videntur per tres personas Trinitatis jurasse. *Testis est mihi Deus Pater*, inquit, ad Philip. i. v. 8. En prima persona; quomodo cupiam vos in visceribus Jesu-Christi. En secunda persona Et ad Rom. 9. *veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibent conscientia mea in Spiritu Sancto.* En tertia persona.

C O N S E C T A R I U M II. Possimus jurare per res sacras, v. g. per sanctos Angelos, per animas beatitudinem consecutas, per Evangelium, per Crucem, &c. Ratione enim sanctitatis, quam habent, speciale dicunt ordinem ad Deum, qui testis est irrefragabilis veritatis. Eo sensu loquitur Paulus i. ad Tim. 5. *Testor coram Deo, & Christo Jesu & electis Angelis ejus.*

C O N S E C T A R I U M III. Possimus jurare per partes insigniores universi, v. g. per *cælum*, per *Terram*, &c. Cūm enim in illis creaturis reluceat divinitas hoc ipso quod compellantur, Deus censetur compellari.

Eò fortè alludit Christus , dum dicit : *Ego autem dico vobis non jurare omnino , neque per Cælum ; quia thronus Dei est , neque per Terram ; quia scabellum est pedum ejus.* Math. 5. v. 34. quià , ut ait Math. cap. 23. qui ergò jurat in altari , jurat in eo , & in omnibus , quæ super illud sunt , & quicumque juraverit in Templo , jurat in illo , & in eo qui habitat in ipso , & qui jurat in Cælo , jurat in throno Dei , & in eo , qui sedet super eum. Eodem sensu Moyses Deuter. 30. Testes invocat Cælum & Terram , & Caus. 22. q. 1. Can. Si quis , dicitur , si quis per creaturam , quatenus scilicet in ea relucet Dei majestas , juraverit acerrimè castigetur.

C O N S E C T A R I U M IV. Qui utitur illis dicendi formulis : per fidem receptam in baptismate ; per fidem ; quæ Sacerdoti debetur , verè videtur jurare ; & ideò perjurus censendus est , si falsò juret ; quippe fides recepta in baptismate , & fides Sacerdotis , res est maximè sacra , quæ non ob alium finem adhibetur , quam ut id , quod dicimus , faciliùs audientibus suadeamus. Ità docet Regum Francorum capitulare. Cap. 62. de perjuris. Sunt aliqui , qui per charitatem & veritatem jurant , & carent se à juramento nominis Dei , & nesciunt , quod idem est Deus , quod charitas & veritas , dicens Joanne Apostolo ; quià Deus charitas est. Item ipse Dominus in Evangelio ait : *Ego sum via, veritas, & vita ; Ideò qui in veritate & charitate jurat , in Deo jurat.* Qui tamen utitur istis loquendi formulis : *En verité... par ma foy... certes , &c.* non videtur jurare ; voces enim

illæ non videntur juramenta, sed solum quædam asserendi formulæ, à quibus tamen est abstinentium. In quibus tamen loquendi formulis, verum est juramentum, si qui iis utitur intentionem jurandi habeat.

CONSECTARIUM V. Gravissimè peccant qui jurant per idolum, aut per creaturam quamcumque nisi ea creatura inspicatur, quatenus in ea specialiter relucet Divinitas.

MONITUM I. Adverte autem inquit Cajet. verbo. jurare. Quod crimen istud ad blasphemiam reducitur: quia dum aliquis intendit verè jurare, intendit testimonium infallibile afferre, & dum per creaturam quamcumque, aut falsum Deum jurat, profitetur creaturam illam, seu illum estimatum Deum esse infallibilem testem quod est proprium Dei veri, ac per hoc attribuit quod est proprium Dei, alteri, quod est blasphemare. Est ergo jurare per creaturas aut falsum Deum, plusquam perjurium quia est peccatum blasphemie.

MONITUM II. Qui jurant per idolum aut per creaturas, si juret contra veritatem perjurus est, & tenetur servare quod promisit si licitum sit, ita Aug. serm. de verbis Apost. nunc 180. ubi sic habet. Multi in hoc falluntur, & putant; quia nihil est id per quod jurant, non se crimine teneri perjurii. Prorsus perjurus es, quia per id quod sanctum putas, falsum juras.

ARTICULUS V.

De conditionibus ex parte rei, ob quam juratur.

PROPOSITIO unica. Res, ob quam juratur, debet esse vera, discreta, idest, alicujus momenti, & justa, id est, non illicita.

Probatur 1^o. Script. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia.* Jerem. 4. v. 2. id est, jurabis pro re, quæ sit vera, quæ sit magni momenti, & quæ sit licita.

2^o. Ex Hieron. *Simulque advertendum, ait, quod iusjurandum hos babeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.* In cap. 4. Jeremiæ.

3^o. Ratione. Res, ob quam juratur. 1^o Debet esse vera; quia juramentum est ad confirmandam veritatem. 2^o. Debet esse alicujus momenti; quia non debemus pro rebus exiguis, seu vanis, nomen Dei assumere. 3^o. Debet esse justa, seu licita; quia non debemus assumere nomen Dei ad rem illicitam, aut præstandam, aut confirmandam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Toties possumus jurare, quoties videmus rem, ob quam juratur, veram esse, discretam, & justam; quippe tunc juramentum habet omnes conditiones, quas exigit Deus, ut sit licitum.

Sic sine scrupulo possumus in sequentibus casibus jurare.

1º. Pro confirmanda veritate ad bonum publicum conducente, v. g. pro confirmanda veritate fidei & mortis. Sic Paulus juravit praedicando Evangelium, ad Rom. 1 v. 9.

2º. Pro amicitiâ contrahendâ. Sic Jacob iniens pacem cum Laban, juravit, & principes pacem ineuntes, fœdus suum solent juramento confirmare.

3º. Pro pace renovandâ. Sic Judas Machabæus pacem renovans cum Romanis juravit; & principes pacem renovantes, solent promissi sua juramentis sancire.

4º. Pro stabiliendo fidelitatis obsequio. Sic subditi solent regibus obedientiam & subjectionem jurare. Cap. Nullus de jurejurando. Cap. Legebatur de Majoritate & obedientiâ.

5º. Pro conservandis legibus & statutis Ecclesiæ. Sic fideles solent jurare se observaturos constitutiones Ecclesiasticas.

6º. Pro infamia purgandâ. Sic accusati solent se purgare juramento. Titulo de juramento purgatorio.

7º. Pro dirimenda litis contestatione. Sic quandò dubia & incerta sunt litigantium jura, digniori parti defertur juramentum, ut hoc pacto omnis controversia dirimatur.

C O N S E C T A R I U M II. Toties nobis juramentum interdicitur quoties caret aliquà ex predictis conditionibus scilicet, vel veritate, vel judicio, vel justitiâ; bonum enim ex integrâ causâ; malum verò ex quocumque defectu. Quo circa ait D. Thom. 2. 2. q.

24 MORALIS CHRISTIANA

89. a. 3. in C. *Judicio caret juramentum incautum; veritate autem juramentum mendax: justitia autem juramentum iniquum, sive illicitum.* Unde in sequentibus casibus non licet usurpare juramentum.

1°. Si res confirmanda per juramentum sit falsa, vel nobis dubia.

2°. Si res confirmanda per juramentum sit exiguii momenti.

3°. Si res confirmanda per juramentum sit illicita vel majoris boni impeditiva.

CONSECTARIUM III. Juramentum quamvis munitum prædictis circunstantiis scilicet veritate, judicio, & justitiâ non est expetendum tamquam *per se bonum*, sed cum cautelâ maximâ adhibendum tamquam aliquid *per accidens necessarium*. Unde ait D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 5. in C. *Id quod non queritur nisi ad subveniendum infirmitati vel defectui, non numeratur inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt necessaria; sicut patet de medicina quæ queritur ad subveniendum infirmitati; juramentum autem queritur ad subveniendum alicui defectui; quo scilicet unus homo alteri discredit,* & ideo juramentum est habendum, non inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt huic vita necessaria, quibus indebet utitur quicumque eis utitur ultra terminos necessitatis, ideo audi Consilium. Aug. *Noli jurare... falsa juratio existiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.* De verbis Apost. serm. 28.

S. I.

Quale peccatum sit juramentum factum contra veritatem.

PROPOSITIO unica. Juramentum factum contrà veritatem est peccatum mortale ex suo genere , quantacumque sit levitas rei, ob quam juratur.

Probatur 1º: Script. Maledictio , dicit Dominus , veniet ad domum furis , & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter , & commorabitur in medio ejus , & consumet eam , & ligna ejus , & lapides ejus . Zach. cap. 5. v. 4. Ergo cum maledictio divina non incurrit nisi per peccatum mortale. Juramentum contra veritatem est peccatum mortale.

2º. Ex Concil. Constantiensi sess. 45. ubi habetur. Quod quilibet suspectus de erroribus Vviclefis interrogandus sit ? An credat , quod perjurium scienter commissum ex quacumque causa , vel occasione , pro conservatione vitæ corporalis , vel propriæ , vel alterius , etiam in favorem fidei , sit mortale peccatum.

3º. Ex Aug. Perjurium peccatum esse , & grande peccatum nemo dubitat. Sermone nunc 180. de verbis Apost. Jacobi. Ergo cum juramentum contra veritatem perjurium sit , ut mortale peccatum habendum est.

4º. Ex D. Thom. Quidquid pertinet ad contemptum Dei , est peccatum mortale ; perjurium autem ex se importat contemptum Dei : ergo perjurium est peccatum mortale .
2. 2. q. 98. a. 3.

5°. Ratione. Juramentum factum contrà veritatem, ut peccatum mortale censendum est. 1°. Quia tunc itur contrà finem principalem juramenti, qui est confirmatio veritatis. 2°. Quià Deus adducitur, quasi falsus testis, quo nihil indignius contrà Deum excogitari potest.

Immò notandum maximè quod *parvitas* materiæ non minuit peccatum, quin immò quodammodo aggravat: indignius enim est Deo eum adduci in falsum testimoniū pro re *exigui*, quam pro re *magni momenti*, sicuti indignius est Regem vilibus officiis mancipari, quam ingentibus negotiis occupatum detineri.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Qui falso jurat pro re quantumvis *exiguo*, peccat mortaliter, quamvis per tale juramentum non noceat proximo; quippè tunc juramentum privatur fine suo præcipuo, qui est confirmatio veritatis. *Ille, qui jocosè perjurat*, inquit D. Tho 2. 2 q. 98. a 3. ad 2. *Non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget*; & ideo non excusat à peccato mortali; quapropter damnata est sequens propositio ab Innoc. X I. an. 1679. prop. 24. *vocare Deum in testimoniū mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit Deus damnare hominem.*

CONSECTARIUM II. Qui ex lapsu lingue jurat falso, si perspectam habeat falsitatem, quam jurat; *lethalis perjurii reus est,*

si autem non advertat, nec intentionem jurandi habeat venialiter peccat, ita docet D. Thom. ibid. *Ille autem qui ex lapsu lingue falsum jurat, siquidem advertat se jurare & falsum esse quod jurat, non excusatur a peccato mortali sicut nec a Dei contemptu; si autem hoc non advertat non videtur babere intentionem jurandi, & ideo a crimine perjurii excusatur.*

CONSECTARIUM III. Qui jurat pro re dubia mortaliter peccat; exponit enim se periculo pejerandi, ita Catechismus Concilii Tridentini. *Simili quoque ratione pejerat, quando id jurat, quod verum existimet, & tamen revera falsum jurat, nisi quantum potuit, curram & diligentiam adhibuerit, ut totam rem compertam, atque exploratam haberet: quamvis enim ipius oratio menti consentiat; tamen hujus praecepti reus est, part. 3. de 2. praecep. num. 32.*

CONSECTARIUM III. Qui jurat modò pro re verâ, modò pro re dubiâ, & contrahit habitum jurandi quacumque datâ occasione, est in statu peccati mortalis; exponit enim se occasione pejerandi, quippe ut monet Innoc. III. cap. *Etsi Christ. extra de jure jurando. Ex incauta juratione perjurium saepe contingit.*

CONSECTARIUM IV. Bis peccat paganus & quicumque alias, qui contra veritatem jurat per idolum, de quo ita Aug. Epistol. ad Publicolam 154. *Nunc vero quia juravit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis utique peccavit.* 1º. Jurando per idolum quod fal-

sum numen est. 2°. Falsitatem firmando juramento ; quod utique pro confirmanda sola veritate adhibendum est.

§. II.

An licitum sit juramentum simulatum, seu factum cum equivocatione, vel restrictione mentali.

Nota 1°. Juramentum aliud est sincerum, aliud simulatum, juramentum est sincerum quando jurans nulla utitur simulatione, nec ex parte intentionis, nec ex parte verborum, quibus jurando utitur.

Juramentum est simulatum quando jurans utitur simulatione, vel ex parte intentionis, vel ex parte verborum, quibus jurando utitur.

Nota 2°. Juramentum simulatum potest esse duplex. 1°. Ex defectu intentionis quæ simulatur adesse cum tamen non adsit. 2°. Ex significatione, vel usu verborum, quibus utitur ille qui jurat; quando scilicet juramentum exprimitur verbis, quæ in uno sensu sumuntur à jurante; in alio vero sensu ab his quibus juratur, seu qui accipiunt juramentum.

Nota 3°. Juramentum simulatum defectu intentionis, potest esse multiplex. 1°. Quando quis jurat seu profert verba juratoria sine intentione jurandi. 2°. Quando quis profert verba juratoria cum intentione quidem jurandi; sed sine intentione obligandi se per juramentum, vel si intendat se obligare,

intendit non adimplere promissum, vel assertum.

Juramentum simulatum ex significatione vel usu verborum, quibus juramentum exprimitur potest esse multiplex. 1. Per restrictionem mentalem. 2. Per æquivocationem seu amphibologiam.

Juramentum est simulatum per restrictionem mentalem, quando verba quæ duplicem sensum non patiuntur, sumuntur ab eo cui juratur in sensu obvio; ab illo vero qui jurat in sensu à se interius excogitato. v. g. si jurans dicat testor Deum me illud non fecisse, sub intelligens in mente. *Antequam natus essem, vel non feci, ut tibi illud dicerem, &c.*

Juramentum est simulatum per æquivocationem, vel amphibologiam quando phrasis, vel verba quibus jurans utitur duplicem sensum patiuntur, & jurans ex intentione fallendi sumit in uno sensu, ille vero cui juratur sumit in alio, talis fuisse fertur istud oraculum Dæmonis. *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* De his plura dicemus ubi de mendacio.

P R O P O S I T I O uaica. Dato, quod æquivocatio verbalis, vel restrictio mentalis esset licita, de quo ubi de mendacio, non licet tamen jurare, nec cum æquivocatione verbali, nec cum restrictione mentali, sed jurare oportet secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum sit. Si juretur æquivocè, sit verè perjurium, & proinde peccatur mortaliter.

Probatur 1. Script. Ille solus salvabitur,

qui jurat proximo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Psal. 14. v.

4. Ergo sicuti illicitum est pecuniam dare ad usuram; ita illicitum est jurare, vel cum æquivocatione verbali, vel cum restrictione mentali: Tali quippè juramento proximus semper decipitur; & sicuti usura est peccatum ex suo genere mortale, ita & juramentum factum cum æquivocatione, vel restrictione mentali.

2º. Ex Aug. Epist. olim 124. jam 125. *Perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, decepterunt:* Ergo non licet jurare contrà sanum sensum ejus, cui juratur, & qui ita jurat incurrit crimen perjurii.

3º. Ex Concilio Constantiensi sess. 15. in fine, ubi damnatur sequens articulus. *Qui libet Tyrannus potest, & debet licite, & meritorie occidi, per quemcumque vassallum suum, vel subditum.... non-obstante quocumque PRÆSTITO JURAMENTO.... Adversus hunc errorem insurgens sancta Synodus, declarat, & definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & moribus, ipsamque tamquam hereticam, scandalosam, & ad fraudes. DECEPTIONES, MENDACIA, PRODUCTIONES, PERJURIA, vias dantem reprobant & condemnant.*

4º. Ex Clero Gallic. A quo damnatur sequens propositio art. 12. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non*

habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

5º Ex facultate Lovaniens. Accademia Lovaniensis consulta à Parochis Lovaniens. super juramentis æquivocis: sic responderet cuius, quando, quomodo, quisquam jurato credat, si neque juratis hic tuti credi potest & si inquam liceat hic commentitio verborum suorum. Principis & reipublicæ, atque omnium bonorum expectationem fallere, & de cœpis interrogatum de aliis jurare, hoc enim non est JURARE, sed PEJERARE est, nam ut opimè verissimèque ait Aug. Expectationem eorum quibus juratur quisquis decipit, perjurus est.

6º Ratione. Finis juramenti non aliud esse potest quam aut confirmare veritatem, aut terminare controversiam, juxta illud Pauli ad Hebr. 6. v. 16. *Homines enim per majorem sui jurant, & omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem est juramentum.* Si autem juramentum fiat æquivoco, non confirmatur veritas, sed falsitas, non expeditur controversia; sed fovetur dolus & injustitia: Ergo fit pravus usus juramenti: Ergo perjurium. Ergo peccatum mortale.

Deinde mendacium est, quandò ex conscientia respondentis responsum non conformatur verò sensui illius, qui justè & legitimè interrogat, juxta illud Aug. *Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbo, vel quibuslibet significationibus enuntiat.* Lib. de Mendacio cap. 3. sed mendacium firmatum juramento est verè perjurium & peccatum mortale; Ergo, &c.

Consectaria bujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat mortali-
ter, qui à nemine interrogatus jurat æqui-
vocè ; quia nulla est causa, quæ eum ad ju-
randum æquivocè impellat. Unde damnata
est sequens propositio ab Inn. II. & à Clero
Gall. art. 12. *Si quis, vel solus, vel coram
aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte,
sive recreationis causâ, sive quocumque alio
fine, juret se non fecisse aliquid, aliud intel-
ligendo, quod non fecit, vel aliam viam ab
eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum
verum, reverâ, non mentitur, nec est perjurus...*
Ubi Pontifex duo declarat. 1º. Ibi esse men-
daciū. 2º. Ibi esse Perjurium.

C O N S E C T A R I U M II. Peccat mortali-
ter qui in communi colloquio interrogatus
circâ aliquid indifferens, v. g. an habeat pe-
cunias, quas det mutuò, an Titius sit domi
nec ne, jurat æquivocè se non habere, sci-
licet ut mutuò det ; quia nulla ibi est causa,
aut æquivocandi au pejerandi. Et rursus in
communi colloquio debemus proximo veri-
tatis manifestationem. *Unus enim homo ex
honestate debet alteri veritatis manifestacionem,*
ut ait Aug. contrâ Mendaciū cap. 18. &
Tertul. lib. 4. contrâ Marcionem cap. 38.
*Justa & digna præscriptio est in omni quæstio-
ne ad propositum interrogationis pertinere de-
bere sensum responsionis, ceterum aliud consu-
lenti, aliud respondere, demenisi est.*

C O N S E C T A R I U M III. Peccati morta-
lii reus est qui interrogatus à legitimo su-

periore , & à legitimo judice jurat *equivoce*, quia tenetur respondere sincerè & sine fraude superiori legitimè interroganti, qui autem legitimè interroganti non verentur vel cum *æquivocatione*, vel cum restrictione mentali jurare in mentem revocent miseram Arii mortem , qui in pœnam subdolæ jurationis oppressus interiit. Hic enim ut testatur Socrates lib. 1. Hist. Eccles. cap. 38. interrogatus ab Imperatore. Num decretis Nicænae fidei consentiret , nibil cunctatus alaci animo coram Imperatore subscripsit , ea quæ de fide in Concilio statuta fuerant callidè ludificatus , cumque imperator admiratione captus jurejuringo insuper eum adigeret . ille per FRAUDEM ac SIMULATIONEM Istud etiam præstitit porro *fraus* ac simulatio quâ usus est in scribendo , sicut ipse accepi bujusmodi fuit opinionem suam Arius in charta conscriptam gerens sub ala occultabat , juravit ergo se animo ita sentire uti scripserat , in charta scilicet quam sub ala gestabat, ideo teste Athanasio. Egressus statim utpote pœnam perjurii daturus , corruiit atque ita suspensus medius discrepuit. Et teste Gregor. Nazan. Oratione. Paneg. pro S. Athan. Arius petulantis & effrenæ lingue in obsecenis & impuris locis extinctus est: atque orationis non morbi viribus oppressus ob eamdem verbi proditionem diruptus est.

CONSECTARIUM IV. Peccat mortaliiter , qui hostes etiam publicos fallit jura mentis *æquivocis*; qui à ex eo, quod hostes sint , non desinunt esse proximi ; & , ut optimè ait Ferrandus, Eccl. Carthag. Diaconus. Fixus sit & immutabilis sermo , cuius fides est

*adhibitus testis Deus. Et Aug. Epif. olim 224 jam
125. laudat Romanos, qui eum dignitate Se-
natoriam privarunt, qui post juramentum etiam
æquivocè factum pœnorum castra repetere
noluit: non attenderunt, inquit, qui eum Se-
natus pepulerunt, quid ipse jurando cogitasset,
sed quid ab illo quibus juraverat exspectarent,
nec legerant quod nos & usquequaque cantamus.
Qui jurat proximo suo & non decipit.*

C O N S E C T A R I U M V. Qui interroga-
tur injustè v. g. reus à judice illegitimo, via-
tor à latronibus, mulier occultè adultera à
marito, &c. Hi omnes non possunt jurare
æquivocè; quia inusta interrogatio non dat
jus frustrandi juramentum suo fine: Sed pos-
sunt prudenter celare veritatem. Tales perju-
ros Aug. vocat Belluas ab hominum societate
expellendas. Da alium, inquit qui scit falsum
esse; & dicit verum esse, & jurat tanquam
verum sit, quod scit factum esse; vi-
detis quam destestanda illa bellua sit, &
de rebus humanis exterminanda, quis enim
hoc fieri velit: omnes homines talia detes-
tantur, serm. 28. de verbis Apost.

C O N S E C T A R I U M VI. Quando inter-
rogamur à pœnitentibus quo pacto jurare
oporteat, hortandi sunt pœnitentes ut num-
quam æquivocè jurent, sed veritatem præci-
puè in juramentis plusquam omnia diligent,
& cavendum maximè ne consulti modum ju-
randi vel per æquivationem vel per res-
trictionem mentalem doceamus. De hoc ita
Aug. cont. Mend. cap. 18. *Et sunt in eis
docti, qui etiam regulas figant, finesque con-
stituant, quandò debeat, quandò non d. beat*

pejerari? Ubi estis fontes lacrymarum? & quid faciemus? quo ibimus? ubi nos occultabimus ab ira veritatis? si non solum negligimus carere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria.

C O N S E C T A R I U M VII. Cum agitur de juramentis ambiguis & æquivocis, si quæstio sit de juramento faciendo, abstinendum omnino à juramento æquivoco; quia est verum perjurium. Si vero quæstio sit de juramento æquivoco facto, servanda est hæc regula: quam tradit D. Tho. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. Quandò non est eadem jurantis intentione, & ejus, cui juratur; si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sicutum intellectum ejus, cui juramentum praestatur.... Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis.

§. III.

An peccatum sit jurare pro re vera; sed levis & exigui momenti.

P R O P O S I T I O unica. Peccat quicumque jurat pro re verâ, si sit vana, & exigui momenti.

Probatur 1º. Script. *Non usurabis nomen Domini Dei tui frustrâ; quia non erit impunitus, qui super re vanâ nomen ejus assumpserit.* Deut. 5. v. 11.

2º. Ex Concil. Troslejano ann. 909. Can. 11. *Ille nomen Dei sui in vanum assumit, qui in qualibet frivola re, & in dolo jurans proximo suo, aliquando in causâ non necessariâ, vel in verbo otioso, nomen sanctum ejus in tali vanitate assumere non pavescit.*

3°. Ex Catechis. Trident. *Nisi consideratio; ac diligens animadversio antecesserit, sanè iurandum præcips ac temerarium erit; cuiusmodi est illorum irreligiosa affirmatio, qui in levissima & inani, nulla ratione aut consilio, sed pravâ quâdam consuetudine jurant. Id paf- sim quotidie à venditoribus & emptoribus fieri videmus*

3°. Ratione. Ea res vilis & vulgaris habetur, quæ usibus quibuslibet applicatur: Ergo nomen Dei vile & vulgare redditur, cum veris quidem, sed supervacaneis rebus adhibetur; & proinde peccat, qui pro re vanâ attestandâ, etiamsi verâ juramento utitur... Et si vestibus dignitatem quamdam præferentibus non utamur, nisi in solemnioribus occasionibus, à fortiori decet nos sanctissimum Dei nomen, nonnisi in urgentissimis casibus, attestari. Ut monet Theodore. interrog. 41. in exodus. Cum autem iuramentum pro re vana, sed vera non privetur fine principali qui est confirmatio veritatis, iuramentum vanum, sed verum censemur vulgo peccatum dumtaxat veniale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant saltē venialiter qui extra necessitatis causam jurent, etiamsi verum jurent, sive id fiat ex levitate, sive ex voluptate, sive en consuetudine; quia temeratur Dei nomen, si promiscue in colloquiis nostris interseratur.

C O N S E C T A R I U M II. Quandō juraturi sumus, debemus non solum attendere, an

res

res vera sit, sed insuper an sit adeò insignis & necessaria, ut juramentum mereatur.

CONSECTARIUM III. Hæc est optima jurandi cautio, ut nunquam juremus, nisi vel in causâ publicâ, vel cum Dei honor, aut utilitas proximi juramentum exigunt, ut factum vidimus à viris Sanctis... Sic Abraham & Isaac cum Abimelech publico nomine juramento fœdus ineunt. Gen. 21... Sic Laban & Jacob, licet privati fortè homines, juramento fœdus sanciunt, Gen. 31... Sic Boos, licet vir privatus, promissum coniugium Ruth confirmat. Ruth. 3... Sic Abdias licet privatus juramento afflaverat, quod vult Eliæ persuadere 3. Reg. 18. In causis verò levibus non videmus viros pios jura-menta usurpare.

§. IV.

Quale peccatum sit jurare pro re illicita.

PROPOSITIO unica. Qui jurat pro re injustâ & illicitâ facienda, peccat mortaliter, si res facienda sit peccatum mortale.

Probatur 1º. Script. Exemplo Jezabel & Herodis; hæc jurando mortem Naboth; hic verò jurando mortem Joannis Baptistæ, gravioriter peccarunt, sed gravius deliquerunt ne sandum juramentum execundo.

2º. Ex Concilio Illerdensi ann. 524. Can. 7. Qui sacramento se obligavit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemo-

finis, & fletibus, & quanis potuerit jejuniis;
absolvat; ad charitatem vero quae operit multi-
tudinem peccatorum, celeriter venire festinet...
quae omnia satis indicant juramentum illud
esse peccatum mortale.

3°. Ex D. Thom. 2. 2 q. 98. a. 2. ad 1.
Ille, qui jurat se facturum aliquid illicitum,
jurando incurrit perjurium propter defectum
justitiae, & si non impleat, quod juravit in
hoc perjurium non incurrit; quia hoc non erat
tale quid, quod sub juramento cadere posset.

4°. Rat. Qui de illicitis jurat, facit Deum fau-
torem & approbatorem illius quod lege pro-
hibuit: atque ita facit Deum sibi contradicen-
tem; quia petit ut Deus ipsum puniat, si fa-
ciat, quod præcipit, vel si non faciat, quod
prohibuit, quod est Deo maximè injiosum.

Præterea qui sic jurat, aut habet proposi-
tum faciendi contraria Dei præceptum, quod
utique peccatum est, aut non habet, quod
si ita est, jurando allegat Deum testem men-
daciæ. Quo nihil Deo indignius.

Consecratio hujus doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat mortaliter,
qui jurat se commissum peccatum morta-
le v. g. se commissum blasphemiam, fur-
tum, homicidium, &c. Et novum pecca-
tum committeret, si injustum juramentum
exequeretur. *Juramentum enim, inquit D. Tho.*
non est servindum in eo casu, quo est pecca-
tum, vel boni impedivit, secundum enim
sancitum Aug. utrumque horum vergit in de-
teriorum exilium.

C O N S E C T A R I U M II. Peccat mortaliter, qui jurat se nunquam observaturum consilia Evangelica, se nunquam Religionem ingressurum, se nunquam Praelationem accepturum, et si illud expediat ad Ecclesiæ utilitatem. *Si quis autem, inquit D. Thom. jurat se non facturum aliquid melius bonum. quod tamen facere non tenetur; peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem spiritui, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat juramentum servando, sed multò melius facit, si non servet.* 2. 2. q. 89. a. 7 ad 2.

C O N S E C T A R I U M III. Videtur peccare mortaliter, qui scienter jurat se facturum aliquid, quod cognoscit esse peccatum veniale; quia non levis videtur Deo irrogari injuria, si tantum nomen invocetur quasi in peccati patrocinium & sicut semper est peccatum mortale confirmare aliquam falsitatem auctoritate Divini testimonii ita idem dicendum videtur, si quis se in malo auctoritate Divini testimonii confirmet.

C O N S E C T A R I U M IV. Juramentum promissorium de re mala non est adimplendum; quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis... *David, inquit August. juravit temere se occisurum Nabal, sed non implevit juramentum, majori pietate non servauit.* Serm. de decollatione sanct. Joan.

ARTICULUS III.

*Quæ conditiones requirantur ex parte jurantis
ut licitum sit juramentum.*

PROPOSITIO unica. Ut attestatio Divini nominis veram juramenti rationem habeat, requiritur ex parte jurantis deliberata intentio jurandi.

Probatur 1°. Script. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in justitia, & in judicio; in judicio, idest, cum discretione & deliberatione;* ergo jurans debet habere intentionem jurandi.

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 3. in corp. Ubi sic habet juramentum non est bonum, nisi ei qui bene utitur juramento. Ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discretè juret, & quantum ad hoc requiritur judicium scilicet discretionis ex parte jurantis. Judicium autem discretionis includit intentionem; ergo jurans debet habere intentionem deliberatam jurandi.

3°. Juramentum est actus Religionis; ergo importat intentionem deliberatam.

4°. A juramento judiciali excluduntur impuberes; cum pueri antè an. 14. non cogantur jurare. Concil. Illiberitanum an. 305. ergo jura requirunt maturam deliberationem in his, qui jurant; ergo intentionem jurandi.

5°. Damnata est sequens propositio. *Cum causa: licitum est jurare, sine animo jurandi,*

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccat peccato perjurii, qui jurat exterius sine intentione jurandi, pro quacumque re jurat. 1. Quia magna est irreverentia in Deum quod quis utatur testimonio primæ veritatis ad fallen-dum. 2. Quia talis modus jurandi simulatè est perniciosus & contrarius fuij juramenti. 3. Quia si semel permitteretur dolosa illa juratio prorsus everteretur fructus omnis ju-ramenti, & securitas quæ ex juramentis ex-pectatur. Unde à summis Pontificibus & à Clero Gallic. art. 12. damnata est sequens propositio. *Qui jurandi intentionem non habet, licet falso juret, non pejerat, et si alio crimi-mine tenetur, putà mendacii alicujus.*

Sic, qui interrogatus à legitimo judice simula-tè juramentum. Bis peccat; primò contra Religionem quia irreligiosè tractat rem sa-cram scilicet juramentum; secundò contrà obedientiam, quia non morem gerit legitimo superiori.

Sic, qui ex conventione tenetur jurare super aliquo contractu qui initur, si simula-tè jurat, bis pariter peccat; primò contrà Religionem quam tractat irreligiosè; secundò contrà publicam fidem quam violat.

Sic, qui ultroneè exterius jurat etiam pro veritate si sine intentione interiori jurandi exterius proferat verba juratoria gravissimè peccat, quia irreligiositas quæ est in jura-

mento illo simulato abstrahit *per se* ab eo , an sit verum , vel falsum quod profertur & censetur ex genere suo esse mortalis quia semper est illusio divini nominis etiam quando reperitur in materia verâ , semperque adversatur fini juramenti continetque mendacium quo decipitur ille cui fit juramentum . Recipit enim iste simulatum juramentum cum credit sincerum accipere .

C O N S E C T A R I U M II. Qui juramento promittit aliquid quod dubitat se posse exequi , peccat mortaliter ; quia exponit se periculo pejerandi . Et si ibi interveniar jurandi intentio non intervenit saltem intentio sincera exequendi quod juramento promittitur .

C O N S E C T A R I U M III. Peccat mortaliter , qui juramento promittit aliquid , quod sibi videtur impossibile , dum promittit ; quia tunc aut non habet intentionem jurandi , aut si habeat intentionem jurandi scienter se exponit periculo pejerandi , & proinde ex utroque capite gravissime peccat . De quo ita D . Thom . Si est , inquit , talis res , quae in ejus potestate non fuit , deest juramento discretionis judicium ; nisi forte quod erat ei possibile , quando juravit , reddatur ei impossibile per aliquem evenium , putandum aliquis jurat se pecuniam soluturum , que ei postmodum vi , vel furto substrahitur ; nam tunc enim videtur excusatus a faciendo , quod juravit , licet ieneatur facere , quod in se est . 2 . 2 . q . 89 . a . 7 . in corp .

ARTICULUS VI.

De Juramento promissorio.

Juramentum promissorium speciales habet difficultates quas sequentibus paragraphis resolvemus.

§ I.

Quæ sit obligatio adimplendi juramentum promissorium.

PROPOSITIO unica. Qui juramento promisit rem licitam, tenetur illam adimplere, nisi dispensetur.

Probatur 1º. Scripturā. Si in vacuum juraverit fratri suo, non justificabitur; replebitur enim retributione pessimā d̄mus ejus. Eccl. 13. & rursus... Reddes autem Domino juramenta tua. Math. 5. Ergo tenemur adimplere id, quod juramento promittimus.

2º. Ex D. Antonino. Quandò juramentum omni ex parte est licitum, tam ex parte jurantis, quam ex parte recipientis, & ex parte materie super quā præstatur tunc absolutio non est inpendenda; sed compellendus est jurans ad ejus observationem.... Immò nullā apparente causā intrinsecā. etiam Papa à tali juramento absolvere non potest. 2. P. Tit. 10. cap. 6. §. I.

3º. Ratione. Sicuti in juramento assertorio tenemur cavere à falsitate, ne faciamus Deum mendacem, & falso testem; ita in jura-

mento promissorio tenemur exequi id , quod promittimus , ut impediamus , ne Deus falsus testis , & sponsor infidelis habeatur , & rem juratam exequi , quoties id fieri potest absque peccato.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant , quicumque promisit juramento rem licitam , eamque sciens & volens non exequitur ; & peccatum eo gravius est , quo res promissa est majoris momenti ; quiā qui promittit , debet stare promissis , & debet impedire , ne juramentum promissorum privetur suo fine.

C O N S E C T A R I U M II. Qui juramento promisit se facturum rem indifferentem , etsi forte non teneatur eam adimplere ex naturā rei promissae , tenetur eam exequi ex vi juramenti , ne Deus fiat falsus testis . Si juramentum adhibeat , inquit D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 1. Propter reverentiam divini testimoni , quod invocatur , obligatur homo , ut faciat esse verum id , quod juravit secundū suam possibilitatem , nisi in deteriorem exitum vergat , ut dictum est.

Sic qui juravit se non bibiturum vinum , se non manducaturum carnes , &c. Tenetur adimplere juramentum ; quiā res illa , etsi indifferentis in se , ligat ratione juramenti.

Sic pariter , qui non ex pravo motu , sed justā ex causā , sibi subdito ministratus est pñnam , v. g. pater filio , herus servo ; magister discipulo , tenetur sub peccato adimplere juramentum , modò talis punitio non

fit causatura , aut scandalum , aut rixam , aut aliquod detrimentum ei , qui corrigitur.

C O N S E C T A R I U M III. Qui juramento promisit rem illicitam , vel in se , vel ratione circumstantiarum , non tenetur ex dictis adimplere juramentum. *Jurabis*, inquit Ezech. *in veritate & in iustitia*. Et D. Thom. *Sive rò id*, quod juratur , sit quidem possibile fieri , sed fieri non debeat , vel quia est per se malum , vel quia est boni impeditivum , tunc juramento deest iustitia ; & ideo juramentum non est servandum in eo casu , quo est peccatum , vel boni impeditivum. Ibid. *Juramentum enim ut habet regula juris in 6. Non potest esse vinculum iniquitatis*.

Sic si quis juraverit se facturum aliquid , quod sit peccatum , vel mortale , vel veniale , non tenetur exequi juramentum . . . Item si juravit aliquid ; quod impedit exercitium virtutis , non tenetur stare juramento. Sic qui juravit aliquid iratus , quo Deus possit offendii , servare juramentum non tenetur , v. g. si juraveris te non parciturum inimico , &c. *Magis te sic jurasse pœniteat* , dum complere , quod juraveris , pudet. Ferrandus Carthaginensis Diaconus , ad Reginum comitem.

§ II.

De conditionibus requisitis ut juramentum promissorium sit verè obligatorium.

P R O P O S I T I O unica Ut juramentum promissorium obliget , & coram Deo , & co-

Probatur 1^o. Script. Si quis virorum votum
Deo voverit, aut se constrinxerit juramento,
non faciet irritum votum suum; sed omne quod
promisit implebit... Sin autem, statim ut au-
dierit, contadixerit pater, vota & juramen-
ta ejus irrita erunt. Num. 30. quo indicatur
juramentum debere esse liberum, ut sit obli-
gatorium.

2^o. Ex capite. cum contingat extrà de ju-
re jurando, ubi dicitur: Mulieres ipsæ ser-
vare debent hujusmodi juramenta sine vi &
dolo, sed sponte præstata, cum in alterius præ-
judicium non redundant, nec observata ver-
gant in dispendium salutis æternæ. Ex quo rec-
tè colligitur à contrario; si hujusmodi jura-
menta, vel vi, vel dolo extorta fuissent, ea
non esse roboris ejusdem.

3^o. Ratione. D. Thom. In juramento, quod
quis coactus facit, est duplex obligatio, inquit
sanct. Doctor. Una quidem, quâ obligatur ho-
mini, cui aliquid promittit, & talis obliga-
tio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim
intulit, hoc meretur, ut ei promissum non ser-
vetur; alia autem est obligatio, quâ quis Deo
obligatur, ut impleat, quod per ejus nomen
promisit, & talis obligatio non tollitur in foro
conscientiae; quia magis debet damnum tempo-
rale sustinere, quam juramentum violare: po-
test tamen in judicio repeiere, quod solvit, vel
prælato denuntiare, non obstante quod contra-
rium juravit: quia tale juramentum vergeret
in deteriorem exitum; esset enim contrà justi-
tiam publicam. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3.

Consectaria hujus Doctrine.

C O N S E C T A R I U M I. Juramentum violenter extortum ligat, non quidem ratione promissi facti proximo, sed ratione juramenti facti Deo; sed juramentum illud debet à superiore relaxari, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. ubi sic habet Romani Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi jura-menta non esse obligatoria, sed quasi obligatio-nem ex justâ causâ relaxantes.

C O N S E C T A R I U M II. Juramentum fac-tum ex dolo, & ignorantia terminata ad substantiam rei, non ligat; ligat verò, si ignorantia terminetur solum ad circumstan-tias rei, quæ juramento promittitur; quia ignorantia quoad substantiam facit involun-tarium, minimè verò ignorantia quoad cir-cumstantias, ut patet exemplo juramenti quod Josué & Principes Israelitarum præstiterunt Gabaonitis; error enim versabatur circà ac-ci-dentia scilicet circà locorum distantiam; non verò circa substantiam scilicet quodd essent Gentiles, ideo ait Josué; *Juravimus eis in nomine Domini Israël & ideo non possumus eos contingere.* Et ita jurans se daturum annu-lum, quem putabat argenteum, qui tamen erat aureus, non tenetur juramento; quia error est circà substantiam. Jurans è contrà se daturum argentum Petro, quem putabat pauperem, tenetur dare, licet sit dives, modò pauperies non fuerit principale moti-vum promittendi; quia tunc error est circà accidentales circumstantias.

¶ MORALIS CHRISTIANA

CONSECTARIUM III. Juramentum metu gravi extortum non ligat, si metus totaliter absorbeat usum rationis; quia quando metus absorbet usum rationis, tunc promissio non est libera; & proinde non potest vim obligatoriam inducere.

CONSECTARIUM IV. Juramentum metu levi factum ligat; quia metus levius non tollit usum rationis, nec proinde libertatem.

CONSECTARIUM V. Juramentum metu etiam gravi factum ligat, modò metus non absorbeat usum rationis; quia quod ex metu facimus, voluntariè facimus, qui tamen ex metu jurarunt, possunt à superiori petere damni, si quod passi sint, reparacionem, totum hoc patet ex capite, *Debitores extra.* De jure jurando, ubi dicitur eos, qui simplici promissione obstrinuerunt se ad usuras solvendas, non debent cogi ad solvendum, bene tamen si juraverint, sed eos interim posse, quas solverint usuras, coram judice repetere.

§ III.

De modo secundum quem obligat juramentum promissorium.

R O P O S I T I O unica. Juramentum promissorium obligat juxta intentionem rationalem jurantis promissum, & juxta sanum intellectum illius qui idem promissum acceptat.

Probatur 1°. Script. Non perjurabis reddes autem Domino juramenta tua. Math. 5. & de votis

votis dicitur, *vota mea Domino reddam*, Ergo sicut votum obligat juxta intentionem rationalem voventis, ita & juramentum obligat juxta intentionem rationalem jurantis promissum.

2^o. Ex D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4.
Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis. Et quest. 98. a. 2. ad 4. sic habet. *canonicus qui jurat se servaturum statuta edita in aliquo collegio, non tenetur ex juramento ad servandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia statuta præterita & futura.* Tenetur tamen ea servare ex ipsa vi statutorum, quæ habent coactivam virtutem. Ergo juramentum obligat juxta intentionem rationalem jurantis.

3^o. Ratione. Juramentum & votum sunt quasi quædam lex quam sibi quilibet privatus homo constituit, ergo sicut lex ligat juxta intentionem rationalem Legislatoris, votum pariter & juramentum obligant juxta intentionem rationalem voventis & jurantis; cuius autem juramentum promissorium cedat in bonum alterius attendendum est sanus intellectus illius qui acceptat promissum.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Juramentum simulatum quod sit absque intentione jurandi non inducit per se obligationem, quia juramentum sine intentione jurandi non est juramentum, sed perjurium, deinde generaliter verba non habent vim inducendi obligationem nisi ratione consensus, consensus

autem non reperitur ubi non est intentio.

Dixi *per se*, quia in juramento simulato potest esse obligatio ex causis extrinsecis, v. g. ratione injustitiae quae inde sequitur, putata si quis ob tale juramentum damnum aliquod patiatur ut si puella consenserit in petitionem adolescentis, qui dolosè & sine intentione promisit & juravit se illam ducendum. 2°. Ratione scandali quod enascetur, si jurans non adimpleret quod juramento promisso creditur.

CONSECTARIUM II. Qui verè habet intentionem jurandi, quamvis intentionem habeat non se obligandi, tenetur tamen adimplere quod juravit, quia licet in hominis voluntate sit jurare vel non jurare, non est tamen in ejus voluntate aut potestate juramento praestito non obligari, naturali enim quādam necessitate sequitur obligatio ex juramento & irrationalis est voluntas non obligandi se per juramentum; non enim potest esse vis validior obligans quam divina Religio, & sicut cum quis utitur juramento assertorio obligatur ad dicendum verum & perjurus est si dicat falsum, ita cum quis utitur juramento promissorio, tenetur verum efficerre quod jurando promisit circa quod Aug. ait super illud Domini est terra. *In dolo jurat qui aliter quam facturus est promittit, cum perjurium sit nequiter decipere credentem, & super Psal. 51. Quid est inquit lingua dolosa? ministra fallacie est lingua dolosa, aliud in corde habentium, aliud ore promentium*

CONSECTARIUM III. Juramentum promissorium quamvis absolutè factum im-

portat quasdam conditiones rationaliter sub-intellectas; quia hæc est justa jurantis intentio.

Prima est *si potuero* quia, ad impossibile nemo tenetur; Hinc qui juravit se daturum pecunias, non ligatur juramento si fiat pauper.

Secunda est *salvo jure superioris*. Hinc qui jurat se servaturum secreta ei commissa non tenetur juramento, si secreta commissa vergant vel in damnum commune reipublicæ, vel in damnum privatum alicujus tertii quod jurans teneatur impedire, id constat ex cap. *venientes de jure jurando*, ubi dicitur quod in juramento intelligitur jus superioris exceptum.

Tertia *Si res notabiliter mutatae non sint*, ut patet ex D. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. Ubi dicitur quod *ut homo teneatur facere quod promisit requiritur quod omnia immutata permaneant*. Hinc sponsus post jurata sponsalia potest resilire, si ejus compars labatur in fornicationem, vel in gravem morbum, quia res non manet eadem. Hinc qui juravit se ad carcerem redditum non præviso mortis periculo, si postea prævideat, non tenetur, quia res non manet eadem.

Quarta. *Si res promissa non repugnet statui perfectionis*. cap. ex publico de convers: conjug. Hinc per sponsalia jurata non obstat quominus quispiam possit intrare in Religionem.

CONSECTARIUM IV. Reus non est perjurii qui ob justam legitimamque causam juramentum non implet, quia sicuti ob justam legitimamque causam dispensamur à lege, ita & à juramento promissorio.

Sic juxta Raymundum lib. i. de juramento & perjurio non teneor servare fidem ei qui fidem prior infringit : *promisimus inquit & firmavimus nobis iuvicem fidem & pacem, fregisti mihi, non teneor postea servare, additque nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento, vel fidei obligatione interposita conditione firmasset, aliquatenus teneris si constat eum conditioni minimè paruisse.*

C O N S E C T A R I U M V. Cum juramentum promissorum cedit in solam Dei gloriam, potest sicut votum mutari in melius sola autoritate jurantis: in æquale, vel in minus bonum autoritate superioris, quia intentio Dei acceptantis juramentum promissorum, hæc est, ut jurans possit semper ad statum perfectiorem tendere, & ut pariter rem juratam ex sola dispensatione possit licetè omittere.

Sic jurasti te statum Clericalem amplectum, potes autoritate propriâ juramentum mutare in melius & amplecti statum Religiosum, sed jurasti amplecti statum Religiosum, non potes nisi ex dispensatione statum Clericalem amplecti, quia ut supponitur status Religiosus est perfectior & tutior statu Clericali.

C O N S E C T A R I U M VI. Juramentum promissorum cedens in bonum promissarii quando potest honestè impleri, nequit etiam in melius commutari invito rationabiliter promissario, quia juramentum promissorum ligat juxta intentionem justam promittentis & promissarii.

Sic qui juravit servire alicui domino non

poteſt licetē illud ſervitium prætermittere , ut miniftriæ ægrotis in hospitio pauperum quamvis hoc ſit melius.

Sic , qui juravit in aliqua congreſatione permaſurum ut munia illius congreſationis obeat , v. g. ut doceat pueros ut ſit apud Patres Oratori , apud Patres Doctrinæ Chriſtianæ. Non poteſt licetē ab illa congreſatione exire ſine licentia , ut vacet miſſionibus , ut Vicariatum fuſcipiat , &c. quamvis iſtud ſit forte melius.

§ IV.

Quomodo tollatur obligatio juramenti promiſſorii.

Obligatio juramenti promiſſorii ceſſat, vel per autoritatem superioris diſpensantis à ju- ramento , vel irritantis ju- ramentum . vel ob deformatatem quæ accidit rei promiſſæ per ju- ramentum , ut fuſe diximus ubi de voto ; ſed quia ju- ramentum promiſſorium habet il- lud ſpeciale quod ejus obligatio ceſſet per relaxatiouem ejus cui facta eſt promiſſio ; ideo hī ſolū agemus de relaxatiōne ju- ramenti.

PROPOSITIO unica. Obligatio ju- ramenti promiſſorii ceſſat per relaxatiōne il- lius cui facta eſt promiſſio.

Probatur 1°. Script Gene. 24. dicitur quod Abraham mittens ſervum ſuum in Mesopo- tamiam ad quaerendam uxorem Isaac , exegit ab illo ju- ramentum , hanc tamen addens con- ditionem. v. 7. *Sin autem mulier noluerit fe-*

qui te, non teneberis juramento, ergo juramentum promissorium ligat juxta intentiōnem promittentis & promissarii, ergo ejus obligatio solvi potest per eum in cuius emolumētū factū est.

2º. Ex Aug. Epist. aliās 241. nunc 62. quidam Clericus nomine Timotheus jurans se ab Episcopo non recessurum, non est perjurii reus, si ipso permittente ab eo recedat, ergo juramentum promissorium licet relaxatur per eum in cuius gratiam factū est.

3º. Ex D. Thom. 2. 2. q 79. a. 9. ad 2. Homo potest aliquid alteri promittere sub juramento duplicitē; uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius, putā si sub juramento promittat se servitūrum ei, vel pecuniam daturum, & à tali promissione potest absolvere ille, cui promissio facta est; intelligitur enim ei jam soluisse promissum, quando facit de eo secundūm ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum, putā si aliquis sub juramento promittat alicui se ingressurum Religionem, vel aliquod opus pietatis factūrum. & tunc ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem; quia promissio non est ei facta principaliter, sed Deo, nisi forte sit interposta conditio, ratione cuius possit, scilicet, si illi videtur, cui promittitur, vel aliquid tale.

4º. Ratione. Juramentum promissorium est quasi debitum solvendum creditorī, atqui debitum cessat hoc ipso quod remittitur à creditore, ergo & juramentum promissorium, hoc ipso quod remittitur ab eo in cuius gratiam factū est,

consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Qui jurat se daturum aliquid alteri quantumvis illud sit excellens aut necessarium aut justum ; eximitur à juramento , hoc ipso quod promissarius relaxat quod promissum est. Sic sponsalia , etsi juramento firmata , solvuntur per remissionem partium contrahentium. Sic fœdera inter principes inita , etsi juramento firmata , cessant per remissionem eorum in quorum emolummentum cedebant.

C O N S E C T A R I U M II. Qui juramento aliquo devovet se alicui communitati , potest per eamdem communitatem ab ea obligacione absolvi. Sic qui jurat se permansurum in aliquâ congregacione , eximitur à juramento , si eadem congregatio ei remittit obligacionem juramenti.

C A P U T III.*De Imprecatione.***A R T I C U L U S I.**

Explicatur quid & quotuplex sit Imprecatio:

Imprecationis est actio , quâ nobis , vel aliis malum precamur , imprecationis est duplex ; imprecationis iræ ; imprecationis juramenti Imprecationis iræ est actio , quâ nobis vel aliis ex impetu iræ malum optamus.

Imprecationis juramenti est actio , quâ nobis

vel aliis malum optamus , si quod juramento , vel assertimus , vel promittimus , non sit verum , talis actio solet vocari , *juramentum execratorium*.

ARTICULUS II.

An imprecatio sit peccatum & quale.

PROPOSITIO unica. Qui sibi vel alteri ex motu iræ deliberatō imprecatur ingens malum , mortaliter peccat & si adsit , qui audiant ejus imprecationem , peccat peccato scandali. Peccat vero venialiter , si adsit vel levitas materiæ , vel indeliberatio.

Probatur 1°. Script. *Nolite errare , fratres , nequè fornicarii nequè MALEDICI , nequè rapaces , regnum Dei possidebunt.* I. ad Corinth. 6. v. 9. Ergo maledictio est peccatum mortale.

Probatur 2°. Ex D. Thom. *Maledictio , de qua loquimur , est , per quam pronuntiatur malum contrà aliquem Velle autem , vel imperio moveri ad malum alterius secundum se repugnat charitati , quâ diligimus proximum , volentes bonum ipsius , & ita secundum genus suum est peccatum mortale , tanto gravius , quanto personam , cui maledicimus , magis amare , & revereri tenemur , unde dicitur.* Lev. 20. qui maledixerit patri suo , & matri , morte moriatur. 2. 2. q. 76. a. 3. in C.

3°. Ratione. Imprecatio est peccatum contrà charitatem , quâ jubemur & nos & proximum diligere ; & ideo est peccatum mortale , nisi adsit indeliberatio , vel levitas materiæ , vel aliqua alia circumstantia quæ ef-

ficiat quod maledictio, quæ ex genere suo est peccatum mortale, fiat peccatum veniale, contingit tamen, inquit D. Thom. ibid. verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur: vel etiam propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ex levè motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert, quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat mortaliter qui ex motu iræ deliberato precatur sibi ingens malum, v. g. erumpit in tales voces, moriar, suffocer, invadat me diabolus, detrudar in infernum, &c. quia maledictio contra se ipsum est peccatum mortale.

C O N S E C T A R I U M II. Peccat mortaliter qui motu iræ deliberato optat alteri ingens malum, v. g. erumpit in istas voces, pereat, evanescat, annulletur, &c. Quia maledictio contra alterum est ex suo genere peccatum mortale.

C O N S E C T A R I U M III. Peccat mortaliter qui motu iræ deliberato rebus etiam irrationalibus, tum suis, tum alienis optat ingens malum, v. g. erumpit in tales voces, pereat omnino res illa, desinat, destruatur, &c. 1º. Quia ira vehementer rationem perturbans est peccatum mortale. 2º. Si res ad proximum pertineat, optat ei insigne detrimentum; si vero res ad maledicentem pertineat, pessime abutitur rebus

suis ; non enim ita est bonorum suorum dominus , ut pro libito possit ea perdere , vel dilapidare , si verò maledicat creaturis irrationalibus , tum suis , tum alienis , sine pravo affectu , vanum est , otiosum & proinde illicitum.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant mortali-
liter qui verba illa inordinata proferunt , si significationem verborum advertant , quamvis actualem & explicitam intentionem nocendi non habeant , sicut diximus de blasphemiam ; quià qui liberè profert verba maledictionis , semper scandalum ingerit audientibus , & plerumquè censetur velle ea , quæ verbis maledicis exprimuntur. *Non excusat-*
tur , inquit Sanctus Antoninus , quod ex su-
bitâ irâ hoc facit , vel ex more , sicuti non ex-
cusatur ab homicidio , & consequentiâ pœ-
nâ mortis , si quis ex impetu hoc ageret : male-
dientes ei disperibunt , idest , diversis modis
peribunt , scilicet in præsenti & in futuro
sæculo.

C O N S E C T A R I U M V. Peccat mortali-
ter peccato maledicti , & peccato perjurii ,
qui sibi vel aliis precatur ingens malum , ju-
rans mendaciter ; quià maledictum est pec-
catum mortale , & quià perjurium est pecca-
tum mortale ; & ita bis peccant , qui jurantes
mendaciter , in hæc verba prorumpunt , mor-
riar , diabolus me possideat , &c. Si verum
non dixero.

Si tamen verum dicerent , & adessent om-
nes circumstantiæ requisitæ ad juramentum ,
non peccarent , modò abesset scandalum.

CAPUT IV.

De Adjuratione.

ARTICULUS UNICUS.

*Quid sit Adjuratio, & quas conditiones habere
debeat, ut sit licita.*

ADjuratio est actio, quâ aliquid nomine Dei, vel petimus, vel jubemus. Et ita adjuratio vel orationem, vel jussionem, vel affinitatem cum juramento importat.

PROPOSITIO unica. Adjuratio quatenus est similis juramento, debet habere conditiones juramenti; quatenus est oratio, debet habere dotes orationis; quatenus jussio dotes jussionis.

Propositio patet ex dictis de oratione & juramento.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Sicut non licet jurare, nisi per Deum, vel per aliquid dicens ordinem ad Deum, ita non licet quemquam adjurare, nisi per Deum, vel per aliquid dicens ordinem ad Deum, v. g. per Christum, per Mariam, per Crucem, &c. Sic Paulus i. ad Thessal. 5. v. 28. ait: *Adjuro vos per Dominum.* Sic Ecclesia ait, *Ecce lignum Crucis fugite partes adversae, & rursus in nomine Domini discedite potestates tenebrarum, & omnes qui operamini iniquitatem.*

Sicuti non licet jurare, nisi in veritate, in justitia, & in judicio; ita non licet adjurare

60 MORALIS CHRISTIANA

in re , nisi pro re , quæ sit vera , justa , & magni momenti . Sic . Non licet adjurare , Dæmonem ut curiosa dicat , ut virtutem plantarum doceat , ut thesauros occultos detegat Christus , inquit Chrysost. dicens Spiritui immundo obmutesce & exi ab homine salutiferum nobis dogma dedit ne credamus Dæmonibus quantumcumque denuntient veritatem . Serm . 2 de Lazaro .

Sicuti non licet jurare , nisi seriò . & cùm debitâ intentione ; ità nec etiam adjurare Dæmonem , unde non licet in exorcismis jocosè compellare Dæmones sed seriò & in solam fidelium instructionem .

CONSECTARIUM II . Sicuti non licet orationem dirigere , nisi ad Deum , vel ad creaturas spirituales capaces beatitudinis Divinæ ; ità non licet adjurationem deprecatoriæ dirigere , nisi vel ad Deum , vel ad Sanctos , vel ad homines capaces beatitudinis , minimè verò ad Dæmones , vel animas damnatas , cum quibus nullum debemus habere commercium ; & proindè non licet Dæmones , vel damnatos adjurare deprecatoriè sed solum compulsivè .

CONSECTARIUM III . Sicut iussa non dirigimus , nisi ad eos , qui nobis subjiciuntur ; ità non possumus adjurationem imperativam dirigere , nisi ad eos , qui nobis subjiciuntur ; & quia Dæmones nobis subjiciuntur devicti à Christo , licet eos exorcismis , quibus Ecclesia utitur , adjurare secundum potestatem nobis traditam à Christo . Luc . 10 . Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones & super omnem virtutem inimici .

TRACT . II .



TRACTATUS SECUNDUS

De tercio Præcepto.

Tertium Præceptum his verbis exprimitur. *Memento, ut diem Subbati sanctifices.*

Finis hujus præcepti est, quod homo deputet aliquos dies ad vacandum rebus Divinis, qui dies Deo dicati, festivi dicuntur.

Præceptum illud est affirmativum, & negativum; quatenus affirmativum, jubet, ut vacemus rebus Divinis certis diebus; quatenus negativum, vetat id, quod potest nos impedire, ne eo tempore rebus Divinis infistamus.

CAPUT PRIMUM.

Premittuntur quædam scitu necessaria ad clarioriem hujus præcepti explicationem.

ARTICULUS I.

Quale sit præceptum de sanctificatione festorum? an naturale? an positivum?

PROPOSITIO unica. Præceptum de sanctificatione Festorum est naturale & positivum. Naturale, quatenus jubet, ut deputemus aliquos dies cultui Divino; positivum, quatenus tale tempus, eligitur post.

Tom. III.

F

62 MORALIS CHRISTIANA.
tiūs, quām aliud, tale exercitium potiūs,
quām istud.

Probatur 1^o. Script. Præceptum de sanctificatione Festorum est naturale; quia ponitur in Decalogo: *Memento, ut diem Domini sanctifices.* Exod. 20. v. 8. Est positivum; quia Apostoli & Ecclesia loco Sabbati substituerunt diem Dominicam.

2^o. Ex D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1.
Præceptum de sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum est partim morale, partim autem ceremoniale. Ergo pertinet ad jus naturale & positivum.

3^o. Ratione. Ratio naturalis dicit, ut cuiuslibet rei necessariæ deputetur aliquod certum tempus; Sic certum tempus corpori nutritendo, & menti instituendæ eligimus: cum ergo nihil sit magis necessarium, quām exhibere Deo debitum cultum; Lex naturalis jubet, ut certo aliquos dies divino cultui consecremus. Et quia Lex naturalis non determinatur, nisi per positivam, ad Legem positivam pertinet. 1. Seligere, quinam debeant esse dies festivi. 2. Quibus ritibus sint celebrandi.

Et ita ad observandum præceptum de sanctificatione festorum, duo debemus attendere. 1. Jus naturale. 2. Jus positivum; examinando, quid jus utrumque præceptis affirmativis jubeat, quid vero præceptis negativis prohibeat; quia aliter haberi nequit distincta hujus præcepti notitia.

Consecratio hujus doctrinae:

CONSECTARIUM I. Sistendo intrâ

ius naturale, homo sive vixerit sub Lege naturae, ab Adamo usque ad Moysem, sive sub Lege Mosaica, à Moysè usque ad Christum, sive sub Lege Evangelica à Christo usque ad nos, tenetur ex præcepto affirmativo diebus festis animam & corpus Deo specialius, quam aliis diebus consecrare. Mens debet actus fidei, spei, charitatis, & Religionis elicere; quiā Deus non aliter colitur, quam illis virtutibus. Corpus vero debet applicari exterioribus exercitiis per predictas virtutes imperatis. Ex præcepto vero negativo homo ita debet animam & corpus diebus festis dirigere, ut fugiat quidquid predictos actus Religionis tam interiores, quam exteriores posset impedire.

CONSECARTUM II. Si attendatur jus positivum, homo tenetur eos dies sacros habere, quos ut tales jus positivum determinat, & his ritibus vacare, quos Lex positiva jubet, ab his vero operibus abstinere, quos eadem Lex judicat observationi festorum contrarios; quiā Lex naturalis determinatur per positivam.

Sic in Lege naturae homo poterat observare istud præceptum juxta liberam sui arbitrii electionem; quiā tunc Lex naturalis determinabatur per arbitrium cuiuslibet rectæ rationi conforme.

Sic in Lege Mosaica Judæus tenebatur observare istud præceptum juxta determinationem Legis Mosaicæ; quiā subjiciebatur huic Legi.

Sic in Lege Evangelica homo tenetur observare istud præceptum, juxta determina-

64 MORALIS CHRISTIANA.
tionem Legis Evangelicæ; quia Christianus
subjicitur huic Legi.

ARTICULUS II.

*De varia determinatione Legis naturalis circa
observantiam festorum.*

PROPOSITIO I. Quæ fuerit determinatio Legis naturalis circa sanctificationem Festorum à tempore Adami usque ad Moysen non constat, sed sicutam talem determinationem pependisse à rationali arbitrio cuiuslibet, vulgo tenetur.

PROPOSITIO II. Determinatio Legis naturalis per Legem Mosaicam circa sanctificationem Festorum est hujusmodi.

1°. Quoad dies Festivos.

Dies Festivi apud Judæos erant... 1°. Finis hebdomadæ seu dies Sabbati... 2°. Initium mensis lunaris seu dies neomeniæ num. 28. v. 11. 3°. Festum Paschæ seu dies septem Azimorum. Exod. 12. v. 4. 4°. Festum Pentecostes seu dies primitiarum, messis & fructuum. Exod. 23. v. 16. 5°. Initium anni seu prima dies mensis Tysri id est Septembri. Levi. 23. v. 24. 6°. Dies veniæ & pœnitentiæ. Levi. 23. v. 27. 7°. Festum tabernaculorum. Lev. 23. v. 34. Sunt & alii Festi dies apud Judæos, ut cum recolunt victoriam Judith, Machabæorum, & triumphum Esther contrà Aman.

2°. Quoad Ritus.

Ritus, quibus dies Festi celebrantur apud Judæos, is erat ut vacarent sacrificiis in

Templo Jerusalem , & lectioni Scriptura-
rum , & ut abstinerent ab omni opere servili.

P R O P O S I T I O III. Determinatio Legis
naturalis per Legem Evangelicam circa sanc-
tificationem Festorum est diversa à Lege Mo-
saica , omne cœremoniale abolitum est per
Christum , veritas enim est , cuius præsentia
figuræ omnes evanescunt , corpus cuius aspec-
tu umbræ diffugiunt ; & ita alia est deter-
minatio festorum in Lege Evangelica quam
in Lege Mosaica.

1. Quoad dies Festos.

Dies Festivi apud Christianos sunt 1. Dies
Dominica. 2 Festivitates Christi. 3. Festivi-
tates Mariæ Virginis. 4. Festivitates Sancto-
rum. Dies Dominica loco Sabbathi colitur ;
uti enim Deus die Sabbathi quievit ab opere
Creationis , ita & Christus eo die quievit ab
opere Redemptionis ; die Dominicâ Christus
Resurrexit à mortuis , & misit Spiritum Sanc-
tum in Discipulos ; die Dominicâ Joannes
vidit Apocalipsim. Apocal 1. Eodem die sanc-
ti Apostoli collectas faciebant. 1. ad Cor. 16.

Alii festi dies , aut ab Apostolis , aut à
primis Ecclesiæ Pastoribus instituti sunt , ut
passim docet Aug. D. Thomas docet Festa
Legis ita successisse festis Judæorum ; festo
Phase succedit festum Passionis Christi , &
Resurrectionis ; festo Pentecostes , in quo
data fuit Lex vetus , succedit festum Pente-
costes , in quo data fuit Lex spiritus vitæ ;
festo neomeniæ succedit festum Beatæ Mariæ
Virginis , in qua primò apparuit illuminatio
solis , idest Christi per copiam gratiæ ; festo
tribagrum succedunt festa Apostolorum ; festo

66 MORALIS CHRISTIANA.

expiationis succedunt festa Martyrum & Confessorum ; festo Tabernaculorum succedit festum consecrationis Ecclesiæ ; festo cœtus atquè collectæ succedit festum Angelorum , vel etiam festum Omnis Sanctorum . 1. 2. q. 103. a. 3. ad 4.

2. Quoad Ritus.

Ritus , quibus dies festi celebrantur apud Christianos sunt . 1. Quod fideles videntur piis operibus , v. g. auditioni missæ , auditioni Verbi Dei , Officiis Divinis , &c. 2. Quod abstineant ab opere servili , quod ut tale determinatur ab Ecclesia .

ARTICULUS III.

De gravitate peccati , quod committitur violando Festum .

PROPOSITIO unica . Sanctificatio festi obligat Christianos sub peccato mortali . Probatur 1° . Scripturâ . Memento , ut diem Sabbati sanctifices . Exod . 20. v. 8. & Ezech . Videte itaque , ut Sabbathum meum custodiatis , quæ verba saltem non minus Christianos , quam Judæos respiciunt : Ergo sicuti tenebantur Judæi sub peccato mortali Sabbathum Judaicum custodire , ita & nos Sabbathum Christianum , ne Sanctum illud præceptum infringentes puniamur poenis spiritualibus , sicuti illi puniebantur poenis corporalibus .

2. Authoritate summorum Pontificum & Cleri Gallicani qui art . 6. damnarunt hanc propositionem : Præceptum servandi festa non obligat sub mortali , seposito scandalo , si absit contemptus .

3^o. Ratione. Præceptum naturale determinatum per legem positivam obligat sub mortali , quando materia est gravis , quia si quæ lex obliget sub mortali , maximè lex naturalis. Præceptum autem observandi festa est præceptum naturale determinatum jam per legem Evangelicam ; ergo obligat sub mortali.

4^o. Actus contrarius Religioni est peccatum mortale , & sacrilegium , si sit materia gravis : ergo cum violatio festi sit actus contrarius Religioni , erit peccatum mortale sacrilegii.

5^o. Ecclesia , ut pote respublica benè ordinata , habet potestatem condendi leges obligantes sub mortali ; cum de his , qui nolunt obedire Ecclesiæ , dicatur : *Si quis Ecclesiam non audierit , sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus* : Ergo cum Ecclesia determinat sanctificationem festorum , censetur obligare sub mortali ; quia materia est gravis.

Consectaria bujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Quidquid jus naturale verat , ut contrarium observationi festorum , debet censeri peccatum mortale.

Sic hæ occupationes , quæ ita mentem absorbent , ut impediant , ne diebus festis vacet , ut oportet , rebus divinis , debent censeri peccata mortalia sacrilegii. Talia sunt ea peccata , quæ toto die festo animum peccantis occupatum tenent ; etenim peccatum mortale sanctitatem aufert , quæ festis præcipue diebus debet , *aut amissa reparari*,

68 MORALIS CHRISTNAA
aut accepta augeri ... Talia etiam sunt ea
negotia , quæ omnino à sacris fidelem eo die
avocant.

CONSECTARIUM II. Quidquid jus
naturale jubet , ut per se necessarium ad ob-
servantiam festorum , quæ in eo sita est , ut
Deum tanquam supremum Dominum ha-
beamus , si omnino omittatur , debet cen-
seri peccatum mortale.

Sic cessatio ab omni actu interiori die fes-
to debet censeri peccatum mortale ; quia jus
naturale jubet , ut die festo aliquo actu Deum
colamus.

CONSECTARIUM III. Quidquid jus
positivum jubet , ut absolutè necessarium ad
observantiam festi , si omnino omittatur , de-
bet censeri peccatum mortale.

Sic cessatio ab omni cultu exteriori , v.g.
cessatio ab operibus præscriptis ab Ecclesiâ
sub mortali , debet censeri peccatum mor-
tale.

CONSECTARIUM IV. Quidquid jus
positivum Ecclesiasticum vetat , ut contra-
rium observationi festorum , debet censeri
peccatum mortale.

Sic opera servilia , quæ ut talia judican-
tur ab Ecclesiâ , debent habeti , ut peccata
mortalia.

CAPUT II.

De variis hominum operibus quibus, tum jure naturali, tum jure positivo sanctificatio festorum, vel violatur, vel promovetur.

ARTICULUS I.

De variis operibus hominis.

Opus hominis est duplex, opus animæ, & opus corporis.

Opus animæ est actio consistens in contemplatione, aut ad illam pertinens. Talis est volitio, intellectio, imaginatio, sensatio; & hujusmodi actiones vocantur liberales; & non serviles; quia si quis homini serviat, servit ei secundum corpus, & non secundum mentem... Actiones liberales continentur hoc carmine.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.

Opus corporis est illud, quod dependet maximè à membris externis.

Opus corporis est duplex, opus proprium servis, & opus commune servis & liberis.

Opus corporale servis proprium est illud, quod corpore exercetur, & ad Artes mechanicas pertinet; vocatur servile; quia est servis proprium, etenim si quis serviat alteri homini, servit non secundum animam, sed secundum corpus. Opera autem servilia istis carminibus comprehendi possunt.

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber,

70 MORALIS CHRISTIANA.
Mercatura, forum, nec non transvectio mercis,
Pingere, piscari, venari, & radere barbas.

Opus corporale communie servis & domini
nis est illud, quod corpore exercetur, & ita
communitè, ut æquè fieri soleat à servis,
ac à Dominis. Ejusmodi sunt, ambulare,
iter agere, &c.

ARTICULUS II.

*De his, quæ jure naturali specialiter prohibentur
diebus Festis.*

PROPOSITIO unica. Opera, per quæ
servimus diabolo, nimirum peccata, &
ea, quæ trahunt ad peccandum, semper pro-
hibentur, sed specialiter diebus festis.

Probatur 1°. Ex Script. Isaias loquens de
Judæis in diebus festis peccatum committen-
tibus, ait: *Iniqui sunt cœtus vestri: calen-
das vestras, & solemnitates vestras, odivit
anima mea: facta sunt mihi molesta; laboravi
sustinens.* cap. 1. v. 13. & Malachias 2. v. 3.
*Dispergam super vultum vestrum sterlus solemn-
nitatum vestrarum.* Ergò opera, per quæ ser-
vimus diabolo specialiter prohibentur die-
bus festis.

2°. Ex Concilio Ferojuliensi an. 790. cap.
13. Ubi loquens de festorum celebratione
sic habet. *Omnibus mandamus Christianis abs-
tinere primum omnium ab omni peccato,* Ergo
censet Concilium peccata diebus festis spe-
cialiter prohiberi.

3°. Ex. D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4.
ad 3. *Magis homo impeditur à rebus divinis*

per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale: ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Unde Aug. dicit in libro de decem chordis. Melius ficeret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditionis existeret. Et melius fœmine eorum die sabbati lanam facerent, quam quod tota die in neomeniis impudicè saltarent. Non autem qui peccat venialiter in Sabbato, contra hoc præceptum facit: quia peccatum veniale non excludit sanctitatem.

4°. Ratione. Homo debet semper peccatum fugere; quia peccatum murus est, quo à Deo disjungimur, juxta illud Isaïæ 59.v.2. *Iniquitates vestræ divisierunt inter vos & Deum vestrum.* Ergo debet præcipue peccata fuge-re diebus festis; quia tunc decet nos inti-mius conjungi Deo, unde ait Catechis. Trident. *Quò magis peccata à fidelibus uti-tanda sunt, quæ non solum animum à divina-rum rerum studio avocant; sed nos à Dei amo-re pro rorsus se Jungunt.*

Deinde homo non debet die festo alteri homini servire; ergo à fortiori inimicis Dei, scilicet peccatis, quod utique facit peccan-do, juxta illud Joan. 4. *Omnis qui facit pec-catum, servus est peccati.* 8. v. 34. ideo dicit Aug. serm. 270. in die Pentecostes. *Ille vere ob-servat Sabbathum qui non peccat.* Eò quod verè soli Deo serviat.

Demum sicuti Deus, licet Dominus om-nium, sibi aliqua consecrat, ita, licet Do-minus omnium temporum, sibi aliquos dies consecrat: ergo sicuti specialis culpa est

templum violare , ita specialis culpa est dies festos peccando transfigere , eo argumento utitur Canutus Rex ann. 1032. in suis legibus Ecclesiasticis a. 6. *Quamquam inquit nec ullo tempore danda est iustitiae venia , diebus tamen festis atque à locis Deo consecrais maximè prohibenda est procul iniquitas.*

Consecratio hujus doctrinae.

CONSECTARIUM I. Nunquam licet peccare , sed id vetitum est specialiter diebus festis ; quia peccatum eo tempore est gravius. *Gravius peccat , qui peccat in festo , putat furatur , fornicatur , quam qui in aliis diebus hoc facit ,* inquit Synodus Lingonensis , relata à Bochello fol. 575.

CONSECTARIUM II. Circumstantia festi non solum semper aggravat peccatum : sed etiam aliquando efficit ut duplex committatur peccatum , quod contingit dupliciter , vel quia peccatum ita diu durat , ut nullam relinquat diei partem cultui divino applicandam , vel quia ita mentem absorbet , ut eam per integrum diem cultui divino vacare impedit ; tunc enim in utroque casu duplex præceptum infringitur , scilicet . 1°. Præceptum sanctificationis festi quæ omnino per totam diem omittitur , 2°. Præceptum illud quod per actum peccati violatur , de hoc ita loquitur Halensis 3. P. q 32. de tertio præcepto art. 2. *Qui fornicatur , inquit , die dominico peccat duobus peccatis , secundum quod peccatum numeratur ratione reatus ,* licet

licet sit unus actus , sicut ille qui deflorando interficit virginem , dupliciter peccat ; uno actu interficiendo & stuprando . . . Similiter est hic Et Nicolaüs de Lyra in cap. 20. Exodi super illud sex diebus operaberis , ait. *Quis adulteratur illa die est transgressor duplicitis præcepti , scilicet Mœchiæ , & dici Sabbati.* Idem tenet Antoninus 1. P. tit. 9. cap. 7.

§. 2.

Dixi , si peccatum , vel per sui durationem , vel per sui malitiam nullam relinquat diei partem cultui divino insumendam ; quia si peccatum relinquat tempus , & audiendi missam , & vacandi per aliquam partem dici cultui divino , tunc circumstantia festi aggravat quidem peccatum ; sed non efficit ut duplex committatur peccatum : quia hoc præceptum affirmativum , *diem Sabbati sanctifices* , obligat quidem , *ad semper* , *sed non pro semper*.

C O S E C T A R I U M III. Omni tempore vitanda sunt ea quæ ducunt ad peccatum ; sed præcipue diebus festis ; quia tunc decet nos Deo esse magis addictos , & quia circumstantia festi semper aggravat peccatum , & aliquando efficit ut duplex committatur peccatum.

Sic diebus festis abolenda est popinarum frequentatio , chorearum & ludorum theatralium exercitatio , & alia hujusmodi , unde Conc. 3. Mediol. ann. 1573. de festorum observatione art. 1. ait : *Festis diebus , saltem horis , quibus divina celebrantur officia , interdistimus , ne saltationes , tripudia , choreæ ducantur , aut fiant , ne item comedie , ludi sce-*

74 MORALIS CHRISTIANA:
nici, vel theatrales, hastiludia, & alia cu-
jusvis generis spectacula agantur. Idem jubet
Concil. Bituricense an. 1583. tit. 6. can. 6.

CONSECTARIUM IV. Quando cir-
cumstantia diei festi non notabiliter aggra-
vat peccatum, tunc bonum est eam confi-
teri; sed id non est necessarium quia; cir-
cumstantiae peccatorum, aut nihil, aut pa-
rūm aggravantes non sunt confitendae; ut
dicemus ubi de confessione Sacramentali
de hac circumstantia festi Ludovicus Grana-
tensis docet expressè eam non esse confiten-
dam. Ita in suo memoriali cap. 7. §. 3. Idem
docet Covarruvias lib. 4. resolut. cap. 19.

CONSECTARIUM V. Quando circum-
stantia diei festi notabiliter aggravat pecca-
tum, vel efficit quod duplex peccatum com-
mittatur, tunc necessariò est confitenda;
quia de fide est circumstantiam quæ speciem
mutat esse confitendam; & probabilius si-
mul, & tutius est, eas circumstantias con-
fiteri quæ peccatum notabiliter aggravant.

CONSECTARIUM VI. In praxi bonum
est in confessione explicare circumstantiam
temporis sacri; quia hæc circumstantia sem-
per aggravat peccatum, ita author veræ &
falsæ pœnitentiæ. Consideret peccator, si pec-
catum commiserit, in loco sacro.... Si in
tempore orationi constituto, an in festivitate
Sanctorum.... Omnis ista varietas confiten-
da est & deflenda. Can. consideret.

Et D. Thom. opuscul. 22. alias 64. art. 5. Lo-
quens de circumstantiis confitendis ait cir-
cumstantiam temporis esse confitendam, quia,
inquit, *Gravius est caveri à missa, vel otjari*

in die Dominico , vel in festo solemnī , quām
in die alio simplici , & gravius est quoscum-
que peccatum in magna solemnitate , quām in
alio tempore. Et D. Bonaven opuscul. con-
fessionale. cap. 2. ait : *Interrogandum esse pœ-
nitentem de tempore quo peccatum perpetravit ,
utrum videlicet in tempore festivo , vel non
festivo.*

ARTICULUS III.

*De his quæ jure positivo prohibentur
diebus festis.*

PROPOSITIO I. Licet opera servilia ,
quæ exercentur per artes mechanicas , &
per quæ servimus homini , non sint ex se ma-
la ; temen sunt prohibita diebus festis , nisi
sit causa justa , quæ excuseret.

Probatur 1°. Script. *Omne opus servile non
facietis in eo* Lev. 23 v. 7. Opus autem me-
chanicum est opus servile : ergo , &c.

Ex Concil. Conc. Narb. ann. 1551. can 49. dies
festos ita celebrari præcipit. *Parochi inquit
suos omnes monant sub excommunicationis pœ-
na comminantes , ut dies festos colant cum ma-
xima erga Deum sinceritate & Religione à qua-
cumque , SERVILI , actione , ebrietate , blas-
phemia , &c. abstineant.* Concilium vero Bur-
digal. ann. 1583. Can 6. Postquam præmo-
nuit calamitates quibus premimur à violatio-
ne festorum profluere. *Magistratus , inquit ,
adhortamur , ut quod in ipsis maximè situm est ,
sacros dies illos ac solemnies piè sanctèque cele-
brai current , tabernas aperiri , vecturas ; &*

opera quævis rustica exerceri prohibeant.

3°. Ex Greg. Dominico die à labore terreno cessandum est, atquè omnino orationibus institendum, ut si quid negligentius per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expierur. Lib. II. Epis. 30.

4°. Ratione. Destinavit sibi Deus dies festivos: ergo non licet eisdem diebus alteri servire, & proinde opus corporale & servile exercere; quippe per opus corporale & servile, & non per opus spirituale homo servit homini. Deinde opus corporale & servile, defatigando corpus, mentem à divino cultu amovet; ut ait Cath. Trident. Ergo decet nos vacare à servilibus die festo Jam quæ sunt opera servilia, videamus. *Opera servilia sunt opera corporalia, quæ propriè pertinent ad servientes*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 122. a 4. Sed ut hæc notio distinctius appareat, sit.

PROPOSITIO II. Ad Ecclesiam pertinet determinare quænam sint opera, quæ habenda sunt ut *servilia* in lege Evangelica.

Probatur. 1°. Script. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis,* Math. 18. v. 18. Sed determinare, quænam sint opera servilia, est ligare conscientiam circa illa opera: ergo cum ex textu præcitatō pertinet ad Ecclesiam ligare, ad eamdem pertinere necesse est, determinare quænam sint opera servilia.

2°. Ex D. Thom. ibidem a. 4. ad 4. *Observantia diei Dominicæ in nova lege succedit observantiae Sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine*

populi Christiani. Ergo cum ad Ecclesiam pertineat determinare festa, ad eam pariter pertinet determinare, quænam sint opera, quæ ut servilia habenda sunt & sanctificationi festorum contraria.

3º. Quando præceptum aliquod naturale vel divinum est indeterminatum in Scriptura, ad Ecclesiam pertinet determinare modum, quo præceptum illud observandum sit: est enim regula infallibilis, & quo ad fidem, & quo ad mores: atqui præceptum de sanctificatione festorum est indeterminatum in Evangelio: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare quomodo observandum sit, & quæ opera sint sanctificationi festorum contraria, quæ verò non. Et sicut Ecclesia determinat, quomodo & quando jejunandum, qui cibi diebus jejuaui sint permissi, qui verò prohibiti: ita Ecclesia debet determinare, quinam dies sint festivi & quæ opera diebus festis permitta, quæ verò prohibita. De quo fusiū ubi de præceptis Ecclesiæ.

C O N S E C T A R I U M unicum. Ad cognoscendum, quænam sint opera servilia, non legem Mosaicam, sed proxim Ecclesiæ debemus consulere; & proinde multa opera debemus habere ut licita in lege Evangelii, quæ erant prohibita in lege Moysis; cuius diversitatis hanc assert rationem D. Thom. ibidem. Festorum observatio, inquit, in lege Evangelica non est singularis, sicut fuit observatio Sabbati in veteri lege, & ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbati; sed quedam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati

prohibebantur; sicut decoctio ciborum & alia hujusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis facilis, propter necessitatem, dispensatur in novâ, quam in veteri lege quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico preterire oportet: opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco & tempore. Ideo opera quæ servilia habebantur apud Judæos possunt permitti ab Ecclesia.

PROPOSITIO II. Juxta præsentem Ecclesiæ praxim servilia censentur. 1^o. Opera mechanica. 2^o. Opera forensia & nundinalia. 3^o. Opera ad artes mechanicas accedentia.

Probatur 1^o. Ex variis Concil. Provinc. Concil. Arelatense 6. ann. 813. Can. 16. iubet à rurali & servili opere cessari penitus, diebus Dominicis, & vetat eisdem diebus publica mercata, causarumque disceptationes exerceri. Concil. Parisiense, ann. 829. Can. 50. Mercatus, placita, & ruralia quaque opera interdicit.

2^o. Autoritate Pii V. Constit. quæ incipit, cum primum. Fideles, inquit, diebus festis. 1^o. Ab omni illicito & servili opere abstineant. 2^o. Mercatus non fiant. 3^o. Profane negotiationes & judiciorum strepitus conquescant.

3^o. Ex Codice Justiniano titul. 12. de febris. Omnes judices, urbanæque plebes, & canticarum artijum officia venerabili solis die quiescant.

Hinc patet ex præsenti Ecclesiæ praxi & determinatione diebus festis prohiberi. 1^o. Opera mechanica, 2^o. Opera forensia,

& nundinalia. 3º. Opera ad mechanicas artes, aut pertinentia, vel accendentia; quæ singula, ut sigillatim & distinctè appareant, quædam more sotito subjiciemus consecatoria, ab eruditis quidem ex probationibus allatis jam præintellecta; sed quæ rudioribus, quibus res non ita obviæ sunt, non erunt fortè inutilia.

Consecatoria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant hi omnes, qui diebus festivis exercent opera mechanica, isto carmine contenta.

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Sunt enim opera, quæ ab Ecclesia judicantur, ut servilia: sunt quippe ejus naturæ, ut per ea homo alteri homini propriè serviat. Unde peccant.

Rus. Id est qui vacat agrorum culturæ, v. g. arat, seminat, colligit fructus, ita capitulare Caroli magni vel potius Episcopi curâ Caroli magni congregati lib. primo cap. 75. *Statuimus secundum quod in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur . . . Nec viri ruralia exerceant opera, id est nec vineam colendo, nec in campus arando, nec in metendo, vel fænum secando.*

2º. Nemus. Qui vacat nemorum plantationi v. g. vineas, arbores plantat aut ordinat. De quo idem Capitulare ait, *nec sepem ponendo, nec in silvis stirpando occupentur.*

3º. Arma. Qui vacat armis fabricandis, quia

arma fabricare opus servile est, item qui extra necessitatem diebus Festis incumbit bellorum exercitio, de quo ita D. Thom. 2. 2. q. 40. n. 4 in C. Pro tuitione reipublicæ fidelium, licetum est justa bella exercere diebus festis: si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis imminente tali necessitate, vellet à bello abstinere. Sed necessitate cessante non est licetum bellare in diebus festis. Idem habet Nicolaüs ad consulta Bulgarorum cap. 34. ubi sic habet. Die Dominico, vel cæteris festis diebus quando necessitas urget, liceat ambulare vel ad bellandum procedere.

4^o. Rates. Qui vacat navibus struendis, onerandis, exonerandis; naves enim struere non minus est opus servile quam struere domos, hoc autem prohibetur lib. 1. cap. Caroli magni cap. 75. his verbis, nec in petris laborare nec, domos struere diebus festis liceat.

5^o. Vulnera. Qui extra necessitatem vacat exercitio Chirurgiæ aut Pharmacopolæ, v. g. Anatomiæ incumbit, unguenta parat, &c. quia hæc opera sunt scrupilia & mechanica ut innuit Aug. lib. 1 de musica cap. 4. ubi ait quod hoc vocabulo Chirurgia satis significatur operaria quadam in manibus medendi consuetudo. Si opus illud sit mechanicum non potest diebus festis nisi propter necessitatem permitti.

6^o. Lana, qui vacat lanificio v. g. tondet oves, lanam lavat. De quo idem Capitulare ait, item fœminæ opera textilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel accupicibile faciant, nec lanam carpere, nec linum

batuere, nec in publico vestimenta lavare, nec ervices rondere habeant licium. Idem dic de filo & rebus sericis.

7º. *Faber.* Qui vacat rebus fabrilibus sive circà petras poliendas, sive circà ligna, sive circà metallia. De quo ita Concilium Meldense an. 945. can. 74 ubi octo dies Paschales inter festivos recensens ut tunc moris erat ait. *Dies quoque octo sacrosancte Paschalis festivitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynaeceo, clementario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac Sacramentis exigendis; quatenus eisdem diebus tantò licentias, quantò liberias, omnibus Christianis sancte resurrectionis laudibus, & sacrosancte prædicationi jugiter insistere liceat, quod si quis temerare præsumperit, excomunicetur.*

CONSECTARIUM II. Peccant, qui vacant operibus isto carmine contentis.

Mercatura, forum, nec non transvectio mercis.

Quià hæc opera judicantur ut servilia. ab Ecclesia *Mercatura*; *mercatus* alii sunt minus solemnies qui recurrent sèpiùs in eadem hebdomada; alii verò magis solemnies qui solum recurrent ter quaterve in eodem anno, vocanturque nundinæ.

Mercatus minus solemnies qui sèpius in eadem hebdomada recurrent non sunt liciti diebus festis ut cavetur multis Conciliis Synodus Romana sub Eugenio. II. ann. 826. Can. 30. ita loquitur. *Constat omnes omnino observare, ut die Dominico nullas audeant operationes mercationesque peragere, præter in-*

82 MORALIS CHRISTIANA
cibariis rebus, pro itinerantibus, ita ut liberè possint ac debitè in eo secundum possibilitatem omnes ad Ecclesiam concurrere.

Constitutio verò Riculsi ann. 889. Cap. 18. sic habet. Mercationes verò quæ divinis & humanis legibus prohibitæ sunt, & nunc denuò diebus Dominicis à quibusdam excentur, modis omnibus inhibemus, & vobis inhibendas omni studio canonica autoritate dicernimus. Et Concilium Grateleanum ann. 928. Cap. 6. sic jubet. Die autem Dominico nemo mercatram facito, id quod si quis egerit & ipsa mercede, & trivitia præterea solidis mulctetur.

Demum Concilium Mediolanense 1. ann. 1565. de festorum dierum cultu determinat ne quid diebus festis, vendatur aut ematur, præter id quod ad victimum illius diei, vel ad agrorum curationem necessarium sit. Concilium verò Narbonense. 1551. Can. 49. istuc præcipit. Nibil mercatores publicè vendant: officiæ eorum apertæ non sint præsertim diebus Dominicis & beata glorijsæque Virginis Marie. &c.

Mercatus verò magis solemnies qui apud nos vocantur nundinæ stricilius videntur prohiberi. De his solemnibus mercimoniis videtur loqui Carolus magnus cap. 1. art. 18. *De mercatis ut in die Dominico non agantur.* Et Concil. pariter Turonense 3. ann. 813. Itemque interdicatur ne mercata, & placita usquam fiant die Dominica, quâ oportet omnes Christianos à servili opere in laude Dei & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare. Can. 40.

Et Concil. Moguntinum ann. 1549. de mo-

ribus Can. 98. ita loquitur, *magnus abusus est*, quod scilicet diebus festis mercatus sicut. *Cui nos improbae hominum cupiditati modum ponere volentes*, serio prohibemus, ne in posterum in locis nostrae provinciae, diebus Dominicis, aut praecipuis Ecclesiae festivitatibus, nisi forte earum rerum, quae ad usum quotidiani vicius necessarie sunt, exerceantur. Postea vero & excommunicationis poenam magistratibus talem corruptelam permittentibus infligit. Concilium Mediolanense 1. ann. 1565. ait: *Ne fiant nundinae sed que festo die fieri consueverant, in antecedente, vel subsequentem diem, qui sesiis non sit transferantur.*

Concilium vero Copriniacum ann. circiter 1255. Can. 26. Omnibus frequentantibus mercata & nundinas excommunicationem minitatur, sic enim habet. *Item denunciantur excommunicati omnes illi, qui diebus Dominicis, & solemnitatibus, frequentant mercata & nundinas.* Idem vetant sub poenis temporalibus Edicta Regia scilicet Aurelianense art. 23. & Blezense art. 28. Et meritò quidem recta enim ratio suadet quod Diabolus his nundinis non solum avertit populum à cultu Dei, sed insuper excitat ad dolum & fallacias, quae solent misceri in contractibus, & ad ludos, & iudicra sensim adducit.

2'. *Forum.* Peccant, qui actiones forenses exercent diebus festis, qui à actiones forenses diebus festis prohibentur jure civili & Ecclesiastico, neque ullatenus licet eas finē causā exercere, juxta illud Justiniani: *Omnes ju dices die solis quiescant.* Rem

verò plenius determinant Leo & Antemius. Cod. lib. 3. de feriis lege fin. Respirent à contraversiis litigantes. Concilium Matisonense Can. 1. ann. 585. custodite diem Dominicam, nullus vestrum lilium somitibus vacet nullus causarum actiones exerceat.

Idem jubet Concil. Moguntiacum ann. 813. Can. 37. Vetans expressè ut mercatus in diebus Dominicis non sit: Nec placitum ubi aliquis ad vel ad mortem pænam judicetur. Idem habet Concilium Turonense eodem ann. Can. 40. Interdicatur, inquit, ne mercata & placita usquam fiant die Dominicæ. Et Concil. Erfordiense ann. 932. cap. 2. Rem expressius sic definit: Placita sæcularia Dominicis, vel aliis festis diebus, seu etiam in quibus legitima ieiunia celebrantur, secundum canonicanam institutionem, minimè fieri volumus. Idem Edicta Regia quibus curiis determinantur dies feriales, id demum cavitur cap. Conquestus est nobis, de feriis ubi hæc leguntur, debet judicitalis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dñi noscantur esse statuti.

1º. Hinc patet, quod non licet judici diebus festis ferre sententiam, testes audire, &c. Nulla quemquam inquiunt Leo & Antemius, Urgeat admonitio, nulla fidei iussionis flagitur exactio, raseat apparitio, advocatio deliquescat, sit illa dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox quiescat. C. leg. fin de feriis.

2º. Hinc patet, quod non licet etiam tabellionibus diem festum clientibus assignare, aut decreta judicum execui. A strepitu judiciali ita convenit abstinere, ut consentientibus

tibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus festis promulgari. cap. Conquestus est nobis, de feriis.

3°. Non licet Notariis instrumenta scribere diebus festis Concil. Mediol. 3. Ne contractus ulli, cuiusvis generis sint, neve ultra rerum exactiones fiant, nisi cum jure nominatim permisum est, &c. Idem habet Con. Bituricense an. 1584. tit. 6. Can. 4. Dominico ergo die cessent secularia opera, sit sacram institutum, cessent lectores, fileat praecognitio tuba... Contractus, Notariorum instrumenta.

4°. Non licet Procuratoribus acta transcribere; quia hæc omnia actiones forenses sunt.

Licet tamen Advocatis Judices instruere, legibus studere, & clientium lites examinare; quia hæc actiones sunt liberales; peccarent tamen, si ita immergerentur die festo negotiis secularibus, ut nihil ad salutem æternam pertinens illis diebus festis perageant.

Dixi quod placita forensia non possunt diebus festis licetè sine causa exerceri; nam si sit causa, hæc omnia possunt licetè fieri diebus festis.

Sic judicibus ruralibus licet lites judicare; quia homines rusticani non possunt commodè accedere, nisi die festo.

Sic potest reus damnari morte die festo, si timeatur, quod ex dilatione reus abibit impunitus. Leg. 10. C. de feriis: Nullum tempus existimat excipiendum, ne differatur

sclerorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta querenda est.

Sic Notarius potest testamenta ægroti accipere die festo, si timeatur, quod ad aliud tempus non possint differri. Potest & consensum matrimoniale scribere. Cessent inquit Concil. Bituricen. ann. 1584. Titulo 6. Can. 4. *Notariorum instrumenta nisi quæ ex necessitate testamentorum, aut matrimoniorum causâ differri non possunt.*

Nec non transvehatio mercis. Peccat, qui citrè causam vacat transvehendis mercibus, vino, frumento, oleo; peccat, quia est opus servile. Id prohibet Jerem. cap. 17. v. 21. His verbis, nolite portare pondera, in die Sabbati, id pariter vetat Concil. Rotomag. ann. 1581. De cultu enim divino agens ait: *Vetamus vecturas atque omnia alia opera servili fieri... In Pronœo pro excommunicatis denuncient qui post admonitionem aucti fuerint vecturas non necessarias exercere.* Et Cap. Caroli Mag. lib. 1. cap. 75. Determinat quæ vecturæ censeantur necessariæ. *Tria cararia opera licet fieri in die Dominico, id est hostiliæ carra, vel vittalia, et si forte necesse fuerit corpus cujuslibet duci ad sepulchrum.* Et Concil. Coyanense ann. 1550. De eadem re ita loquitur. *Christiani Dominicæ die non exerceant, nec se contentur itinera, nisi orationis causâ, aut sepeliendi, aut visitandi ægros, aut pro Regis secreto, aut pro Sarracenorum impetu.* Et cum adest necessitas, hæc cautela adhibenda est. *Si necessias fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, ut nequæ Misera, nequæ orationes prætermittantur,* inquit,

Theodulphus Episcopus Aurelianensis. cap.

24. Si tamen sine fraude incepisses iter ante diem festum, potes proseguiri, modò audias Missam; quia videris excusari à peccato ob damnum temporale, quod sequeretur ex itinere interrupto.

CONSECTARIUM III. Peccant, qui diebus festis vacant operibus isto carmine contentis.

Pingere, piscari, venari, & radere barbas.

Hæc enim opera judicantur ut servilia.

1º. Non licet diebus festis pingere, venari aut piscari; quia hæc opera censentur servilia, quando exercentur non recreationis causâ; sed ex officio & motivo lucri. Ita videtur determinasse Concil. Meldense ann. 845. Can. 77. Ubi postquam jussit octo dies Paschales tamquam festivos esse habendos, ut tunc mos erat, statim à quibus operibus vacare oportear diebus festis statuit dicens. Dies festos omnibus Christianis feriatos esse decernimus, ab omni opere rurali, &c. PICTORIO VENATORIO.... Quod si quis temerare præsumperit, excommunicetur: Ergo illicitum est piscari, aut venari diebus festis. PISCATIONEM vero, illicitam esse festis diebus satis aperte declarat Alexander 3. cap. Licet. De seriis; eam enim tantum permittit ingruente necessitate, & eâ lege, ut post factam capturam piscium Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem.

2º. Non licet radere diebus festis; quia radere est opus servile prohibitum, ita Joan-

nes 22. Epist. ad Philip. 5. Te dissimulare non decet, ut exerceantur iudicia die Dominico, & radendis ac tondendis barbis atque capitibus intendatur; cum dies illa Divino cultui specialiter dedicata talibus profanari non debat. Ita apud Natalem. S. Carolus Borromeus in suo Concilio Mediol. 3. Tonsores inter opifices serviles annumerat.

Et Synodus Andegavæ ann. 1282. relata à Bochello fol. 578. Præcipimus & mandamus, ne fideles dictis diebus barbas radant, vel barbitonorum officium exerceant.... Non obstante longo temporis abuso, qui non usus censendus est, immò verius corrupienda. Idem Concil. Senonense ann. 1429. cap. 25. Illum abusum penitus reprobantes, quo marescalli & barbitonores supra dictis festivitatibus credunt sibi licitum sua ministeria citra necessitatem exercere.

ARTICULUS IV.

De causis excusantibus à peccato eos, qui vacant servilibus diebus Festis.

PROPOSITIO unica. Licet diebus festis vacare operibus servilibus, ad vitandum grave damnum, vel sibi, vel proximo, vel Republicæ obventurum: damnum, inquam, vel in animâ, vel in corpore, vel in rebus fortunæ.

Probatur 1°. Script. Christus interrogantibus Pharisæis, si licet Sabbatis curare, respondet: *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si eccliderit hæc Sabba-*

tis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? quanto magis melior est homo ove? itaque licet Sabbatis benefacere. Math. 12. v. 11.

Sic fecerunt sancti; nam Elias die Sabbatho fugit à facie Jezabel ad conservandam vitam. 3. Reg. cap. 19. Machabæi pugnarunt die Sabbathi contrà irruentes hostes. Discipuli collegerunt spicas die Sabbathi, Math. 12. v. 1. & Christus ipse die Sabbathi solebat corporaliter sanare, & discipulos suos excusavit contrà Phariseos, qui eos culparerant, quod transeuntes per sata die Sabbathi, esurientes yellerent spicas, & manducarent.

2^o. Ex Conciliis. Quoties concilia loquuntur de operibus servilibus diebus festis prohibitis toties ea permittunt ob ingentem necessitatem modò ex naturâ suâ mala non sint: de quo ita expressè loquitur Synodus Lingonensis relata à Bochello fol. 579. In festis licet possint fieri ea quæ pertinent ad provisionem necessariorum vitæ, vel sanitatem hominum, putâ vendere carnes, panem, virnum, curare infirmos, vitare periculum mortis vel corporis lesionis, vel adversus magnum periculum, vel dimum rerum occurrens, putâ incendium & his similia: dum tamen talia fiant pro tali necessitate, quod non potest alio modo succurri vitæ, sanitati, aut aliis periculis imminentibus, & quod propter praedicta non obmittitur Missa, vel Divinum Officium quantum fieri potest, & non sicut praedicta principaliter pro cupiditate; sed pro subveniendo necessitatibus occurrentiis.

4^o. Ex D. Thom. 2, 2. q. 122. a. 4. ad 3.

Opus corporale quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra observationem Sabbati. Unde dicitur Joannis septimo: mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in sabbato? Similiter etiam opus corporale quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbathum. Unde dicit Dominus, Math. 12. Quis erit ex vobis homo qui habeat unam ovem, & si ceciderit Sabbatho in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?

5°. Ratione Præceptum de observatione Sabbati quatenus verat abstinétiam servilium, est juris positivi: ergo non censetur obligare in illis circonstantiiis, in quibus, si observaretur, forte induceretur violatio Juris naturalis; Lex enim naturalis fortius ligat, quam positiva.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Licet diebus servilitè operari ad evitandum damnum spirituale, tum pro se tum pro proximo, V. G. pugnare, aggeres ædificare &c. ad evitandum, ne hostes fidei præ valeant. pro conservatione Reipublicæ, licitum est iusta bella exercere, sic Machabæi non polluerunt Sabbathum pugnantes ad sui defensionem die Sabbati 1°. Mach. 2. Sic juxta Sylvestrum V. Dominica imminente bello fieri possunt omnia opera, cum ad defensionem, tum etiam ad agressionem necessaria, si aliud tempus non suppetat, v. g. possunt fabricari arma, mænia extiri, valles fodi, aggeres elevari &c. Hoc

enim esset, inquit, D. Thomas tentare Deum. Si quis imminente bello vellet ab his abstinere quæ ad bellandum sunt diebus Festis necessariò peragenda.

CONSECTARIUM II. Licitum est ca-
agere, quæ corducunt ad manifestandam in-
nocentiam hominis injustè accusati, juxta
illud: *Eruue eos, qui ducuntur ad mortem*
Poverb. 24. II.

CONSECTARIUM III. Licet diebus Festis ad evitandum damnum temporale,
tum sibi, tum proximo obventurum, sive
in corpore, sive in anima servilitè operari,

Sic advitandum damnum corporale urgen-
te morbo possunt fieri remedia ad sanitatem
corporalem necessaria.

Sic ad vitandum damnum animæ, putà otio-
sitatem, vel aliquod aliud peccatum, inquit
Sylvester V. Dominica Post suas devotiones
occupantur hoc fine domicellæ in aliquo ope-
re quod non ad lucrum, sed ad charitatem erga
pauperes exercendam inserviat.

CONSECTARIUM IV. Licet Festis diebus
servilitè operari ad evitandum damnum tum
pro se, tum pro proximo in bonis fortunæ;
& ita agricolæ possunt colligere fructus,
cum timetur grando, inundatio, aut alia
jaætura fructuum ex alio quocumque capite
eventura. de hoc ita Concil. Tolet, ann.
1473. cap. 7. diebus, inquit, *Dominicis &*
festivis ab omni servili opere fideles quiescere
jubemus: nec liceat cuiquam rusticalia seu ar-
tificialia opera exercere, aut agros colere, NISI
URGENTE NECESSITATE vel evidenti pie-
tatis causâ & hoc de licenija sui Sacerdotis.

Quod dixi de agricolis, idem proportionaliter dicendum de aliis artificibus mechanicis v. g. licet extendere lanam, ut siccetur. ita D Anton.

C O N S E C T A R I U M V. Licet die festo persequi opus quod semel incepsum non potest interrumpi, v. g. conflare ferrum, vitrum, coquere calcem, lateres; quia haec interrumpi non possunt.

Sic licet pariter laniis, pincernis preparare victualia in festis, ut sequenti die vendantur, si non possunt prius preparari, vel ante preparata conservari ita D. Antoninus. Sinod. Buseoducensis in Belgio titul. 12, cap. 2. non permittantur Molitorum, Coqorum, Laniorum, Pistorum operae nisi ob notabilem necessitatem, ita citatur à Wanespem.

Sic licet incepsum iter Naucleris, Mulionibus, Rhedariis, Tabellariis, perficere; quia interrumpi non possunt, nisi difficulter. Unde Concilium Narbonense an. 589. can 4. die Dominico operas fieri vetat, & boves jungi, excepto, si immutando necessitas incubuerit: capitulare Caroli magni lib. 1. cap. 75. sic habet: *tria carraria opera fieri in die Dominico, hostilia carra, id est, quæ sunt necessaria ad bellum, vel victualia, quæ sunt necessaria alendis populis, vel si forte necessum fuerit corpus cuiuslibet duci ad sepulchrum.* ut jam dictum est.

C O N S E C T A R I U M V I. Egestas, vel in eo qui laborat, vel in eo pro quo laboratur, excusat à peccato, quando exerceatur opus servile diebus festis; bonum tamèn esset dispensationem ab Episcopo petere, ita Anto-

ninus , p. II. titut. 9. cap. 7. §. 5. quia , inquit , observare festa non est in tantâ arctitudine , ut in veteri testamento , & erit bona cautela , ut hoc fiat cum dispensatione Episcopi De hoc Concil. Narbon. an 1609. cap. 9. si aliqua , inquit , urgeat necessitas ratione cuius in diebus festivis servile aliquod opus fieri oporteat , consulatur Episcopus , vel ejus in spiritualibus vicarius , qui re diligenter inspecta , que congrua fuerint decernat.

1º Licitum est cuilibet corporaliter operati diebus festis pro sustentanda familiâ , si sine labore illo sustentari nequeat.

2º Licitum est tonsoribus radere die festo , quando vel ipsi sunt pauperes , vel radunt eos , qui commodè diebus aliis radi non possunt , ita Dominus de Saintebeuve citans istum locum D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. à nobis laudatum in quo sanctus Doctor permittit opera servilia ; quando conducunt , vel ad salutem animæ , vel ad vitandum damnum corporale , vel etiam ad vitandum damnum rei exterioris.

3º Licitum est diebus festis exiguae merces in Pagis vendere , quas rustici non alio tempore commodè possunt emere ; id licitum esse respondit Nicolaus 5. ann 1447. interrogatus à Transsilvanis ? *An pauperibus villanis & oppidanis licitum sit vendere die Dominico , vel festo alicujus sancti , panes , pyra , poma , & alia legumina &c.* Respondet , cogente necessitate , non tamen affectatâ seu procuratâ , licitum est præmissi exercere.

CONSECTARIUM VII. Licet diebus festis apprehendere occasionem , quâ omis-

sà sequeretur ingens damnum ; præceptum enim de observatione festorum non ligat , ut diximus , ubi periculum est danni temporalis , si modò non leve sit. Neque inquit Cathechis. Trident. Earum rerum opera hac legge prohiberi existimandum est , quarum iactura facienda sit , si die festo pretermittantur Unde 1º Licitum est piscari halices , tunnos diebus festis dando aliquid Ecclesiæ & pauperibus ; quia hæc píscatio non potest commode differri , ita cap *Licet* de seriis *Liceat.... si hælia terræ se se inclinaverint necessitate ingruente eorum captioni intendere.*

2º. *Licet molere frumentum in mo'endinis* , quandò timetur , ne deficiant aquæ , vel ventus non perflet , Antonin.

3º. *Licet flante vento prospero , iter navibus incipere.*

4º. *Licet instaurare fontes , reficere pontes , & vias publicas diebus festis , quandò alii dies non sufficiunt.*

5º. *Licitum videtur exercere milites ad pugnam , acies dirigere , hostes adoriri ; quia hæc omnia ad publicum bonum spectant , semper enim videtur adesse necessitas , nocetque Republicæ milites esse imparatos & inertes.*

C O N S E C T A R I U M VIII. Quando non constat , an opera sint servilia , nec ne attendenda est loci consuetudo à Prælatis tolerata ; ità docet Gersonius. *De operibus , inquit , servilibus exercendis diebus Dominicis & festiis , plus & frequentè determinat consuetudo loci , & personarum à Prælatis tolerata , quam alia lex scripta.* Et ratio hujus

est; quia, ut inquit, idem Gersonius, *observatio* Sabbati quoad temporis circumstantias, & modi, locivè pro maxima parte relicta est determinationi Prælatorum, quæ cognoscitur, tūm ex eorum institutis tūm ex consuetudinibus per eos legitimè toleratis; consuetudo verò exercendi opera servilia diebus festis, tūnc maximè dicenda est corruptela, quandò totaliter à servitio Dei, & à cultu festorum, & maximè ab auditione Missæ revocarent, & quandò fieret magis ex cupiditate, quam ex pià necessitate. Ita Ger. de præcept. Decalog.

Sic, si opus aliquod corporale exerceatur scientibus, videntibus, & non contradicentibus Prælatis; opus illud, etsi aliundè corporale, non videtur prohibitum, sed ab Ecclesiâ permisum; vel quia Ecclesia judicat opus illud esse necessarium, vel non multum removere à Divino cultu.

Sic licitum est ardere, piscari, venari, ubi Episcopi non prohibent illud specialiter, & licet videntes, non contradicunt.

C O N S E C T A R I U M IX. Quando non constat de necessitate operis servilis in die festo exercendi, consulendus est Magistratus civilis, ut declareret necessitatem, & rogandus Superior Ecclesiasticus, ut dispensationem concedat, quia ad Magistratum politicum videtur pertinere declarare necessitatem, utpote invigilantem necessitatibus Reipublicæ, & ad Prælatum Ecclesiasticum pertinet concedere, vel denegare dispensationem, utpote occupatum legi examinandæ.

Sic videmus, quod Constantinus magnus, lege 3. C. de feriis declaravit: *Agricolas pos-*

se die Dominico suas operas exercere; Quia opus rurale tunc temporis erat maximè necessarium; quoniam, inquit, frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta fulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa. Hanc licentiam restrinxit Leo. Constitut. 54. & prohibuit. Ne agricola, nequè quipiam alii in illo die illicitum opus aggrediatur. Si enim Iudei, qui umbram quandam, atque figuram observabant, tantoperè Sabbati diem venerabantur, ut ab omni prorsus opere abstinerent, quomodo qui gratiæ lucem, ipsamque veritatem colunt, hos eum diem, qui à Domino honore ditatus est, nosque ab exitio decore liberavit, non venerari par est.

ARTICULUS V.

De his quæ præcipiuntur diebus festis vi juris naturalis.

PROPOSITIO unica. Fideles tenentur ex præcepto naturali, non solùm abstinere ab opere impediente sanctificationem, sed etiam vacare æbus sacris.

Probatur 1^o. Script. Exodi 20. 8. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Hæc est pars præcepti affirmativi: ergo importat aliquod exercitium, juxta illud: *Vacate & videte, quoniam ego sum Dominus;* idest, vacate à servili opere, & videte per orationem, & per alia pietatis opera, quod Deum tanquam Dominum vestrum veneremini: tunc enim diem Sabbati plenè & perfectè celebremus.

bramus cùm Pietatis & religionis officia
Deo præstamus. Cathec. Trident.

2° Ex C. Trid. ad sanctificandum Sabbathum
debemus Deum imitari , qui Sabbatho non
otiatur, sed magis nostræ saluti invigilat. Fa-
ciamus ergò uti præcipit Trid. post Apostolum.
*Observationes, orationes, postulationes, gratia-
rum actiones ; Deus enim die Dominico lucem
condidit, resurrexit à mortuis, Spiritum sanc-
tum in Discipulos infudit.* Sess. 2. decret. de
modo vivendi in Concil.

3° Ex Catechismo Triden. Christianorum
Sabbatum debet esse sanctum ; quia debet
divinis actionibus & sanctis operum Officiis
esse consecratum : debet esse delicatum ;
quia virtutis exercitium Dei & piorum ho-
minum sunt deliciæ : ergo oportet Festis
diebus pietatis operibus maximè insistere.

4° Ratione. Sabbathum est signum inter
Deum & hominem , signum religionis ho-
minis erga Deum , signum liberationis à
servitute peccati , signum futuræ quietis in
Cœlo ; quæ omnia innuunt hominem de-
bere eo die præcipue vacare spiritualibus
excercitiis ; ut monet sermo 28o. inter opera
Aug. tom. 5. *observemus diem Dominicam,*
inquit fratres, & sanctificemus illam.. videa-
mus ne otium nostrum vanum sit ; sed à ves-
pera diei Sabbati usque ad vespeream diei Do-
minici , uti tunc mos erat. Sequestrati à rura-
li opere & ab omni negotio , soli Divino
cultui vacemus... Veniat ergo cuicunque
possibile sit , ad vespertinam atque nocturn-
nam celebrationem & oret ibi in conventu
Ecclesiæ pro peccatis Deum. Qui verò hoc

98 MORALIS CHRISTIANA;
non possit saltē in domo sua oret, in die
verō nullus se à Sacra Missarum celebratione
separet, &c.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Hortandi sunt Populi, ut diebus Festis conterantur, & confiteantur peccata, ut à pondere peccatorum, quibus opprimuntur, liberentur. quod videtur innuere Jeremias his verbis: *nolite portare pondera in die Sabbati* cap. 7. v. 21. & si enim literaliter loquatur de ponderibus non ferendis, spiritualiter tamen de peccatis potest intelligi.

CONSECTARIUM II. Hortandi sunt fideles omnes. etiam hi, qui vel ex morbo, vel ex aliis causis, non possunt Missæ & diuinis Officiis interesse, ut interius eliciant actus fidei, spei, charitatis, & religionis, & actus virtutum moralium, quantum in ipsis est, ut sic tempus Deo consecratum sanctè transfigant; dantes, scilicet, *Diei honorem & reverentiam*. Aug. Serm. de tempore 251.

CONSECTARIUM III. Hortandi sunt fideles, ut imitentur Sabbatismum Dei, quod utique fit, si feriemur à terrenis, & vacemus spiritualibus, si quiescamus in Deo, ut Deus operetur in nobis. De quo ita Aug. *Spirituale Sabbatum observant illi*, qui ita se terrenis operibus accommodant, ut tām lectioni, quam orationi, & si non semper per frequenter insistant, secundum illud Apostoli, attende lectioni, & doctrinæ, sine intermissione orate;

qui enīm tales sunt quotidie spirituale Sabbathum colunt. Epis. 130. cap. 7.

C O N S E C T A R I U M IV. Hortandi sunt fideles, ut imitentur Christum, se se Deo pro nobis sacrificantem; quod utique fit, sacrificium, tūm mentis, tūm corporis Deo offerendo, de quo ita Aug. *Sacrificium est omne opus, quod agitur, ut Sanctā Societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni; quo veraciter beati esse Possimus.* De civ. Dei lib. 10. cap. 6. neque enim, ut ait idem Aug. *utiliter vivitur in hoc tempore, nisi ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur.* Epist. 13. cap. 7.

C O N S E C T A R I U M V. Hortandi sunt fideles, ut quantum in ipsis est, die Festo iis vacent, quæ interiorem & exteriorem illum cultum promovere possunt; qualia sunt legere, & audire Verbum Dei, recipere Sacra menta, & alia hujusmodi; ita docet Paulus ad Timoth. 4. v. 13. *dùm venio, attende lectioni, exhortationi, & Doctrinæ.* Primos fideles die festo Divinis Sacramentis recipiendis occupari, testis est scriptura act. 20. v. 7. *una autem die Sabbati, cùm convenissimus ad frangendum panem.*

C O N S E C T A R I U M VI. monendi sunt Pastores sui muneris esse, semper in fine orationi, & ministerio verbi, act. 6. sed propriè diebus Festis ut jubet Concil. Moguntinum an. 813. in quo sic habetur: *Si fortasse Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut aliquā causā exigente non valuerit, nunquam tamen desī diebus Dominicis aut Festivitatibus, qui Verbum Dei prædicet juxta quod intelligere vulgus valet.*

CONSECTARIUM VII. Monendi sunt populi, non liberum, sed necessarium esse audire præcipue diebus Festis Pastoris sui exhortationes. Si enim ut dicit Greg. *Pastoris est docere, exhortari & corripere plebem*; plebis est Pastorem hortantem audire, & ut ait Prosper lib. 1. *vitæ contemplativæ, Pastores debent, sanctè vivere propter exemplum & docere propter suæ administrationis officium*: subditi vero debent & audire docentes & imitari bene viventes.

ARTICULUS VI.

*De Operibus servilibus jure naturali imperatis
die Festivo utpote inservientibus ad
sanctificationem Festorum.*

PROPOSITIO unica. Opus servile & mechanicum, sed inimmediatè ordinatum ad cultum Dei, si non possit fieri nisi die Festivo, non removet ab observatione Festi quin immò conducit, & ita est his quibus ex officio incumbit, imperatum.

Probatur 1°. Script. *Sacerdotes in templo Sabbathum violant, id est, videntur violare, & sine crimine sunt.* Math. 12. quia opera illa corporalia, niimirum immolare victimas, arcam deferre, &c. ad cultum Dei ordinabantur.

2°. Ex Catechis. Trident. de 3. præcep. art. 32. *Ea opera non vetantur, quæ ad cultum Dei attinent, etiamsi servilia sint; ut Altaria instruere, Templa alicujus Festi diei causâ ornare, & reliqua hujusmodi.*

3°. Ratione. Talis actio, utpote exten-

TRACT. II. DE II. DECAL. 101
rior, desumit suam moralitatem ex fine: cùm ergò finis immediatus sit aliquid pertinens ad cultum Dei, illa actio, nendum est prohibita, sed potius imperata.

Consectaria hujus doctrinae.

CONSECTARIUM I. Licet die festo iter agere, ut possis adesse sacrificio missæ, verbi divini prædicationi, ut fecerunt Apostoli, qui à monte Oliveti reversi sunt Jerusalem die festo.

CONSECTARIUM II. Licet pulsare campanas, circumferre cruces, & imagines in processionibus, uti instrumentis musicis quia illæ actiones ordinantur ad cultum Dei. Sic non legimus prohibitum Judæis arcana circumferre diebus festis.

Dixi, modò actiones illæ corporales non possint commodè in aliud tempus differri. Quia si comodè possint differri, debent omitti & in aliud tempus transferri; cessa enim ratio, propter quam permittuntur in illis diebus. Sic Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Salome expectarunt, donec transisset Sabbatum, ut postea emerent aromata & venientes ungerent Jesum. Marc. 16. v. 1.

De his quæ permittuntur diebus Festis.

PROPOSITIO unica. Opera spiritualia, immò corporalia quæ sunt communia servis & dominis permittuntur, modò ea operatam spiritualia, quam corporalia non ita mentem abstrahant; ut eam rebus divinis

vacare omnino impediant.

Probatur 1°. Script. Deus diebus festis non vetat nisi opus servile juxta illud Lev. 23. v. 7. *Omne opus servile non facietis in eo*, id est Sabbato; atqui opus mentis & opus corporeale commune servis & dominis non sunt opus servile, ut patet; ergo opus mentis & opus commune servis & Dominis non prohibentur diebus festis.

2°. Ex Conciliis. Quoties Concilia loquuntur de operibus vetitis, toties recensent, vel opera servilia, vel peccata, numquam verò opera spiritualia, aut corporalia communia servis & Dominis; ergo istaec opera non prohibentur diebus festis.

3°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. Nullius, inquit, *spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbati*, putà, si quis doceat verbo, vel scripto unde num. 28. dicit **Glossa**. *Quod fabri & hujusmodi artifices otiantur in die Sabbati*; Lectio autem divinæ legis, vel Doctor ab opere suo non desinit: nec tamen contaminatur *Sabbatum*: sicut Sacerdotes in templo *Sabbatum violent & sine crimen* sunt.... Opera corporalia, inquit ibidem, in quantum sunt communia servis & liberis servilia non dicuntur: Ergo istaec opera sunt licita diebus festis.

4°. Ratione. Illa opera permittuntur diebus festis quæ, nec jure naturali, nec jure positivo prohibentur, ut patet; atqui praedita opera, nec jure naturali, nec jure positivo prohibentur; quia jus naturale vetat solum ea opera quæ mentem à cultu Divino abstrahunt; jus vero positivum vetat so-


TRACT. II. DE II. DECAL. 103
sum opera servilia ; ergo prædicta opera perge-
mittuntur diebus festis.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Opera spiritualia
quæ isto carmine exprimuntur ; *Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.* Non
prohibentur diebus festis , & ita licet Gram-
matico , Rethori ; Philosopho , Mathematico , Musico , &c. studere diebus festis ; quia
studium illud non est opus servile. Item li-
cet eis conceptus suos in chartis scribere ;
quia hæc scriptio est potius operis mentalis
executio , quam opus servile. Item licet Ma-
thematico numeros transcribere , Musico to-
nos Musicales delineare , Architecto ædificiorum
exemplaria exarare ; quia istæ omnia
sunt magis ingenii quam corporis operatio-
nes , ideoque loco studii censentur , ut ait ,
Soto lib. 2. de Justitia & Jure , quest. 4. a. 4.
Sed cavendum semper ne cultus divinus
omittatur ; maledictum enim studium prop-
ter quod relinquitur officium.

CONSECTARIUM II. Illa opera cor-
poralia sunt licita quæ absolutè possunt esse
communia servis & liberis , v. g. venatio , pis-
catio per breve tempus & recreationis causâ
quia hoc exercitium commune est Dominis
& servis ; itineratio , sive pedibus , sive ju-
mento , sive vehiculo , sive remigio fiat ; quia
iter agere commune est omnibus. Item ci-
borum coctio , cubilis compositio , corporis-
propriæ exornatio , quia licet , quidam coquos-
habent & vestidores : tamen propriè servus.

204 MORALIS CHRISTIANA.
non dicitur, qui sibi parat cibos, & se ipsum
vestit, aut aliquid ad nitorem proprii corpo-
ris facit; ideo Concilium 3. Aurelia. ann. 538.
prædicta omnia opera declarat esse licita die-
bus festis, ita enim habet Can. 2. *Quia per-
suasum est, inquit populo, die Dominico agi-
cum caballis, aut boibus, aut vehiculis iijnera-
non debere, neque ullam rem ad victimum præpa-
rare, vel ad nitorem domus, vel hominis per-
tinentem ullatenus exercere, quæ res ad Judæ-
cam magis quam ad Christianam observantiam
pertinere probatur, statuimus ut die Dominico
quod ante fieri licuit liceat, de opere autem ru-
rali censuimus abstinendum. Cavendum semper
ne ea opera servis & Dominis communia,
ea impedianc exercitia, quæ per Ecclesiam
præcipiuntur: dicitur enim. *Observa diem Sab-
bati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Do-
minus Deus tuus. Deut. 5.* Quæ autem sint ea
exercitia quæ Ecclesia jubet dicemus expli-
cando præcepta Ecclesiæ.*



TRACTATUS TERTIUS.

De quarto Decalogi præcepto.

CAPUT I.

Quisnam sit finis quarti præcepti? quos
respiciat? quæ merces observantibus il-
lud præceptum destinetur? quæ vero pœna
illius infractoribus reservetur?

ARTICULUS I.

De fine quarti Præcepti.

Quartum Præceptum Decalogi his verbis exprimitur. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quia Dominus Deus tuus dabit tibi*: Exod. 20. v. 12. Finis hujus præcepti est, ut conservetur ordo politicus, qui est ordo sanctus à Deo in officiis mutuis superiorum & inferiorum. Superiores sunt omnes, quos Deus aliis regendis & defendendis præfecit: inferiores sunt hi, quos Deus regendos & defendendos aliis subjecit. Superiores in Decalogo vocantur patres; inferiores vocantur filii. Quænam sint mutua superiorum & inferiorum officia hic explicandum est.

ARTICULUS II.

Quosnam quartum Præcepit respiciat:

PROPOSITIO I. Tenemur sub peccato honorare parentes, & eos qui loco parentum sunt.

Probatur 1°. Script. *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Exod. 20. v. 12. Ergo tenemur honorare parentes & eos qui loco parentum sunt.

2°. Ex libro de duodecim abusionum gradibus inter opera Aug. *Quatuor modis per scripturas divinas patres vocantur, hoc est natura, gente, admonitione, & aetate, & his*.

106 MORALIS CHRISTIANA
omnibus, inquit, idem liber; *Obedientia præbenda erit*, exemplo Christi qui obediens fuit usque ad mortem.

3°. Ratione. Parentes & qui loco parentum sunt, quodammodo vices Dei gerunt; cùm suo modo nos producant, conservent, & nobis provideant: ergo sunt specialiter honorandi, utpote gerentes vices Dei; & si-
cuti amor erga proximum, quem videmus, est signum amoris erga Deum quem non vi-
demus; ità honor erga parentes, quos cer-
nimus, est signum honoris erga Deum quem non cernimus.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Tenemur paren-
tes carnales honorare, quia illi verè sunt pa-
rentes, qui nos genuerunt, & proinde me-
rentur specialem observantiam, juxta illud:

*Qui timet Dominum honorat parentes, & qua-
si Dominis serviet his qui se genuerunt.* Eccle-
siastici 3. v. 8. unde ait Aug. lib. de decem
chordis cap. 6. *Quisquis autem suis parenti-
bus non defert honorem, quibus parere poterit?*
Indicans nemini obedientem fore qui paren-
tibus à quibus vitam accepit inobediens
fuerit.

CONSECTARIUM II. Tenemur hono-
rare Ecclesiæ pastores; quia sunt parentes
spirituales, juxta illud: *In Christo Iesu per
Evangelium ego vos genui.* 1. ad Corinth 4.
v. 15. Sanctam illam subjectionem his verbis
præcipit Ignatius Epist. 1. ad Smirnenses.
Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteri.

TRACT. III. DE IV. DECAL. 107

ris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Christus dum viveret patri subjiciebatur.

CONSECTARIUM III. Tenemur honorare Reges, Principes, Magistratus, politicos, Dominos, &c. Quia sunt quasi patres; sic Naaman à famulis pater vocabatur: *Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras 4.* Reg. cap. 5. v. 13. Quod cùm à gentilibus fuerit factum à fortiori debet à Christianis fieri; quibus dicitur à Paulo scribente ad Titum. cap. 3. v. 1. *admove illos, id est fideles, principibus & potestatibus subditos esse dicto obedire.* & rursus ad Rom. cap. 13. v. 7. *reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; qui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem, cui honorem; honorem.*

CONSECTARIUM IV. Tenemur Magistros & Pædagogos quamcumque artem edoceant tanquam parentes honorare; quia vices parentum agunt; nám Elias & Elizeus à suis Discipulis Patres vocabantur, juxta illud: *Pater mi, parter mi, currus Israël & auriga ejus. 4. reg. cap. 2. v. 12.*

CONSECTARIUM V. Tenemur senes tanquam parentes honorare; quia ratione ætatis quasi loco parentum sunt: juxta illud: *coram cano capite consurge, & honora personam senis: Lev. 19. v. 32. & Eccl. 8. v. 7. ne spernas hominem in senectute suâ.*

CONSECTARIUM VI. Demum debemus eos omnes venerari qui nobis aliquo titulo superiores sunt, ut monet Catechismus Trident. part. 3. de 4. Decal. præcept.

708 MORALIS CHRISTIANA
his verbis : præter eos qui nos genuerunt multi
præterea sunt quos in parentum loco colere de-
bemus , vel potestatis , vel utilitatis , vel
præstantis alicujus muneris & officii nomine. Ta-
les sunt v.g. Tutores, Curatores, Pædagogi, &c.

PROPOSITIO II. Hi qui superiores
sunt debent eos qui sunt sibi inferiores tan-
quam filios habere.

Probatur 1°. Scripturâ. Paulus ad Ephes.
6. v. 4. alloquens & parentes carnales & eos
qui sunt nobis loco parentum, ait : & vos
Patiens nolite ad iracundiam provocare filios
vestros : sed educate illos in disciplinâ & cor-
reptione Domini ; indicans superiorum munus
esse, ut sibi subditis dominantur non tyranni-
cè, sed suaviter, & ad instar patrum educationem
sanctam , & disciplinam salutarem
communicent , & numquam correctionem
nisi in Domino exerceant.

2°. Ex lib. de duodecim abusionum gra-
dibus, qui inter Augustinianos ponitur. tom.
6. ubi sic habetur cap. 6. tria necessaria hos
qui dominantur habere oportet, terrorem scili-
cet, ordinationem & amorem, terrorem, in-
quam, quo suis inferioribus dominantur.
Ordinationem quam suos dirigant inferiores,
& amorem quo eos sibi tamquam filios de-
vinciant : ergo superiores debent suos in-
feriores tanquam filios habere.

3°. Ratione. Hoc præceptum, honorare patrem
tuum & matrem tuam , obligat inferiores, ut
superiores tanquam parentes venerentur :
ergo & præcipit, ut superiores inferiores suos
loco filiorum habeant : in eo enim sita est
hujus præcepti vis , in inferiores erga supe-
riores

TRACT. III. DE IV. DECAL. 165
viores filialem exerceant reverentiam ; su-
periores verò erga sibi subditos paternum
amorem concipient.

consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Superiores omnes
quales sunt 1°. Parentes carnales 2°. Pastores
3°. Reges , Principes , Magistratus , Domi-
ni , 4°. Pædagogi , 5°. Senes. 6° Tuto-
res , &c. debent sibi subditos loco filiorum
habere ; cum enim ex scriptura vocentur
Patres eorum qui eis subjiciuntur , conse-
quens est ut eos tanquam filios habeant.

CONSECTARIUM II. Prædicti su-
periores & inferiores eadem sibi mutuo de-
bent quæ sibi debent parentes & filii , quia
juxta Scripturam , Superiores vocantur Pa-
tres , inferiores verò nuncupantur filii . Quæ
autem sint illa in subsequentibus capitibus de-
monstrabimus . Sed prius sit .

ARTICULUS III.

*Quæ merces observantibus illud præceptum
destinatur ; quæ verò pæna illius infraacto-
ribus reservetur.*

PROPOSITIO unica. Filiis obedien-
tibus multiplex preparatur merces à
Domino ; filiis verò inobedientibus multi-
plex punitio destinatur.

Probatur hanc inductione desumptā ex
Scriptura.

110 MORALIS CHRISTIANA:

1. Filiis obedientibus benedictio destinatur, juxta illud. *Honora patrem tuum ut superveniat tibi benedictio à Domino Ecclis. 3. v. 18.* inobedientibus vero maledictio reservatur, juxta illud *Maledictus à Deo qui exasperat matrem*, Eccl. 3. v. 18.

2. Filiis obedientibus vita longior promittitur his verbis. *Qui honorat parentem suum vivet longiore* Ecclis. 3. v. 7. inobedientibus vero mors praecipps & accelerata preparatur. *Qui maledicit patri aut matri*, inquit Sapiens, *extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris* Prov. 20. v. 20.

3. Filiis obedientibus nascetur proles obediens, *Qui honorat patrem suum jucundabitur in filiis*, inquit Scriptura, Eccl. 3. v. 6. inobedientibus vero proles inobediens Iuscitabitur, juxta illud Christi. *Eadem mensura quā mensi fueritis remetietur vobis*.

4. Filiis obedientibus gloria & honor promittitur, juxta illud. *Gloria enim hominis ex honore patris sui* Eccl. 3. v. 13. inobedientes vero pessima fama inficiet, juxta illud. *Quām mala fama est qui derelinquit patrem*. Ecclis. 3. v. 18.

5. Filiis obedientibus reservantur divitiae, ut premonet scriptura his verbis, *Sicut qui thesaurisat, ita & qui honorificat matrem suam*. Ecclis. 3. v. 5. filiis vero inobedientibus paupertas, ut testatur eadem scriptura his verbis, *Qui affligit patrem & fugat matrem ignominiosus est, & infelix*. Prov. 19. v. 26.

MONITUM licet sint multi filii inobedientes, quales fuerunt Esau, Judas &c. qui vitam

TRACT. III. DE IV. DECAL. **III**
istam temporalem & faustam habuerunt, &
ad longissimos annos produxerunt; & contra
licet fuerint filii parentibus obsequen-
tissimi, quos mors accelerata absumpit;
non tamen sequitur veracem non esse Deum
in promissis. In omnibus quippe promissio-
nibus terrestribus intelligitur latere supernæ
felicitatis promissio; *Pietas enim*, inquit
Paulus, ad Thimoteum 4. v. 8. *promissio-*
nem habet vitæ, quæ nunc est, & fururæ;
sed eo discrimine quod felicitas æterna ab-
solue promittatur; felicitas vero temporalis
conditionatè solum; scilicet si ita saluti nos-
træ congruat; unde si filii obedientes diu
non vivant in hoc sæculo, vivunt in æter-
num in futuro. Rapiuntur, ut dicit Scrip-
tura, ne malitia mutet intellectum eorum: ra-
piuntur, ne videant mala populi sui, demum
vita temporalis contrahitur, ut citius æter-
na obtineatur.

C A P U T II.

*De munib[us] filiorum & parentum carnalium
officiis*

ARTICULUS I.

Quid debeant filii parentibus suis carnalibus.

PROPOSITIO unica. Filii debent Pa-
rentibus carnalibus amorem, reverentiam,
obedientiam, & subsidium. Probatur 1. Scrip-
turā: *Honora patrem tuum & matrem tuam.*
Exod. 20. v. 12.

Huic autem honori hæc omnia conjuncta sunt; inquit Catechismus Trident. *Amor, observantia obedientia & cultus.* Ergo filii debent parentibus carnalibus amorem, reverentiam & subfidium. Et quidem expressius scriptura illud idem officium inculcat in diversis locis. 1. Debemus amorem non qualemcumque, sed cum reverentia & timore conjunctum, juxta illud Lev. 19. v. 3. *Unusquisque patrem suum & matrem suam timeat.* 2. Debemus obedientiam, juxta illud Pauli ad Eph. 6. v. 1. *Filiij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* 3. Debemus parentibus nostris subfidium juxta illud Ecclis. 3. v. 15. *Eleemosina patris, id est subfidium patri exhibitum, non erit in oblivione.* Demum illa omnia officia istis verbis videtur expressissime Ecclesiasticus 3. v. 9. *In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum, & superveniat tibi benedictio.* Primo in opere scilicet opera quæ pater injungit exequendo pro ejus familiæque sustentatione. Secundo in sermone scilicet patrem honorifice alloquendo, afflictum consolando, &c. Tertio in patientia, scilicet tolerando patienter quæcumque à patre vel duro, vel difficulti, vel moroso eveniunt.

1°. Ex sermone 276. inter opera Aug. Tom. 5. *Monente nos Dominus per Prophetam, inquit ille Auctor, parentibus nostris & honorem semper & amorem debemus impendere; & si forte evenerit ut aliquâ paupertate laborent, necessitates eorum secundum quod possumus debemus sublevare.*

3°. Ratione. Amor debetur parentibus ex-

TRACT. III. DE IV. DECAL. 113

gratitudine ob vitam acceptam ab illis ; Reverentia , ob dignitatem quam habent , ut pote vices Dei gerentes ; Obedientia , ob auctoritatem quam à Deo acceperunt. Subsidium , ex justitia ; sumus enim parentum nostrorum possessio : & ideo sicut terra Domino suo fructificat ; ita filius debet patri servire & indigenti succurrere.

Dixi non tantum exterius sed etiam interius ; quia damnatae sunt sequentes propositiones ab Innocen. IX. & à Clero Gallic. art. 5. *Non tenemur proximum diligere aetate interno & formaliter.*

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Consecataria hujus doctrinae.

S I.

'Amor specialis & internus debetur parentibus.

CONSECATARUM I. Peccant graviter , qui interius non amant parentes suos , qui nunquam eis optant bona spiritualia , vel si eis optent temporalia , non ea optant in ordine ad æternam salutem ; quia amare generatim est velle bonum ; amare vero ex charitate est velle bonum in ordine ad beatitudinem , de quo ita Aug. serm. 344. de amore Dei . *Ama uxorem , ama filios , ama parentes , &c. Secundum Deum , ut consulas eis ad Deum colendum tecum : cui junctus cum fueris nullam separationem timebis. Ideo non debes illos plus Deo diligere , quos omnino male diligis , si neglexeris tecum ad Deum ducere.*

CONSECATARUM II. Peccant gravi-

ter, qui interius odio habent parentes suos; qui eis optant mala v. g. morbos, ut liberius, vivant, mortem ut hereditatem celerius consequantur. *Hereditas*, inquit Scriptura, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit. Prov. 2. v. 21 Indicans versum illud desiderium punitum iri; ideo sequentes propositiones damnatae sunt ab Innocen. XI. & à Clero Gallic. art. 5. & 7.

Licitum est *absoluto desiderio cupere mortem patris*; non quidem, ut malum patris, sed ut **bonum cupientis**; quia nimirum ei obuentura est pinguis hereditas.

Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, proprie ingentes divitias indè & hereditate consecutas.

CONSECTARIUM III. Peccant graviter, qui dant exteriū signa latentis odii erga parentes, v. g. eos asperè habent, torvis aspiciunt oculis, duris loquuntur vocibus, minantur, percutiunt, mutilant, occidunt; *Qui maledixerit patri suo, aut matri,* inquit Scriptura, *morte morietur.* Lev. 2. v. 9. Et ne tantum crimen impunitum maneat, en quid Deus parentibus præcipiat. *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiatur patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad Seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: filius noster iste protervus est, contumax est, monita nostra audiire contemnit, commissationibus vacat, & luxuria atque conviviis: lapidibus eum obruerat populus civitatis: & morietur, ut auferatis*

TRACT. III. DE IV. DECAL. 115
malum de medio vestri, & universus Israël atri-
diens perimescat. Deut. 21. v. 18.

§ II.

Reverentia specialis interna & externa debetur
parentibus.

CONSECTARIUM I. Graviter peccant, qui interius non honorant parentes, v. g. non satis altè sentiunt de illis, vel ob ignorantiam, vel ob tarditatem ingenii, vel ob senectutem; quia defectus illi non eripiunt dignitatem patris, juxta illud: *Fili, suscipie senectam patris tuæ, & non contristes eum in vita illius: etsi defecerit sensu veniam da, & ne spernas eum in virtute tua.* Ecclis. 3. v. 14.

CONSECTARIUM II. Peccant graviter, qui interius spernunt parentes, & intra semetipsos deprimunt, vel ob defectus, vel ob quamcumque aliam causam; *Ne gloriearis, inquit Scriptura, in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, ejus confusio.* Ecclis. 3. v. 12.

CONSECTARIUM III. Peccant graviter, qui in certis circumstantiis non honorificè tractant parentes, contrarium fecit Joseph honorificè recipiens Jacob, & Salomon matri affurgens, & ad dexteram solii sui ei Thronum statuens; de Joseph sic loquitur scriptura. *Functo Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eundem locum, vidensque eum, irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit.* Gen. 46. v. 19. de Salomone vero sic habetur. *Surrexit Rex in occursum*

316 MORALIS CHRISTIANA
eius, adoravit eam, & sedet super Thronum
suum: positusque est Thronus matri Regis, que
sedet ad dexteram eius. 3. Reg. cap. 2. v. 19.

§ III.

*Obedientia specialis interna & externa debetur
parentibus.*

C O N S E C T A R I U M I. Peccant graviter
filii, qui non obediunt parentibus circa ea,
quæ pertinent ad gubernationem domus,
& ea quæ spectant ad salutem, & bonos mo-
res; quia, ut ait D. Thom. quodlib. 2
q. 5. art. 10. Pater est in domo, sicut Rex in
regno; unde sicuti subditi tenentur obedire regi
in his, quæ pertinent ad gubernium regni; ita
filii & alii domestici tenentur obedire patrifami-
lias, 1^o. in ordine ad regimen domus, 2. in
ordine ad bonos mores; ideo ait Scriptura
Prov. 1. v. 8. audi, fili mi. disciplinam pa-
tris tui, & ne dimittas legem maioris tuæ: ut
addatur gratia capitii tuo, & torques collo
tuo, id, est ut coroneris,

C O N S E C T A R I U M II. Peccant graviter
filii, qui moniti à parentibus, non emen-
dant vitia, non exercent actus virtutum,
quos parentes justè præcipiunt; quia ea
omnia spectant ad bonos mores, & ducunt
ad salutem; Filiij obedite, inquit Paulus,
parentibus vestris in Domino: hoc enim justum
est. ad Eph. 6. v. 1. sic paruit Isaac Abrahæ
vincienti, & volenti eum Domino immo-
bare.

Sic Rechabitæ vino in perpetuum abstine;

TRACT. III. DE IV. DECAS. 117

Vunt, ut servarent præceptum patris.

Sic Christus ipse fuit patri æterno obediens usque ad mortem; Mariæ vero & Joseph fideliter morem gessit, juxta illud: *& erat subditus illis.*

C O N S E C T A R I U M III. Peccant graviter, qui parentes sanctos non imitantur in his, quæ ad salutem sunt necessaria: Si inquit Scriptura, *filii estis Abrabæ, opera Abrabæ facite.* Joan. 8. v. 39. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ perperit vos.* Isa. 51. v. 2. Insignis est historia Rechabitarum exemplum patris imitantium.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant graviter, qui sine causâ nubunt contra voluntatem patris; quia nubere est aliquid pertinens maximè ad gubernium domus; ideoque maledictus fuit Esaï, quia duxit uxorem contra voluntarem parentum, & benedictus ècontra Jacob, quia in hoc obsecutus est parentibus. Ideò multiplici Regum èdicto cautum est ne filii familias invitî parentibus matrimonium ineant: quod si contra fecerint eorum matrimonia quoad effectus civiles invalida habebuntur, ut dicetur, ubi de matrimonio, *Nec enim inquit Tert. in terris filii sine consensu patrum ritè & jure nubunt,* lib. 2. ad uxorem cap. 9.

M O N I T U M I. Dixi, sine causâ; nam si pater irrationabiliter vellet in tali materiâ liberorum cogere voluntatem, graviter peccaret & filii non tenerentur odedire.

1º. Parentes peccant quia non debent irrationabiliter filiorum cogere voluntatem, quando agitur de matrimonio, aut religione,

118 MORALIS CHRISTIANA:
unde Rebeccæ parentes dicebant, *Vocemus
puellam & quæramus ipsius voluntatem.* Genes.
24. v. 57. & de filiabus Salphaad dicitur:
*Nubant quibus volunt tantum ut suæ tribus
hominibus.* num. ult. v. 6. & Paul. 1. ad Co-
rinth. 7. v. 39. ait, loquens de vidua. *Cui
vult nubat: tantum in Domino.*

2º. Filii non tenentur in hoc casu paren-
tibus obedire, ita docet Clemens 3. cap. cum
virum de regularib. ubi loquens de filia,
quæ in ætate nubili nescitur constituta sic ex-
pressè definit, *nunc enim quia liberum habet
arbitrium in electione propositi status,* tūm
religiosi, tūm matrimonialis sequi paren-
tum non cogitur voluntatem. Et D. Thom.
2. 2. q. 104. art. 5. in cop. *In his quæ ad naturam
corporis pertinent, homo homini obedire non
tenetur, sed solum Deo;* quia omnes homines
natura sunt pares; putà, *in his quæ pertinent
ad corporis sustentationem & prolis generatio-
nem;* unde non tenentur nec servi Dominis,
nec filii parentibus obedire, de matrimonio
contrabendo, vel virginitate servanda, aut aliquo
alio hujusmodi.

MONITUM II. Filii non peccant licet non
obediant parentibus præcipientibus aliquid
vel contra Dei mandata, vel contrà Con-
silia Evangelica; melius est enim obedire
Deo magis quam hominibus, Act. 5. 2. &
Bernar. Epis. III. *Sola causa, quâ non licet
obedire Parentibus, Deus ipse est,* cùm dicit:
*qui amat Patrem aut matrem plus quam me,
non est me dignus.* Et Gregor. Hom. 37. in
Evang. Parentes, quos in viâ Dei adver-
sarios patimur, odiendo & fugiendo nesciamus

Aug. quomodo honorandi sint parentes paucis complexus est: honorandus est, inquit pater, sed obediendum est Deo, amandus est generator, sed præponendus est est creator Serm. 100 de verbis Evangelii, Luc.

§ IV.

Filiū debent parentibus subsidium speciale, & tum in corpore, tum in anima.

CONSECTARIUM I. Peccant filii, qui parentibus egenis non dant subsidium, quia tenentur ex justitia eis, à quibus vitam acceperunt, succurrere: de quo Scriptura ait, *elemosina enim patris non erit in oblivione*, Ecclis. 3. v. 15. & Ambros. lib. 8. in Evang. Luc. O fili, quantum tibi sumis iudicium, si non pascas parentem; illi debes, quod habes, cui debes, quod es, & Aug. Serm. de decem plagis cap. 4. *Caninum est parentes non agnoscere; nihil tam caninum, quam cum illi qui genuerunt non agnoscuntur.* Merito ergo & catuli canum cæci nascuntur.

CONSECTARIUM II. Peccant, qui deserunt parentes egenos, ut ingrediantur religionem; si parentes nutritre valeant; quia magis ligat præceptum naturale succendi parentibus, quam Consilium Evangelicum ingrediendi religionem. Ità D. Tho. Perenibus in necessitate extitentibus, ità quod eis commodè aliter, quam per obsequium filiorum subveniri non possit, non licet filiis prætermisso parentum obsequio, religionem intrare 2. 2. q. 189. a. 6. in C. idem Concil.

THE MORALIS CHRISTIANA:

Gangrense cap 16. si qui , inquit , filii parentes maximè fideles , deseruerint occasione cultus Dei , hoc justum judicantes esse , & non potius debitum honorem parentibus reddiderint , ut hoc ipsum in eis venerentur quod fideles sunt ; anathema sint.

CONSECTARIUM III. Religiosis professis non licet passim monasterio egredi , ut parentibus egenis opitulentur , sed distinctione opus est.

Si patre vel matre existente in extrema necessitate , scienter monasterium accepte professionem Novitii , monasterium tunc tenetur parentes egenos nutrire ; tunc enim est loco hæredis & filii ; hæredes autem etiam extranei tenentur præstare alimenta.
Leg. Si quis è liberis

Si monasterium necessitatem parentis ignoraverit , filius potest è monasterio egredi , & ministrare parenti egeno ; quia obligatio ministrandi parentibus egenis non potest tolli per ingressum in religionem. Et si parentes juxta leges antiquas possint vendere liberos , ut sibi in extrema necessitate succurrant ; à fortiori possunt eos à Religione extrahere , modò evidens periculum damnationis filiorum è tali egressu non sequatur.

Si pater vel mater post professionem filii , à quo adjuvari possunt , labantur in extrema necessitate , filius Religiosus non potest subvenire parentibus egenis , contradicente Prælato ; quia jam est ei per votum obligatus ; per votum , inquam , fortius ligans , quam præceptum de honorandis parentibus ; quia observatio voti est præceptum primæ

Tabulæ

Tabulæ , honor parentum est. Secundæ Tabulæ , primum est negativum , secundum est affirmativum. Deinde semel Deo dicata , non possunt contrà Dei voluntatem usurpari ; & sicut si filius dispensasset bona pauperibus , patre non indigente , non possit ea repetere : ita non potest oblatam Deo voluntatem per votum , contradicente Prælato retrahere , potest tamen & debet patri exhibere ea ministeria , quæ exhiberi possunt sine detrimen-
to regularis observantiae , v. g. orare Deum pro illo , eum consolari , ita docet D. Thom.
Secus autem est de illo , qui jam religionem intravit ; qui à cum jam sit mortuus mundo per professionem , solitus est à lege , quæ in mun-
danis obsequiis parentibus tenebatur ; in aliis autem spiritualibus , putà orationibus & hujus-
modi , eis tenetur servire. Quodl. 10. q. 5. a. 1.

CONSECTARIUM IV. Peccant filii hæ-
redes , qui non exequuntur testamenta & le-
gata patris ; qui à unam & eamdem personam
cum patre quoad hoc constituunt : Qui obla-
tiones defunctorum aut negant Ecclesiis , aut cum
dificultate reddunt , tanquam egenium neca-
tore excommunicantur , inquit Concil. Char-
tagia. 4. Can. 95. Crimen falsi committit ,
& poenæ legis Cornelie de falsis subjacer ,
quicunque testamentum celat , occultat ,
retinet , vel impedit , ne ad executionem
perducatur , præcipue quoad legata pia.

CONSECTARIUM V. Peccant filii , qui
parentibus ægrotantibus non curant adhiberi
Sacramenta , vetant ab eis fieri restitutio-
nes , ad quas ex conscientiâ tenentur , & qui
post eorum mortem pro eis non orant ; qui à

subsidium filiorum erga parentes magis debet spiritualia quam temporalia respicere; ille enim juxta Aug de civit. Dei lib. 21. cap. 26. Edificium aureum, argenteum, gemmeum, deputabitur. *Qui patrem, matrem, filios, filias, secundum Christum dilexerit, & ad ejus regnum obtinendum eique cohierendum illis consulat, vel hoc in eis diligit, quod membra sunt Christi.*

ARTICULUS II.

Quid parentes filiis debeant quoad corpus

PROPOSITIO unica. Parentes tenentur providere filiis viictum & vestitum, & congruentem hæreditatem

Probatur 1º. Scripturâ. Nec enim debent filii parentibus thesaurisare, sed parentes filiis. 2. ad Corinth. cap. 12. v. 14 Ergo tenentur filiis necessariae providere.

2º. Ex Chrysost qui explicans prædictum textum Apost ait: *Parentes quidem filii suis thesaurizare lex naturæ præcipit: Ergo parentes tenentur jure naturæ eis providere cuncta necessaria, v.g. viictum, vestitum, &c.*

3º. Ratione. Qui dat esse, tenetur dare consequentia ad esse, ut dicunt, idest, qui vitam dat, debet ea, quæ ad conservandam vitam requiruntur, ministrare: ergo parentes tenentur filiis cuncta necessaria ministrare.

Additum quod parentes sunt filiis loco Dei: ergo sicuti Deus creaturis providet necessaria, ita & parentes debent filiis suis providere necessaria.

Consectaria hujus Doctrinae.

§ I.

Parentes debent filiis victum.

CONSECTARIUM I. Peccant graviter parentes, qui sinè causa filios suos publicè exponunt, ut ab aliis nutrientur; quia, si possunt, debent eos nutrire. *Sì quis*, inquit Concilium Gangrense can. 15. *Liberos suos relinquit, nec eos nutrit;* & quod ad se pertinet, non ad pietatem divini cultus informat, sed per occasionem continentiae id est parsimoniae negligit, anathema si; Plerumque enim ut monet Gregor. Pastoral. 2. P. cap 9. Vitia virtutes se esse mentiuntur, nam sub parsimoniae nomine sèpè se tenacia palliat.

CONSECTARIUM II. Peccant graviter parentes, qui filios suos ità negligentē nutrit, ut vel parùm curent de eorum vita, vel valetudine, cò tendit istud quod dicit Christus: *Quis est ex vobis homo, quem superierit filius suis panem, nunquid lapidem porriget ei?* aut si pisces petierit, *nunquid serpentinem porriget ei?* Math 7. v. 9. Indicans nullum esse parentem, etiam malum, qui filiis suis victum & vestitum non soleat tribuere; ideoquè gravissimè peccant, qui tali desunt muncri.

CONSECTARIUM III. Peccant graviter parentes, ex quorum negligentia contingit, ut filii, vel suffocentur in lecto, vel alio quovis casu pereant; quia non provident filiis, ut debent: contrà cuncte-

Item hanc incuriam parentibus imponitur publica pœnitentia in pluribus Diœcesisibus.

CONSECTARIUM IV. Peccant gravioriter parentes, qui ad secundas nuptias properantes, filiorum è primo toro suscepторum curam negligunt. In hoc enim sunt brutis ipsis nequiores; nam, ut ait Ambros. lib. 6. in examiner cap. 4. *Natura hoc bestiis infudit, ut catulos proprios ament, sætus suis diligant.*

CONSECTARIUM V. Peccant matres, quæ sine causa non lactant pueros; quia non provident filiis, ut debent; nocet enim multum infantibus nutriti diverso lacte ab eo, quo in utero nutriti sunt. Quæ ab hoc officio se dispensant, dimidiatæ matres etiam à gentilibus vocantur. Hoc nocet non solum corpori, sed animæ; quia minuit amorem inter matrem & filios; mutuus quippe amor matrum & filiorum est longè constanter, si filii nutriantur à matribus. Ad hanc curam maximè excitat exemplum Saræ, Rebeccæ, Annæ & beatissimæ Virginis, Sara licet fœmina princeps & nonagenaria, tamen filium Isaac lactavit; Rebecca filium Jacob; Anna filium Samuëlem; & Virgo Christum lactavit; de qua proindè canit Ecclesiæ. *Sola Virgo lactabat, ubere detælo pleno;* edò facit illud Thren. 43. *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos;* filia autem populi mei crudelis, ut struthio.

CONSECTARIUM VI. Peccant gravioriter matres, quæ, si filium lactare nequeant, non querunt sedulò nutricem corpore sanam, & moribus non depravatam, quæ

lacte suo proli non noceat , & vitia cum lac-
te non infundat.

§ II.

Parentes debent filiis vestitum.

CONSECTARIUM I. Peccant parentes , qui filios suos juxta conditionis statum non vesciunt , sed , vel superbiūs ornant , vel vi- liūs induunt , utrumque enim malum est ; de nimio ornatu sic loquitur Chrysost. in Epist. ad Coloss. cap. 4. Homel. 10. *Per se magnum malum est nimius ornamentorum appetitus & desiderium ; etiam si nullum aliud , inde enasceretur , sed citra periculum id liceret habere : nam ad inanem gloriam fastumque parat & instruit.* Reipsā si superbis ille vestium ornatūs malo vacaret , scriptura non diceret quod dives , qui in inferno torquetur , induebatur purpurā & bisso. Si laceris autem , aut squallidis vestibus , aliquando ex avaritia parentes vestiant filios , vitiosum. Vituperandus enim est & defectus & excessus in vestibus , & Christiana modestia observanda ; vestiendum est corpus , non ornandum , tutandum est ab injuria tempestatum. Minime verò vanitati & libidini exponendum ; quod utique semper evenit quoties superbiūs quam par est adornatur.

§ III.

Parentes debent filiis congruam hæreditatem.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant graviter parentes, qui filiis congruam non provident hæreditatem; qui filiis vel filiabus denegant legitimam dotem, vel ut nubant in Domino, vel ut ingrediantur Religionem, si ad eam divinitus vocentur, vel ut Sacros Ordines suscipiant, si ad statum Clericalem divina gratia eos invitat: quia hæc omnia ad paternam curam pertinent. *Debetur namque liberis,* ait Basilius in Psal. 7. à parentibus secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vite prævidentia, sive proventus. Parentum enim est colligere, sive thesaurum recondere liberis, ut præter hoc quod illos genuerunt ad vitam, etiam vivendi subsidia subministrent. Apud paganos puniebantur parentes, qui liberos aliquam artem non docuerant; ob id à fortiori punientur Christiani à Domino.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant parentes, qui in dividenda hæreditate non sequuntur id, quod justa lege & æqua consuetudine præscriptum est; quia iniqua illa honorum portio, seminarium est rixarum & litium, *Fungat ergo,* inquit Amb. lib. de Joseph Patriar. cap. 2. Liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lacrum pietatis nescit pecuniae, in quo pietatis dispendium est. *Quid miraris,* si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres iurgia, quando propter unicam inter Jacob sancti filios exar-

fit invidia. Sic Josaphat primogenito regnum dedit, munera verò aliis filiis: Deditque eis, inquit scriptura, pater suis multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum civitatibus munitissimis in Iuda: regnum autem tradidit Ioram, eo quod esset primogenitus. 2. Paral. 21. 3.

C O N S E C T A R I U M III. Peccant Parentes, qui filios suos sine causa privant hæreditate debitâ; secùs, si cùm causa id faciant. Exemplum paternæ illius sollicitudinis habemus in Abrahamo. Gen. 25. v. 5. *Deditque Abraham cuncta quæ possidebat Isaac: filii autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo.*

Causa justa exhæredandi filios juxta Justistas est Paterni tori violatio, machinatio paternæ necis, animus insigniter erga Patrem ingratus, v. g. oblivio Patris detentus in carcere, ignominia toti familiæ illata.

ARTICULUS III.

Quid parentes filiis debeant, quoad animam?

P R O P O S I T I O unica. Parentes tenentur providere filiis 1^o. Instructionem, 2^o. Correctionem, 3^o. bonum exemplum, 4^o. demum ea omnia quæ filios ad cœlestem patriam possunt perducere ...

Probatur 1^o. Scripturâ. Parentes debent primò filiis suis Doctrinam, juxta illud Deut. 11. v. 18. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris... docete filios vestros, ut illa meditentur. Secundò*

debent filiis suis correptionem juxta illud Paul. ad Eph. 6. v. 4 *educate filios in disciplina, & correptione Domini*, 3°. Debent filiis bonum exemplum. quippe sicuti Pastoribus dictum est, *vos estis lux mundi*, ita Patribus familias dictum est, *vos estis lux familiae*. 4°. Demum debent eis procurare media ad salutem æternam necessaria quantum in ipsis est, quia Patri familias sicuti & pastori dictum est Ezech. 33. v. 8 *speculatorum dedi Domui Israël..... Si ovis tibi commissa tua culpa pereat sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

2 Ex Aug. in Psal 50. in fine. Idem parentes debent filiis suis quoad animam, quod Episcopi debent ovibus suis: *Quomodo inquit ad nos pertinet in Ecclesiâ loqui vobis, si ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi*: atqui Episcopi debent ovibus suis instructionem, correptionem, bonum, exemplum & sollicitudinem, ut patet, ergo & eadem debent parentes filiis.

3°. Parentes non minus debent vitam spiritualem filiorum curare quam vitam corporalem, immò magis; quia idè sanctum matrimonium contraxerunt, ut filios Cœlo gignerent potius quam mundo, atqui vita spiritualis non aliter conservatur in filiis quam per instructionem, correptionem, bonum exemplum, & sanctam parentum sollicitudinem; ergo istæc omnia debent parentes filiis,

Consecataria hujus Doctrinae;

S. I.

Parentes debent filiis doctrinam:

CONSECTARIUM I. Peccant graviter Parentes, qui negligunt media, quibus filiis sancta educatio adhibeti debet, & potest; qui v. g. statim ac nati sunt, non curant conferri eis Baptismum, sed propter seculares vanitates differunt tantum Sacramentum: quod ne faciant, Ecclesia legibus sanctissimis sub gravibus poenis prescripsit, ne ultra octo dies differatur, & poenitentiale Rom. cap. 31. ait: *cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos panileat, unum in pane & aqua.*

CONSECTARIUM II. Peccant Parentes, qui primo rationis usu non instrunt filios de his, quae sunt ad salutem necessaria. v. g. de Doctrinâ Christianâ, de præceptis Dei, & Ecclesie; exemplo Tobiae, qui cum factus esset vir, accepit uxorem Annam de Tribu suâ, genuitque ex ea filium; nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Tob. 1. v. 9. Exemplo Job, qui sancte educatus est; ait enim de se: *ab infancia mea mecum crevit miseratione.* Job. 31. v. 18.

CONSECTARIUM III. Debent parentes per se ipsos, quantum fieri potest, filios suos instruere; quia haec cura pertinet ad Patrem: uti enim matres, quantum fieri potest debent per se & non per nutrices,

lactare filios; ita parentes debent, quantum fieri potest, erudire filios suos: erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. Prov. cap. 29. v. 17. & Deut. 11. v. 19. omnibus parentibus præcipitur, docete filios vestros. Exemplum habemus in Davide sic erudiente filium: tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario. 1. Paralip. 28. v. 9.

C O N S E C T A R I U M IV. Quandò Parentes non possunt per se ipsos erudire filios, debent povidere eis pædagogos ad tantum munus idoneos, litteratos, & præcipue bonis moribus instructos; quià si non exigua curâ eligendæ sunt nutrices alendis infantium corporibus destinatae, à fortiori pædagogi instituendis animis occupandi. Hoc egregie docuit magnus Theodosius, Arsenium virum, eo tempore eruditionis & eloquentiæ nomine florentissimum accersivit Româ, ut filios suos Honorium & Arcadium Imperii successores omnibus optimis artibus atquè disciplinis erudiret. Unde meritò Cyprii filios à parentibus male instructos contià eosdem parentes sic querentes inducit: *Nos nihil fecimus... perdidit nos aliena perfidia. Parentes sensimus parricidas.* lib. de lapsis.

C O N S E C T A R I U M V. Necesarium est eos, qui instituendis filiis occupantur, nec meliores esse, nec sæviores, nec nimis familiares cùm illis, nec pariter nimis difficiles. Hanc regulam videtur statuisse Ecclesiast. cap. 30. v. 9. *Lacta filium & paventem te faciet: lude cùm eo, & contristabit te,*

id est, si mollius agas cum illo, efficiet ut
tibi & illi male metuas, non corrideas illi,
ne doleas, & in novissimo obstupestent dentes
tui, non des illi potestatem in juventute &
ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem
ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum
infans est, ne forte induret, & non credat
tibi, & erit tibi dolor animae, doce filium tuum,
& operare in illo, ne in turpitudinem illius
offendas.

CONSECTARIUM VI. Necessarium est,
ut hi, qui instituendis filiis præponuntur, eis
sæpius inculcent monita, quæ Tobias mori-
turus dedit filio suo Tobi. 4 v. 6. Omnibus
autem diebus vitæ tue in mente habeto Deum:
& cave ne aliquando peccato consentias, &
pretermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex
substantia tua fac eleemosinam, & noli aver-
tere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim
fiet ut nec à te avertatur facies Domini, quo-
modo potueris, ita esto misericors, si multum
tibi fuerit, abundantiter tribue: si exiguum
tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri
stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas
in die necessitatis. Quoniam eleemosina ab om-
ni peccato & à morte liberat, & non patietur
animam ire in tenebras. Fiducia magna erit
coram summo Deo eleemosina omnibus facien-
tibus eam. Attende tibi, fili mi, ab omni for-
nicatione, & præter uxorem tuam nunquam
patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in
tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permit-
tas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perdi-
cio. Quicumque tibi operatus fuerit, statim ei
mercedem restitue, & merces mercenarii tui

*apud te omnino non remaneat. Quod ab alio
oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri
facias. Panem tuum cum esurientibus & egenis
comede, & de vestimentis tuis nudos tege. Pa-
nem tuum & vinum tuum super sepulturam
justi constitue, & noli ex eo manducare & bi-
bere cum peccatoribus. Consilium semper a sa-
piente perquire, omni tempore benedic Deum:
& pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia
consilia tua in ipso permaneant. Monet pos-
te a ipsum de talento, quod Gabelo dederat;
deinde sic concludit. Noli timere, fili mi:
pauperem vitam quidem gerimus, sed multa bo-
na habebimus, si timuerimus Deum, & re-
cesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.*

S II.

Parentes debent filiis suis correctionem.

CONSECTARIUM I. Peccant parentes,
qui filios vitiosos non emendant, & corri-
gunt, ita monet Script. Qui parcit virgo,
odit filium suum: qui autem diligit illum, ins-
tanter erudit. Prov. cap. 13. v. 24. Stultitia
colligata est in collo pueri, & virga discipli-
nae fugabit eam. Prov. cap. 22. v. 15. Qui
diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut
letetur in novissimo die. Ecclis. 3. v. 1. Sem-
perque in animo habeant justam quam Deus
contra Heli exercuit punitionem lib. 1. Reg.
cap. 2. Quippe ut ait Chrysost. quia non om-
nia quæ fuerant agenda, ut ea resecarentur
vitia molitus est, & ipse una cum illis pe-
nitit, etenim ut monet Theodogetus. q. 7.

ad

ad hunc locum : Oportebat , cùm post primam & secundam monitionem perseverassent in nequitia , eos à templi ambitu expellere , &c. Unde in Scriptura 1. Reg. 3. v. 13 conque ritur Deus de Heli : *Eo quod noverat indignè agere filios suos , & non corripuerit eos.* Quare in pœnam omisso severæ correctio nis cecidit de sella retrorsum juxta ostium & fractis cervicibus mortuus est 1. Reg. c. 4. v. 10 Cecidit de sella , inquit Greg. quia cathedrā magisterii nimiā erga filios lenitate indignus factus est. cecidit juxta ostium tabernaculi in quo filios suos sacrilegia com mittere perniserat , & ita inquit Sanctus Doctor , *ibi cecidit , ubi deliquit.*

CONSECTARIUM II. Peccant pariter patentes qui dum corripiunt filios modum Christianæ correctionis excedunt . semper torvis inspiciunt oculis , ditis imprecatio nibus insectantur , tyrannos potius se exhibent quam parentes. In eo inquit Aug. serm. 52 de temp. belluis ipsis ferociores. Nulla enim bestia est , quæ non filiis suis blandè murmuret : & cùm terreat homines , parvulos foyet. *Fremit leo in sylvis , ut nemorū transeat , intrat in speluncam ubi habet filios suos omnem rabiem feritatis deponit* Hī verò parentes statim ac domum subeunt , iratos animos suscipiant . Eos ita commonet Paulus ad Colos. 3. v. 21. *Pares nolite ad indignationem provocare filios vestros , ut non pusillo animo fiant* Correctio paterna non ab ira , sed à charitate procedat oportet. Charitas autem , inquit Bernar Epis ad Ful con. *Cum te arguit misis est , cum blanditur*

simplex est, piè solet sœvire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, h. militier indignari. Duriores illos filiorum correctores ita instruit Greg. Past. part. 3. admonit. 14. Nonnumquam qui inter flagellorum duritiem remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi; nam plerunque quos cruciamenta non corrigunt, ab iniquis affectibus lenia blandimenta compescunt; quia & agros quos fortis pigmentorum potio curare non valuit; ad salutem pristinam tenebris aqua revocavit, & nonnulla vulnera quæ curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur & durus adamis incisionem ferri minimè recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit.

S III.

Parentes debent filiis bonum exemplum.

CONSECTARIUM I Peccant parentes qui filiis sunt scandalo; Christus enim omnibus, sed præcipue parentibus dicit: Qui autem scandalisaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum mari. Matth. c. 18. v. 6. Quo circa idem omnibus parentibus dixerim quod dicit Hieron. scribens ad Lætam: Nihil in te & in patre suo videat filia vestra quod si fecerit peccet. Mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse quam voce. Quippè, ut ait Cypr. lib. de duplice martir. Efficacius est vitæ, quam linguae testimonium: habent & opera suam linguam, habent suam

facundiam tacente lingua. Filii ergo longè promptius factis parentum credunt, quam verbis; sunt enim instar mollissimæ ceræ in qua altissimè imprimuntur parentum imagines, sunt & instar speculi; non enim alios exhibent colores, quam eos qui eis à parentibus imprimuntur; ut enim umbræ figuræ corporum, ita filii parentum mores imitantur; ac veluti simiæ quæcumque in iis bona, aut mala vident in se exprimunt. Quid enim, inquit Aug. in Psal. 136. sub fine: *Fatigatus est adhuc infans, anima tenera, nisi ut quod eos, id est parentes, viderit agere, hoc sequatur.* Scire ergo patres debent, inquir Greg. part. 3. Postor. admon. 5. *Quia si perversa unquam perpetravit tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

C O N S E C T A R I U M II. Peccant parentes qui filios ab exercitio pietatis avertunt quoque pacto id faciant, sive verbo, sive exemplo, sive negligentia. Sic peccant parentes qui in colloquiis suis, aut cum filiis, aut coram filiis, ita languide de rebus divinis loquuntur; ita verò ardenter de rebus mundanis, ut in filiorum animis sæculi amorem accendant; nunquam verò divinam charitatem inspirent. Coram filiis divites hujus sæculi magnificè extollunt, pauperes verò parvi faciunt, raro, immò nunquam filiorum animis illud Christi infigunt: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Coram filiis eos homines laudant qui promptè, qui fortiter acceptas ulciscuntur injurias & nunquam illud Christi expromunt: *Beati*

mites quoniam ipsi possidebunt terram. Coram filiis , eos dolent quos vel mundus spernit , vel infortunia premunt , vel morbi male afficiunt , nunquam verò teneros infantium animos istà imbuunt veritate : *Beati qui lugent , quoniam ipsi consolabuntur.* Filios ad artes liberales , ad scientias , ad armorum exercitium adhortantur & accendunt spe divitiarum & honorum ; temporalia commoda, quæ præstantes in hujusmodi exercitiis viros comitari solent sèpissimè recensent ; nunquam verò filiorum animis inculcant unam salutis æternæ famem esse necessariam ; juxa illud Christi : *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur.* Si quid rudes pueri , & adhuc teneri infantes contra sæculi urbanitatem , contra mundanum decorum fortè peccaverint; statim irâ excandescunt parentes ; si quid verò contra cultum Dei , contra charitatem proximi fecerint, nihil curant , immò si iis pravè factis aliquid appareat industriae , vel solertiæ laudant , blandiuntur & ita, uti dicit Chrysostomus, materialm vitiorum omnium docent & in filiorum animis accendunt concupiscentiam carnis , concupiscentiam oculorum , & superbiam vitæ.

Sic Peccant Parentes, qui coram filiis texunt suæ ante-actæ vitæ , etiam vitiösæ historiam , aut laudant pravè facta in quibus deberent erubescere ; & tot habent imitatores vitiorum , quot habent filios auditores , quippè ut optimè ait Leo serm. de jejuniis validiora sunt exempla quam verba , & plenius docetur opere quam voce.

Sic peccant parentes qui de salute filiorum parùm solliciti ea solum curant quæ ad corpus pertinent : hinc ait Chrysost. lib. 3. adversus vituperatores vitæ monasticæ : Nulla aliâ ratione perversi ut siant filii contingit , nisi quod eorum patres circa vite præsentis commoda æquò plus incumbunt , & ferè dixerint , insaniunt : cum enim illa solummodo inquirunt , nihilque illis præferendum censem , & suam pariter & liberorum animam negligere coguntur.

§. IV

Parentes debent filiis quasi Episcopalem sollicitudinem.

CONSECTARIUM I. Peccant Parentes , qui filios suos non separant quam diligentissime ab improborum confortio ; quia nihil est , quod magis puerorum educationem noceat. Non adhæsit mihi cor pravum , inquit David , quare à declinantem à me malignum non cognoscebam . superbo oculo & insatiabiliter corde cum hoc non edebam Psal. 100. v. 4. & rursus ; fili mi , si te laetaverint peccatores , ne aquiescas eis. Prov. c. 1. v. 10. fili mi , ne ambules cum eis , prohibe pedem tuum à semitis eorum ; Pedes enim illorum ad malum currunt , ibid. v. 15.

CONSECTARIUM II. Peccant Parentes , qui quam diligentissime non invigilant filiarum pudicitiae : filiae tibi sunt , inquit Scriptura , serva corpus earum , & ne ostendas hijarem faciem tuam ad illas Ecclis.

C. 7. v. 26. & C. 42. v. 9. filia patris abscondita est vigilia, & solicitude ejus auferit somnum.... nequando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis gravida inventiatur.... super filiam luxuriosam confirmacustodiam: ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, à detractione in Civitate, & objectione plebis, & confundat te multitudine populi, & Hieron. epist. 70. ad Lætam. sollicita provides ne filia percutiatur à viperarum non eadem curâ provides, ne feriatur à malleo universæ terræ, ne bibat de aureo calice Babylonis, ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias alienæ regionis, ne ludat pedibus, ne trahat tunicas.... citò vialas & lilium & erorum pestilens aura corruptit. Nusquam absque te procedat in publicum, basilicas martyrum & Ecclesiæ sine matre non adeat; nullus ei juvenis & cincinnatus arideat.... ne transversum quidem unguem à matre discedat.

C O N S E C T A R I U M III. Peccant Parentes, qui filiis suis non prohibent quam diligentissime usum earum rerum, quæ ad vitium sensim incitant; talia sunt cantilenæ sæculares, libri amatorii, saltationes & theatra: & quia hæc omnia ad luxuriam impellunt, ita loquitur Trullana Sinodus an. 692. can. 52. Omnipotens prohibet hæc sancta Synodus eos qui dicuntur mimos & earum spectacula deinde venationem quoquè spectaciones atquè in scena saltationes fieri, & prohibet periculosissimum est adolescentibus his comedendiis interessere.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant Paren-

tes qui cùm agitur de eligendo statu pro filiis , ducti rationibus omnino temporalibus , eos vel ad statum religiosum , vel ad statum clericalem invitos detrudunt , modò minis , modò blanditiis fraudulentis , modò occultà , modò apertà vi . Quàm culpanda sit hæc parentum coactio ; dicemus ubi de vocatione quandò agemus de variis hominum statibus ; id unum sufficiat , scilicet quod dicit Trident. ses. 25. Cap. 18. *Anathemati sancta subjicit Synodus omnes Si quo- cunque modo coegerint aliquam virginem vel viduam ad ingrediendum monasterium.*

CONSECTARIUM V. Peccant Parentes , qui filios suos , vel à statu Clericali , vel à statu Monachali avertunt . Simili quo- què anathematihi *Synodus Trid. subjicit eos , qui sanctam Virginem , vel aliorum mulierum voluntatem vel accipiendi , vel voti emittendi quoquo modo fine causa impedierint. ses. 25.* Cap. 18. & can. statuinus , dicitur ; si verò in fortiori ætate adolescentula , vel adolescens sevire Deo elegerit , non est potestas parentibus prohibendi . Unde Chrysost. eos parentes qui filios à sancto proposito sese consecrandi Deo nituntur avertere sic infectatur lib. 3 cont. impugnatores vitæ Monasti- cæ . Eos inquit , *Patres paricidiis ipsiis immaniores sceleratoresque dixerim : illi enim corpus ab anima separant ; isti animam & corpus æternis ignibus tradunt neque suorum tantum peccatorum pœnas dabunt . sed & eorum que filii peccarint , si in sæculo remanserint.* Unde sèpius contingit ut in pœnam temporalem parentes multa patiantur ab iisdem filiis quos.

S. V.

Quinam munus parentum verè Christianorum impleant.

CONSECTARIUM unicum. Hi officio Christianorum parentum verè satisfaciunt.

1º. Qui filios suos Legem Domini edocent exemplo Tobiae de quo scriptum est, *filium gennit quem ab insanitia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.*

2º. Qui bonum exemplum filiis præbent, v.g. qui coram filiis, & una cùm filiis vespere & manè preces Deo effundunt, qui Ecclesiæ cum filiis frequentant, qui divinis instructionibus & sacris officiis intersunt; exemplo Mariæ & Joseph, qui unâ cùm Christo Templum ibant. Item illi, qui teneram illam ætatem moribus informandis aptissimam sancte instituunt memores illius: *filii à juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam Eccl. C. 6. v. 18. & rursus, adolescens juxta viam suam, etiam cum fenerit, non recedet ab ea. Prov. 22. v. 6. Offa eius implebuntur viiis adolescentia ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job. c. 20. v. 11. ideo faciendum putant, quod jubet Eccles. 13 v. 81. Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps.... curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est, ne forte indureat, & non credat tibi. Quippe ut ait Jerem. Thren. Cap. 3. v. 27. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentiâ suâ,*

CAPUT III.

*De Curatoribus & Tutoribus, erga pupillos
& minores & vice versa.*

TUTOR est ille, qui datur impuberibus.... 1° Ut tutetur eorum personam, & provideat eorum educationi & instructioni... 2°. Ut curet eorum bona. potest dari invitatis pupillis. **Curator** est ille, qui datur minoribus post annos expletos pubertatis usque ad annum vigesimum quintum, ut provideat 1°. Eorum bonis. 2°. Eorum personæ & educationi.

ARTICULUS UNICUS.

De his quæ sibi mutuo debent tutores & pupilli.

PROPOSITIO unica. Tutores & curatores eadem debent pupillis & minoribus, quæ parentes filiis, & vice versa pupilli & minores eadem debent tutoribus & curatoribus, quæ filii debent parentibus, excepto hoc, quod tutor non debet nutritre & vestire pupilos & minores propriis expensis, sed solum ex bonis pertinentibus ad pupilos & minores; pupilli pariter vel minores non tenentur ex justitiâ dare subsidium curatoribus & tutoribus, sed solum ex charitate.

Illa conclusio probatur iisdem rationibus, quibus duæ superiores probatae sunt, rationis ànsque est; quia tutores & curatores ge-

242 MORALIS CHRISTIANA.
runt vices parentum relativè ad pupillos & minores.

De his agetur uberiùs , ubi de contractibus.

C A P U T IV.

De servis erga Dominos , & de Dominis erga servos.

ARTICULUS I.

Quid famuli debeant heris suis?

PROPOSITIO unica. Famuli debent hēris suis amorem , obedientiam , reverentiam , & fidelitatem eo fermè modo , quo filii parentibus.

Probatur 1°. Scripturā Debent 1°. Amorem , juxtā illud. *Cum bona voluntate servientes sicut Domino , & non hominibus.* Ad Eph. c. 6. v. 7.

2°. Obedientiam , juxtā illud : *Servi OBE-DITE Dominis carnalibus cum timore , & tremore , in simplicitate cordis vestri sicut Christo.* Ad Eph. c. 6. v. 5.

3°. Debet reverentiam : juxtā illud 1. ad Timoth. c. 6. v. 1. *Quicumque sunt sub jugo servi Dominos suos omni HONORE dignos arbitrentur.*

4°. Fidelitatem : juxtā illud Pauli ad Titum c. 2. v. 9. doceas ; *Servos Dominis suis subditos esse , in omnibus placentes , non contra dicentes , non fraudantes , sed in omnibus EIDEM bonam ostendentes.* Ergo servi debent Dominis amorem , obedientiam , reverentiam , & fidelitatem.

2. Ex Sermonе 117. inter opera Aug. in append. Tom. 5. aliаs de tem. 7. ubi sic habetur. *Sermo mibi ad vos servi; quicumque dominos carnales habetis...* Obedite Dominis vestris, diligite ex corde, non ad oculum servientes, sed ministerium ex amore facientes & quia & illos Deus constituit ut vobis dominentur, & vos ut serviatōs. Benē servite propter Deum, quia de bono servitio mercedem habebitis. Ergo ex illo auctore servi debent Dominis amorem, obedientiam, reverentiam, & fidelitatem.

3^o. Ratione. Servi Christiani debent heros tamquam parentes intueri: heri enim in scriptura in parentum numero collocantur. Ergo servi debent heris suis. 1^o. Amorem ut parentibus. 2^o. Obedientiam ut Dominis. 3^o. Reverentiam ut superioribus. 4^o. Fidelitatem ut his qui eos ad suam quasi familiam ascriperunt.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant famuli qui Dominis etiam discolis, duris, & asperis, charitatis affectu non serviunt, quique interius odium contra illos aut exterius manifestant, quia non observant primum & pricipuum quod debent heris suis officium, audiant illud Aug. de lib. 1. de moribus Eccles. Cath. c. 30. *Tu Dominis servos,* inquit, *non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhaerere;* Attendant ad exemplum famuli Abrahæ qui Domino serviebat, ductus non spe lucri, sed amore

erga Dominum ut patet ex eo ardore quo Isaac uxorem accersivit. Gene. cap. 44.

CONSECIARIUM II Peccant famuli qui heris suis in his quæ non sunt prohibita promptè non obediunt, quia non observant secundum quod debent heris suis officium. *Servi*, inquit Paul. ad Colos. c. 3 v. 22. *Odebit eum servus omnia dominis carnalibus*, non ad ecclesium servientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Attendant ad servos David qui in rebellione Absalonis cum omnes deficerent à rege ei fideliter adhæserunt, & mandata eti^m difficilima exequabantur; *Dixeruntque*, inquit scriptura 2. Reg. c. 15. v. 15. *Servi regis ad eum*, omnia quæcumque præceperit Dominus noster Rex, libenter exequemur servi tui.

Sic graviter peccant servi, qui non obediunt in his quæ spectant commodum temporale dominorum suorum; quia ob eum finem operas suas Dominis suis locaverunt; sed longè gravius peccant famuli cum obedientiam renuunt in his quæ spectant suam salutem æternam, v. g. cum Domini præcipiant servis ut observent mandata Dei & Ecclesiæ, quia tunc inobedientia cum propriæ salutis negligentia conjungitur.

MONITUM. Peccant famuli, qui morrem gerunt Dominis aliquid contra legem Dei, vel Ecclesiæ præcipientibus; oportet enim semper Deo potius obediare quam hominibus. Sic peccaverunt servi Saülis, qui indicarunt ei mulierem Pythonissam 1. Reg. c. 28. Sic peccarunt etiam servi Davidis, qui uxorem Uriæ ad Regem adduxerunt, ut

eam carnaliter cognosceret. 2. Reg. II. Sic peccarunt quoque servi Absalonis, qui eo iubente Ammonem in convivio interfecerunt: ita pariter peccant servi omnes, qui, vel odio, vel libidini &c. Dominorum suorum famulantur: satius quippe est ab his heris recedere quam cum salutis, tum suæ, tum dominorum periculo eis optemperare. Unde damnata est sequens propositio à summo Pontifice & à Clero Gallic. art. 14. *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem; & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, putâ ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Hæc enim propositio, inquit Patres Gallicani, scandalosa est, perniciosa, verbis Dominicis & Apostolicis aperte contraria & heretica. *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua. Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus.*

CONSECTARIUM III. Peccant graviter servi qui commissa ab heris suis secretâ sine causâ aperiunt, qui quæcumque geruntur in familia extraneis patefaciunt, & ea quæ filere oporteret imprudenter divulgant, attendant ad exemplum Chusai, qui licet esset à consiliis Absalonis rebellantis contra Davidem, tamen secreta sibi à Davide commissa non prodidit; sed ea prudenter tacuit; jus enim naturale postulat ut servi sint arcatorum sibi ab heris commissorum obser-

vantissimi : ipsi enim pagani hoc pessimum
in servis vitium esse agnoverunt. Unde Ter-
rentius servum secreti sibi commissi non te-
nacem sic inducit loquente: *Plenus rima-
rum sum hanc & illam perfluo.* Et scriptura om-
nes secreti naturalis proditores sic vituperat.
*Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui
autem fidelis est, celat amici commissum.* Prov.
II. v. 13. A fortiori gravius peccat qui heri-
sui revelat arcanum ; *Quia amicis, secretum
debemus ex legibus amicitiae, heris vero
nostris ex legibus æquitatis & justitiae.*

CONSECTARIUM IV. Peccant famuli
qui quando habent heros aut nimium faci-
les, aut non satis severos debitam eis non
impendunt reverentiam, v. g. heros qui sunt,
aut Sacerdotes, aut Religiosi, aut pii non
ut par est venerantur. Nam verum est quod
vulgari dicitur proverbio : *Miles habet ser-
vum, Clericus monachusque sodalem.* Tunc in-
quam servi debitam non impendendo reve-
rentiam tanto gravius peccant quanto mitius
in eos agitur. Unde ait Paul. I. ad Tim. 6.
v. 2. *Qui autem fideles habent Dominos non
contemnant, quia fratres sunt, id est quia Do-
minorum auctoritate non utuntur; Sed ma-
gis serviant, quia fratres sunt & dilecti;*
id est quia suaviter erga servos se gerunt.
Fortè hic textus hanc potest pati exposicio-
nem ; si enim inquit Hieron. serviebant in-
fidelibus timore odioso, quanto magis servire
debent fidelibus, quorum charitatis participes esse
merentur, in caput 6. I. Epist. ad Timo. At-
tendant ad exemplum Agar quam reprehendi-
dit Angelus eo quod Domini Sarai, facili &

ablandienti non motem gesserit, eamque remittit ad Sarai, ut ei etiam severius agenti se subjiciat.

C O N S E C T A R I U M V. Peccant graviter famuli, qui res sibi à Dominis commissas non satis fideliter custodiunt: tenentur enim ex justitia rem domesticam dominorum suorum non secùs ac propriam conservare. Attendant semper ad exemplum Jacob, qui fidelissimè servivit Laban socero suo Gen. c. 29. Attendant pariter ad exemplum Joseph, qui fidelissimè, credita sibi à Putiphare administrabat. Attendant Ethaii servum Davidis; *Vivit Dominus, inquit, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quounque loco fueris, Domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit servus tuus.* 2. Reg. c. 15. v. 22.

C O N S E C T A R I U M VI. Peccant graviter famuli, si permittant grave damnum inferri heris suis, & tenentur ad restitutionem; edocet dictum illud Christi: *Quis putas est fidelis servus & prudens... Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum;* Indicans eum gravissimè punieandum, qui secùs fecerit Math. c. 24. v. 45.

C O N S E C T A R I U M VII. Peccant graviter famuli, si non laborent juxta conventionem; & tenentur ad restitutionem. Item si heros suos deserant ante condicium tempus; quare ita servos commonet Paulus. *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum servientes.* ad Col. c. 3. v. 22.

ARTICULUS II.

Quid debeant heri servis suis.

PROPOSITIO unica. Domini idem debent servis, quod ad animam & quod ad corpus, quod parentes liberis excepto quod Domini non debent providere hereditatem servis, sed solum solvere pactam mercedeem.

Probatur 1°. Scripturā. Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior 1°. ad Timoth. c. 6. v. 6. ergo eadem domini debent servis quod ad corpus, & quod ad animam quod ad parentes filiis, cum Paulus filiorum curam, cum cura erga famulos conjungat, immò afferat quod heri qui servos negligerent forent infideli deteriores; siquidem infidelis. *Etsi aliquos despicit propinquos, tamen nequaquam aspernatur*, inquit Chrysost. Homil. 14. in cap. 5. 1. Epist. ad Timoth.

2°. Ex Aug. qui optimè funguntur Patris-familias officio, eadem impendunt familias quæ parentes filiis. Qui autem, inquit lib. 19. de Civit. c. 16. Veri patres-familias sunt, omnibus in familia suâ, tanquam filiis ad contendum & promerendum Deum consulunt, desiderantes atque optantes venire ad caelestem Domum. Ergo Domini idem debent servis quoad corpus & animam quod parentes filiis.

3°. Ratione. Domini sunt servorum suorum patres, ut agnovit Centurio qui loquens de servo suo aiebat, puer mens jacet in domo paraliticus & male torqueatur. Math. q. 8. ergo Domini eademi debent servis

quoad corpus & animam quod parentes liberi. Duxi quod Domini non debent servis hereditatem procurare quia loco hereditatis tenentur solum justam famulatus mercedem reprendere ; juxta illud Pauli ad Colossem. c. 4. v. 1. *Domini quod justum est & aequum servis prestate , scientes quod & vos Dominum habetis in caelo.*

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant heri, qui non habent Christianam charitatem erga famulos , servus sensatus sit tibi , inquit Scriptura , dilectus quasi anima tua. Ecclis. c. 7. v. 23. & Aug. lib. 19. de Civ. c. 14. docens quales debeant esse Domini erga servos tales eos depingit. , neque , inquit , dominandi cupiditate imperant , sed officio consulendi , nec principandi superbiam.

CONSECTARIUM II. Peccant heri , 1^o. qui Christianam instructionem non procurant famulis ; qui misericordiam habet , inquit Scriptura , docet , & erudit quasi Pastor gemmum suum. Ecclis. c. 18. v. 13. 2^o. qui negligunt eos convenienti exercitio occupare , ne otiosi sint. *Mitte illum , id est servum tuum in operationem , ne vacet : multam enim matitiam docuit otiositas ;* Ecclis. c. 33. v. 29. 3^o. Qui permittunt eos aut prava loqui aut obscenum aliquid agere : Peccant enim non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Officium illud ad patrem-familias pertinere expressè docet Concil. Mediolan. de his quæ pertinent ad matrem. *Curet pater familias , ut nemo quisquam de familiâ*

150. MORALIS CHRISTIANA.

suā sit qui Christianæ fidei rudimentis non sit
instruc̄tus , sive filii filiæque sint , sive servi
& ancillæ sive alii in famulatu Nec pa-
tiantur in familiâ suâ esse quemquam qui blas-
phemus sit , perjurus , qui item corruptis mori-
bus utatur , &c.

CONSECTARIUM III. Peccant heri,
qui impediunt ne famuli diebus Festis Mis-
sam audiant , vel dies Festos sanctifificant ,
sic enim scriptura servos ab omni labore
eximit die Festo : *Non facies* , inquit , *omne*
opus in eo , *tu & si ius tuus & filia tua , ser-*
vus tuus & ancilla tua. Exod. c. 20. v. 10.

CONSECTARIUM IV. Peccant heri, qui
justam servis mercedem subripiunt juxta
illud : *Non morabitur opus mercenarii tui*
apud te usque manè. Lev. cap. 9. v. 13. Do-
mini quod justum est & æquum , servis prestat:
scientes quod & vos Dominum habetis in celo.
ad Coloss. cap. 4. v. 1.

CONSECTARIUM V. Peccant Domini,
qui servos suos gravibus injuriis afficiunt ,
sic Dominos Paulus admonet : *Et vos Do-*
nini eadem facite illis , remittentes minas :
scientes quia illorum , & uester Dominus est
in celis : & personarum acceptio non est apud
eum. ad Eph. c. 6. v. 9.

CONSECTARIUM VI. Peccant Domi-
ni , qui servos sine causa ante statutum
terminum è domo ejiciunt , & tenentur
damnum emergens resarcire : ita jubet Scrip-
tura. *Non laedis* , ait , *servum in veritate ope-*
rantem , neque Mercenarium dintem animans
spum, Ecclis. c. 7. v. 22.

CAPUT IV.

De munis conjugorum Officiis.

Maritus & Uxor in aliquo sunt æquales ; in aliquo inæquales ; pares sunt immutuo corporum dominio , in mutua animalium unione ; disparates in familias regimine ut docet Aug. lib. 22. contra Faustum c. 21. Cum in cæteris actibus mulier viro debeat servitatem , hujus unius rei quâ sexus utriusque carnali sorte discernitur , & carnali commixtione consernitur , similem in se habeant potestatem , vir in uxorem & uxor in virum ! Ideo agemus primò de his in quibus vir & uxor sunt inæquales ; postea agemus de his in quibus sunt æquales.

§. I.

De his in quibus maritus & uxor sunt inæquales.

ARTICULUS I.

De Officio Uxoris erga virum.

PROPOSITIO unica. In his quæ spectant mutuum convictum & regimen rei domesticæ uxor tenetur subesse viro suo, eique obediare.

Probatur 1º. Scripturâ, *Mulieres viris suis subditæ sint*, sicut Domino : quoniam *vix caput est mulieris* sicut *Christus caput est Ecclesia*. ad Eph. c. 5. v. 22. & apud Tobiam,

Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire: monentes eam honorare sacerdos, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsum irreprehensibilem exhibere.

2°. Ex Chysoftomo Homil. 10. in Epist. ad Colos. Diligere quidem, inquit, virorum est, illarum, id est uxorum cedere hoc quoque à naturā sic comparatum est, ut vir quidem diligat, mulier autem obediatur. Sed id praeſiūs determinat Aug. lib. 22. contra Faſ. c. 21. Quis enim nescit, inquit, uxorem marito tanquam Domino debere servire, servitute quæ dominium ſupponat, non despoticum; ſed civile, non tyrannicum, ſed ſuave; ut ipſemet explicat Aug.

*3°. Ratione. Maritus caput est uxorū, ergo debet uxorem diligere & ei præſeffe, & uxor debet ſubeffe juxta illud *sub viri potestate eris & ipſe dominabitur*, juxta illud Genes. 3. v. 16.*

Conſectarija hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat Uxor, quæ in mutuo convictu, mutuisque colloquiis, marito ſubeffe renuit, eique dominari affectat, quæ etiam verbis imperioſis riāque affectatā maritum ad iram provocat, ad juramenta, ad blasphemias, imprecatio-nesve concitat; id enim est contra obſequium quod marito deberet. Unde Paulus ad. Eph. c. 5. v. 33. ſic uxores commonet. *Uxor autem timeat virum ſuum & Aug. lib. 50. Homiliarum veter. edit. ait In omnibus*

ancille estote virorum vestrorum subditæ ad obsequium , nulla sit in vobis protervitas , nulla superbia , non contumeliosa cervix , non aliqua inobedientia ; prossim tanquam ancillæ servite , quod debet semper intelligi eâ servitute quæ excludat despoticum Dominium.

CONSECTARIUM II. Peccat uxor quæ neglecta omni erga maritum reverentia eum etiam vitiosum durius tractat , aut intempestivè , admonet semper enim firmum stare debet illud Petri : *Mulieres subditæ sint viris suis* , pet. 3. v. 1. Si quando ergo uxores maritorum vitia corpore velint gerant se erga sponsos suos ad instar Abigail ; hæc enim non dure , nec intempestivè virum suum ebrium vel iratum arguebat ; sed quoties opportuna occurrebat occasio , gerens se , ut se gessit Monica erga Patricium maritum suum. *Hæc* , teste Aug. lib. 9. conf. cap. 9. *noverat non resistere irato viro , non tam facto , sed ne verbo quidem , jam verò refractum & quietum cum opportunum videret , rationem facti sui reddebat , si sorte ille inconsideratus commotus fuerat.* Atque ita factum est , ut maritum patricium Patiens Monica Deo lucrata fuerit , ut ait Aug. ibid.

CONSECTARIUM III. Peccat graviter uxor si spreto viro sibi imperium vindicer ; quia uxoris est subesse : *Mulieres* , inquit Paulus *subditæ estote viris sicut oportet in Domino ad Colos. 3. v. 18 & in libro Esther non improbatur generalis hæc constitutio. Choræ uxores tam majorum , quam minorum*

CONSECTARIUM IV. Peccat uxor si se ingerat in administrationem domus sine justâ causâ , qualis esset, si maritus prodigus bona familiæ dilapidaret ; quia mulier non est caput viri : sed è contra vir caput est mulieris.

CONSECTARIUM V. Peccat graviter uxor si quid notabile expendat contra viri voluntatem & justam consuetudinem mulierum ejusdem status , vel in ludos, vel in delicias ; immò in eleemosinas, nisi hæ fierent ex bonis paraphernalibus si habeat ; quia uxor non est domina bonorum familiæ : Nihil ergo de tuâ ueste inquit Aug. nihil de suo auro, vel argento , vel quacunque pecunia , aut rebus ullis terrenis suis sine arbitrio mariti facere debuisti Epis. ad Ecdicidiam 262. & ibidem non licet uxori dicere, facio quod volo de meo , cum & ipsa non sit sua , sed capitis sui , hoc est viri sui.

CONSECTARIUM VI. Peccat graviter uxor, si ex quodam amore independentiæ sine ullâ causâ nolit sequi virum domicillum mutantem ; decet enim uxorem à marito non divelli , sicuti decet membrum capitii adhærere : exemplum egregium hujus adhæsionis est Sara quæ Abraham peregrinatem semper comitata est.

ARTICULUS II.

De officiis mariti erga uxorem.

PR O P O S I T I O unica. Maritus debet uxorem , non ut servam , sed ut sociam

habere in mutuo convictu immò in his quæ ad regimen familiæ pertinent.

Probatur 1°. ex scripturâ , Petrus Apostolus Epis. 1. cap. 3. v. 7. sic viros alloquitur. *Viri simillier cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes HONOREM, tanquam cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediatur orationes vestræ.* Ergo mariti debent uxoribus honorem aliquem impendere; ergo non debent eas habere ut servas , sive in mutuo convictu , sive in domus regimine.

2°. Chrysost. in cap. 3. Epist. ad Ephes. homil. 2°. ubi sic habet : *Vitæ autem sociam, liberorum matrem, & quæ est causa & occasio omnis letitiæ, non oportet metu, & minis ligare, sed dilectione & affectione? quenam enim est conjunctio, quando uxor exborrexit maritum? quānam autem voluptate fructur ipse maritus cum uxore habitans tanquām cum ancillâ, & non tanquam cum liberâ: unde ibidem alloquens maritum, sic eum præmonet: Exige timorem qui convenit libere non tanquam ab ancillâ, est enim corpus tuum; nam si hoc feceris, te ipsum probro affici, tuum corpus afficiens ignominia, ergo maritus debet uxorem suam non ut ancillam, sed ut sociam. habere.*

3°. Ratione. Ita debent se gerere viri erga uxores , sicut Christus erga Ecclesiam ; & uxores erga viros , sicuti Ecclesia erga Christum , quia ut docet Aug. lib de continentia c. 9. in unione Christi cum Ecclesia. *Vir, & uxor quales secum esse debeant præceptum accipiunt & exemplum.* Atqui Christus Eccle-

165 MORALIS CHRISTIANA:
siam non habet ut servam, sed dirigit ut li-
beram; ergo & mariti uxores suas, non ut
servas, sed ut socias habere debent.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccat maritus,
si verbis contumeliosis, vel infamatoriis af-
ficiat uxorem: *Viri, diligite uxores vestras,*
& nolite amari esse ad ilias; ait Paulus ad
Colos c. 3. v. 19. *Vis,* inquit Chrysostomus
ibidem, *tibi obedire uxorem sicut Christo Ec-*
clesiam, ipse quoque ejus curam gere sicut Christ-
tus Ecclesie... *Quonodo Christus eam que*
ipsum adversabatur oderatque, & despiciens
habebat, ac consuebat, & per lasciviam ei
insultabant, magnâ suâ curâ suis subjecit pe-
dibus; non minis, nec contumeliis, nequeme-
tu, neque ullo alio hujusmodi. Ita, tu quo-
que te gere in tuam uxorem etiamsi eam vide-
ris despiciensem, &c.

CONSECTARIUM II. Peccat maritus,
si uxorem tamquam servam habeat; non
enim Dominus est uxor, sed solum caput:
Tu viros conjugibus, inquit Aug. *non ad il-*
ludendum imbecilliores sexum, sed sinceris
amoris legibus praeficis; lib. 1. de Morib. Eccles.
c. 30. Quia viro, nec Domina, nec ancilla,
inquit Aug. parabatur, sed socia, non de ca-
pite, nec de pedibus, sed de latere erat produ-
cenda. Epist. 99.

CONSECTARIUM III. Peccat maritus,
si sine gravi causa uxorem à Domini regi-
mine omnino removeat, si negotiorum fa-
milias omnem ei notitiam, quasi foret ex-
tranæ

tranea penitus eripiat ; maritus enim debet uxorem ut sociam , non ut extraneam in rebus domesticis habere , nisi sibi certò constaret uxorem rem familiarem dilapidare potius quām augere ; nihil enim est quod magis noceat rebus domesticis , quām vel minima inter virum & uxorem dissensio ; quippe ut ait Chrysost. in c. 5. Epist. ad Eph. Hom. 22. *Si hi, id est conjugati, in concordia sint, & rectè aluntur filii, modestique sunt famuli, & ordinem non deserunt, & bonorum odore fruuntur vicini amicique & cognati; sed autem contra confunduntur omnia, & quomodo cùm duces exercitus inter se pacem agunt, omnia suam servant consequentiam & si rursus illi turbentur, sursum & deorsum aguntur omnia, ita & nunc quoque se habentes in familia.* Quando conjugati dissentijunt.

CONSECTARIUM IV. Peccat maritus si ex negligentia regimen domus & curam omnem rei familiaris abjiciat ; quia vir caput est mulieris , & ita ejus est providere familiæ , de quo ita Catechis Trident. part. 2. titul. de matrimonii Sacramento. *Decet virum in alicujus rei honestæ studio semper occupatum esse, tum ut suppeditet quæ ad familiam sustentandam necessaria sunt: tum inertio torpescat, à quo vitia ferè omnia fluxerunt;*

§ II.

De his in quibus conjugati sunt sibi aequaliter debitores.

Non loquimur hic de usu matrimonii, quia de hoc agemus ubi de luxurie.

ARTICULUS I.

De subsidio quod sibi mutuo debent conjugati, ut societatem conjugalem foveant.

PROPOSITIO unica. Conjugati debent sibi mutuo ea subsidia, quæ individuam vitæ societatem quam inierunt fovere possunt.

Probatur 1º. Scripturâ. Conjugati sunt ad minus æquè uniti ac membra ejusdem corporis, juxta illud Gen. 2. v. 24. *Erunt duo in carne una*, atqui membra ejusdem corporis ea sibi subsidia conferant quæ consistentiam corporis fovere possunt; ergo & conjugati debent sibi mutuo ea conferre subsidia quæ individuam societatem quam inierunt fovere possunt.

2º. Ratione. Matrimonium est maris & fœminæ legitima conjunctio, individuam vitæ societatem retinens; atqui individua, seu inseparabilis illa societas stare non potest, nisi conjugati mutuo sibi necessaria subsidia conferant, ut patet; ergo conjugati debent sibi mutuo ea subsidia confere, quæ societatem quam inierunt fovere possunt.

Consectaria hujus doctrinae.

CONSECTARIUM I. Conjugati debent mutuos, tum animi, tum corporis defectus patienter sustinere; dicitur quippe omnibus, sed præcipue conjugatis; *Alter alterius onera portate & sic adimplebitis legem Christi*, ad Galat. 6. Sic, prudentissima Abigail, ut loquitur scriptura, Nabal virum suum. Durum, pessimum & malitiosum, patienter sustinebat. Sic Elcana Annam licet sterilem patienter sustinebat, tristemque consolabatur dicens, *Anna cur fles? & quare non comedis, & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii.* Unde Sanctus Greg. past. p. 3. admon. 27. ait: *Admonendi sunt conjuges, ut ea in quibus sibi aliquando displicant, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem salvent.*

CONSECTARIUM II. Conjugati in morbis, aliisque corporis infirmitatibus debent sibi mutuo ministerium, hoc enim exigit amor conjugalis; ideo vituperatur in scriptura uxor Job, quæ maritum è planta pedis usque ad verticem pessimo vulnere percussum affligebat potius quam sublevabat. Job cap. 2.

CONSECTARIUM III. Conjugati debent comparti necessitatem patienti pro ut possunt succurrere, sive bonis fortunæ si habeant, sive operâ manuum si labore possebant. Unde laudatur in scriptura uxor Tobie, quæ operâ manuum suarum marito in-

digenti opitulabatur. Anna verò uxor ejus ibat ad opus textrinunt quætidie: & de labore manuum sua uia victum, quæm consequi poterat, deferebat, in hoc laudanda, virtuete randa verò in eo quod sponso suo spem quam habebat in Deo, exprobrabat. Unde Aug.lib 5 Homil. Homil. 49. veteris editionis, uxorem sic commonet. *Aurum tuum vendit maritus pro necessitate sua, ferto semina, noli litigare, noli contradicere, contemptus auri tui, dilectio est viri tui. Si villam tuam pro necessitate sua vendat quæ est tua, non enim potest esse ejus quæ non sit tua, si est charitas in te quæ debet esse in uxore, ferto patienter: & si dubitat, tu offer, contemne omnia proper amorem viri tui.* Quod Augustinus dicit de uxore erga virum, idem dicendum de viro erga uxoren.

C O N S E C T A R I U M IV. Conjugati debent sibi mutuo & in prosperis gaudium & in adversis solatum, debent simul & in afflictione contristari, & in lætitia congaudere; comparantur enim ad invicem sicut membra unius & ejusdem corporis, ut autem non sit; *Schisma in corpore*, inquit Paulus i ad Corinth 12. v. 25. In idipsum pro invicem sollicita sunt membra, & siquid patitur unum membrum: conpatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

ARTICULUS II.

De subsidio quod sibi debent conjugati in ordine ad salutem æternam.

PROPOSITIO UNICA. Conjugati debent sibi mutuo ea subsidia, quæ ad æternam utriusque salutem sunt necessaria.

Probatur 1º. Scripturâ. Is est finis præcipius matrimonii, ut conjugati se se mutuo adjuvent in ordine ad salutem æternam consequendam, juxta illud Pauli 1. ad Corint. 7. v. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidem;* Ergo conjugati debent sibi mutuo ea subsidia, quæ ad æternam utriusque salutem sunt necessaria.

2. Ratione. Matrimonium in lege Evangelica est non solum contractus civilis, sed etiam verum Sacramentum. Ergo obligat conjugatos, ut non solum sibi ea subsidia conferrant, quæ societatem civilem fovere possunt; sed etiam ea quæ ad æternam salutem inservire possunt.

Consecaria hujus Doctrinæ:

CONSECTARIUM I. Conjugati debent sibi amorem sanctum & pudicum, qualis reperitur inter Christum & Ecclesiam, ut monet Paulus, ad Ephes. 5. v 22. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea,* ut eam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo.

vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiā, non habent māculām, aut rugam, aut aliquid ejusmodi; sed ut sit sancta & immaculata. Idem officium incumbit uxoribus: ergo conjugati debent eo amore mutuo sediligere, quo possint sine maculā, sine rugā coram Deo se sistere. Tales erant Zacharias & Elisabeth de quibus dicitur. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querelā. *Luc. i. v. 6.*

CONSECTARIUM II. Conjugati debent sibi mutuo admonitionem & instructionem circa ea quæ pertinent ad salutem æternam, & quidem vir utpote caput uxoris debet instruere mulierem, & aliquando uxor debet instruere virum. Sic Tobias uxorem Annam commonebat, his verbis. *Tunc hor-tatus est Virginem Tobias, dixitque ei: Sa-ra, exurge, & deprecemur Deum hodie & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur. Tertiā autem transaltā noc-te, in nostro erimus conjugio, filii sanctorum sumus, non possumus ita conjungi, scilicet gentes quæ ignorant Deum.* *Tob 8. v. 4.* Sic Abigail virum Nabal interdum admonebat, & Monica virum suum Patricium

CONSECTARIUM III. Conjugati debent se se mutuis exemplis ad pietatem inflammare, v. g. simul orare, simul Sacra menta frequentare, &c. id docet Chrysost. Hom. 20 in Epist. ad Ephes. *Sint preces vobis communes, inquit, unusquisque eat ad Ecclesiam, & eorum quæ illic dicuntur & legitimuntur, & maritus ab uxore partem domi exigat, & illa à marito.*

CONSECTARIUM IV. Conjugati ita debent sancte conversari, ut ex eorum exemplo cæteri, tum fideles, tum infideles sanctitatem addiscant, ita docet Petrus i. cap. 3. Similiter, inquit, & mulieres subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucratiant, considerantes in timore castam conversationem vestram.

CAPUT V.

De mutuo Pastorum oviumque officio.

ARTICULUS I.

De officio ovium erga Pastores.

PROPOSITIO unica. Pastoribus debemus amorem, reverentiam, obedientiam, & subsidium.

Probatur 1^o. Scripturâ. Debemus primò amorem Pastoribus nostris, juxta illud Pauli. Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantiū in CHARITATE. Propter opus illorum, pacem habete cum eis. i. ad Thes. c. 5. v. 12. Secundò reverentiam eis debemus, juxta illud. Honora Deum ex tota anima tua & HONORIFICA Sacerdotes. Eccles. c. 7. v. 33. Tertiò debemus eis subsidium, juxta illud; Honorifica Sacerdotes, & propurgate cum brachis, da illis partem PRIMITIARVM, sicut mandatum est.

tibi. Eccles. c. 7. v. 33. & juxta illud Pauli.
Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat... Si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est si nos carnalia vestra metamus.
Quartò eisdem debemus obedientiam, juxta illud; Qui autem superbierit, non ens OBE-DIRE Sacerdotis imperio morietur homo ille.
 Deut. 17. v. 22. & juxtra illud Pauli. *OBE-DITE præpositis vestris & subjacete eis; ipsi enim per vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, ad Hæb. c. 13. v. 17.
 Ergo Pastoribus debemus amorem, reverentiam, obedientiam & subsidium.

2. Ex lib. 2. Constitut. Apostolicæ, qui liber, licet verus, non sit fœtus Apostolorum, gravis est tamen autoritatis; sic ergo habetur. c. 20. *At verò bonum Pastorem Latinus bonoret, diligat, metuat ut patrem, ut Dominum, ut herum, ut Dei Pontificem, ut magistrum pietatis: qui enim odit eum, Christum odit, & qui ei non obtemperat, non obtemperat Christo, & qui Christum non recipit patrem ejus. Qui enim vos odit, me odit, & qui vos spernit, me spernit, & qui me spernit, eum qui misit me spernit.*

3. Ex: Concil. Carisiacensi an. 858. c. 7.
Rectores ac Pastores Ecclesiarum, ut patres & Christi Vicarios coite, sicut sancta Scriptura præcipit, dicens; Sacerdotes Dei sanctifica, & magnati humilia caput tuum Eorumque spiritualia consili obaudite, iterum dicente scripturā... Labia Sacerdotis custodient scientiam.

4. Ratione. Pastores sunt spirituales patres fidelium, juxta illud: *In Christo per Evangelium ego vos genui; Ergo eadem eis debemus officia quæ parentibus carnalibus;* ergo debemus eis amorem, reverentiam, obedientiam & subsidium.

Consecaria bujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant fideles qui interius non amant pastores suos spirituales, & qui in circumstantiis debitum non dant signa externa amoris erga illos quo circa Paulus reprehendit Galatas, quod amor ille quo cum deperibant paululum repesceret. *Ubi est ergo,* inquit, *beatus vestrum Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mibi: ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens,* ad Galat. 4. v. 15.

Peccant gravius qui interius odio habent pastores suos, aut qui exterius proferunt signa latentis odii; illud enim odium non tam in pastores quam in ipsum Deum refunditur, ut monet Greg. Regis. lib. 12. Indic. 7. Epis. 7. *Cum in præpositos delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit obviamus.* Unde Moyses, dum contra se & Aaron conqueri populum cognovisset, ait, *nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum.*

C O N S E C T A R I U M II. Peccant fideles qui pastoribus debitam non exhibent reverentiam, v. g. non altè sentiunt de illis, non eos alloquuntur verbis honorificis, quippe, ut

ait Chrysoft. Homil. 17. in Matth Sacerdotes Christi Vicarii sunt , qui honorat Sacerdotes Christi, Christum honorat , & lib. 3. de dignitate Sacerdotali ait : *Per ipsos Sacerdotes Christum induimus , per ipsos Dei filio conjungimur : per ipsos membra beati ipsius capitibus efficiemus.* Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis quam Reges, aut judices , sed etiam nobis magis erunt honorabiles quam parentes. Exemplum habemus tremendum iis qui non honorant Sacerdotes in pueris illis, qui Prophetam quasi calvum irridebant ; egressi enim duo ursi de saltu , lasceraverunt ex eis quadraginta duos pueros , qui Prophetam verbis injuriosis irriserant. Unde Aug. serm. 102. de verbis Evangel. Luc. ait : *Vide te ne spernatis nos , ne ad illum perveniat injuria quam nobis feceritis. Si enim non timetis nos , illum timete qui dixit.* Qui vos spernit , me spernit .

CONSECTARIUM III. Peccant fideles qui pastoribus non obediunt in his quæ salutem nostram spectant : dicitur enim Math. c. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sedebunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate & facite , secundum opera verò eorum nolite facere.* Legitur insuper in Epist. quæ tribuitur Clementi. *Quicumque Episcopis non obediunt indubitanter rei & reprobi existunt;* & Aug. serm. 147. de verbis Evangelii Joannis , aliás 62. de verbis Domini , ait ; *Pertineat ergo ad nos Episcopos cura . ad vos fideles obebentia ; ad nos vigilancia pastoralis , ad vos humilitas gregis.*

CONSECTARIUM IV. Peccant fideles

qui debitum non conserunt Pastoribus suis
subsidium , v. g decimas , oblationes &c.
Scriptum est enim in lege Moysi. Non alli-
gabis os bovi trituranter ; ita & Dominus
ordinavit his qui Evangelium annunciant de
Evangelio vivere i. ad Corin. c. 9. v. 9.
& rursus qui bene præsunt Presbyteri duplicit
honore pigni habeantur : maximè qui laborant
in verbo & doctrinâ , unde ait Chrysost. in
epist. ad Tim. c. 15. hom. 15. Oportet Docto-
ribus necessarium victimum affatim ministrari , ne
deficiant , atque solvantur ; ne minimis oc-
cupari , magnis seipso atque alios privent ,
ut spiritualia operentur. Sunt enim ut dicit
Christus operarii in vinea Domini operantes
quibus propterea denarius diurnus lubenter
impendendus est.

ARTICULUS II.

De officio Pastorum erga oves suas

PROPOSITIO unica. , Pastores debent
ovibus suis amorem , bonum exem-
plum , instructionem & Sacramentorum ad-
ministrationem.

Probatur i. Scripturâ. Primo Pastores
debent ovibus suis amorem , juxta illud
Pauli ad Corint. 2. c. 6. v. 11. *Os nostrum
patet ad vos ò Corinthii , cor nostrum dilata-
tum est : non angustiamini in vobis , ut est
amor noster in vos omnes diffusus est , juxta
illud Joan Epis 3. v. 1. senior Gaio cha-
rissimo quem ego diligo in veritate. Secun-
do bonum exemplum juxta illud Pauli*

E X E M P L U M esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate 1. ad Tim. c. 4. v. 1. ita se gesit caput omnium Pastorum Christus, de quo dicitur: Cœpit Jesus facere & docere. Et rursus, exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, Joan. c. 13. v. 15. Tertiò, instructionem debent Pastores ovibus suis, juxta illud Pauli ad Tim. 4. v. 2. *A R G U E, O B S E C R A,* *I N C R E P A* in omni patientia, & doctrina & rursus attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. *Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt,* ibid. v. 16. Hoc docuit nos Christus, qui vicos & pagos Evangelizando peragravit. Quartò pastores debent ovibus suis cùm doctrinâ conjunctam Sacramentorum administrationem juxta illud Math. 28. v. 19. *Euntes D O C E T E omnes gentes BAPTISANTES eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* id est, docete, Baptismum & alia Sacra menta conferte. Ergo pastores debent fidelibus amorem, instructionem, bonum exemplum & Sacramentorum administrationem.

Secundò, ex lib. 2. Constitut. Apostolica. cap. 20. ubi sic habetur. *Similiter Episcopus tanquam filios diligat laicos, prosequens eos studio charitatis, & sovens tanquam ova ad acquirendos pullos, aut tanquam pullos, sive eos complectens, ad acquirendum gallinas: omnes monens, omnes increpans acerbè quicunque increpatione acerbâ indigent, sed non feriens, premens ut revereantur, non ut revertantur, monens ut convertat, increpans ut corrigat, &c. ergo,*

3^a. Ex Concilio Coloniensi primo ann. 1536. part. 5. cap. 1. ubi explicans illud dictum Petro, *Pasce agnos meos*, sic loquitur. *Id fecerimus si gregem Christi post Christum unicè diligamus, atque eundem, tam verbi doctrinā quam operis exemplo pascamus, divinorumque Sacramentorum dispensationem tueamur detendamusque.*

4. Ratione. Pastores sunt Patres spirituales fidelium, Duces, Doctores & nutritii ut Patres debent amorem filii, ut Doctores instructionem, ut duces bonum exemplum, ut nutritii pabulum Sacramentorum. Ideo ait Carolus in oratione habita in Concilio primo Medionalensi ann. 1565. *Hic munus Pastoris, hoc ducis officium, haec gubernatoris partes sunt, ut gregi, militibus, navi potissimum prospiciant: Nam in subditorum salute praefecti incolumitas continetur.*

Consecataria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant pastores qui oves suas in ordine ad salutem æternam non diligunt quod officium ita explicat Aug. serm. 295. in natali Apost. Petri & Pauli, alias de diversis. 105. Ubi sic interpretatur haec verba. *Pasce oves meas. Commando tibi oves meas, inquit, quas oves! Quas enim sanguine meo. Mortuus sum pro eis. Amas me? Morere pro eis . . . Det nobis Deus vires sic amandi vos, ut possimus mori pro vobis, aut effectu, aut affectu. Et Leo VII. epist 2. ad Gerardum Laurcalensem Archiepiscopum Sic Pastoris amorem erga oves describit. Si Paſſio*

res ovium solent ardorem, geluque pro gregis sui custodia die, ac nocte ferre, contenti sunt, & ne qua ex eis aut errando pereat, aut feminis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore, quantaque curâ debeamus esse per vigiles nos qui Pastores animarum dicimur, attendamus.

C O N S E C T A R I U M . II. peccant Pastores qui ovibus suis non prælucent bono exemplo, Pastor enim ut habetur Math. c. 5. est *sal terræ & lux mundi ut luceat omnibus qui in domo sunt*: Ergo debet bono suo exemplo fidelibus prælucere ideo Aug. in Psalm. 39. Explicans illud: *videbunt justi & timebunt*, ait, *in Ecclesiâ iste ordo est, alii præcedunt, alii sequuntur: & qui præcedunt, exemplo se præbeni sequentibus & qui sequuntur imitantur præcedentes.... Ergo qui jam Directos gressus habent in petra, id est Pastores, forma sint fidelibus, instar Pauli, qui dicebat: Imitatores mei estote sicut & ego Christi.*

C O N S E C T A R I U M III. Peccant pastores qui non instruunt plebem sibi commissam juxta regulas ab Ecclesiâ præscriptas, de quibus speciatim, ubi de statu Clericorum. Sed generatim omnibus Pastoribus in personâ Isaïæ dicitur. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Pastores enim qui tacent, iram Dei incurunt, ut fatetur Isaïas, *væ mihi quia tacui.* Isaï. c. 60. Quippe teste Basilio in regul. Brevi. Reg. 48. *cui docendi munus commissum est si annuntiare negligat perinde ut homicida judicatur.* Terribile quidem, & tamen verum quod ait Prosper. lib. I. *yitæ contemplativæ c. 20.* Ille autem cui

TRACT. II. DE IV. DECAL. 171
dispensatio verbi commissa est , etiam si sancte
vivat , & tamen perdite viventes arguere
erubescat , aut metuat cum omnibus qui eo-
tacente perierunt perit , & quid ei proderit ,
non puniri suo , qui puniendus est alieno
peccato.

CONSECTARIUM IV. Peccant Pasto-
res , qui fidelibus , quoties opus est , Sacra-
menta non administrant ; Episcopi , v. g. qui
Confirmationem non administrant ; Parrochi ,
qui non administrant Pœnitentiam & Eu-
charistiam ; qui non visitant infirmos , nec
eos consolantur. Con. Narb. de Patrochi
agens , sic habet. *In vigilet Parrochi super*
gregem , & parati semper sint , ne per illorum
negligentiam , aut parvuli sine Baptismo , aut
adulti sine Sacramentis Penitentiae , Commu-
nionis , & extremæ unctionis moriantur.

C A P U T VI.

Que sit mutua obligatio Pædagogorum &
Discipulorum.

A R T I C U L U S I.

De officio Discipulorum erga Pædagogos.

P R O P O S I T I O unica. Discipuli eadema
debent Pædagogis quæ filii Parentibus,
scilicet amorem, obedienriam, reverentiam ,
& subsidium honorarium præscriptum. Pro-
batur eisdem rationibus & auctoritatibus
quibus superior Propositio probata est.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant discipuli quoties Pædagogis suis , tum privatis , tum publicis non exhibent amorem , obedientiam , reverentiam interius & exterius ; quia eadem serè debent Pædagogis quæ patribus , quod adeò verum est , ut istud , nec ipsis paganis fuerit incognitum ; sic enim Quintilianus instruit Pædagogum , eique qualē animum habere debeat erga discipulos præscribit , lib. 2. cap. *Sumat igitur , ante omnia parentis erga discipulos animum , ac succedere se in eorum locum , à quibus liberi tandem existimet.* Et pari ratione discipuli animum filiorum erga Pædagogum suum concipiunt.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant parentes qui puerorum suorum pædagogis , tum privatis , tum publicis debitum non conferunt honorarium. Dignus est enim operarius mercede sua , honorarium religiosissimè impendendum esse denotaht privilegia ab imperatoribus pædagogis publicis concessa Cod. Theodos. lib. 13. tit. 3. leg. 16. *Grammaticos , oratores , atque Phylosophiae præceptoros , nec non etiam Medicos , præter hæc quæ retrò latarum sanctionum auctoritate consecuti sunt privilegia immunitatesque , frui hæc prærogativâ præcipimus , ut nulla municipali , nulla curialium collatione , nullâ senatoriâ , vel glebali descriptione vexentur : seu indepiâ administratione , seu accepta testimoniali meruerint missionem , sint ab omni sanctione onus-*

busque muneribus publicis immunes: nec eorum domus ubicumque positae, militem, seu judicem suscipiant hospitandum. Quæ omnia filiis etiam eorum & conjugibus inlibata præcipimus custodiri; ita ut nec ad militiam liberi memoratorum trabantur inviti. Hæc autem & professoribus memoratis eorumque liberis deferenda mandamus. Ergo ut sequamur mentem imperatorum, justum stipendium pædagogis impendendum est.

CONSECTARIUM III. Culpandi sunt maximè parentes, qui in eo quo par est honore non habent (præcipue coram pueris) Pædagogos tum privatos tum, publicos. Ex illo enim Pædagogorum contemptu fit ut pueri magistros suos parvi faciant, monita eorum aspernentur & ea quæ ab ipsis edocentur oscitanter addiscant. Diversa omnino fuit antiquorum erga Pædagogos filiorum suorum reverentia, Philippus Macedo vetus ne coram Aristotele præceptore Alexander discipulus sederet ut, modestius & docilius magistri documenta susciperet, & Theodosius magnus jussit ut ejus filii Arcadius & Honorius Imperatoris insignia deponerent, quandiu eis lectio ab Arcenio præceptore fieret; & quidem meritò, quia ut bene notat Aristoteles, Deo, parentibus, magistris, nunquam satis magna reverentia exhiberi potest; cuius pulchra est illa sententia. *Qui interrogat: an Deus parentes & magistri colendi sunt, pœna indiget, instructione non indiget.*

ARTICULUS II.

De officio Pædagogorum erga discipulos.

PROPOSITIO unica. Pædagogi sive pri-
vati sive publici, id est, sive hi qui pu-
blicè in scholis docent, sive hi qui in do-
mibus privatim instruunt pueros, duobus
debent præcipue insistere, scilicet moribus
efformandis. & scientiis edocendis.

Probarur 1°. Ex scripturâ. Paulus scribens
ad Timo. Epis. 2. cap. 2. v. 15. Sic eum ins-
truit, & in ejus personâ omnes Episcopos,
cunctosque præceptores, qui sunt quasi do-
mestici Episcopi. *Sollicitè, inquit, cura te ip-*
sum probabilem exhibere, id est, exhibe te pro-
bum, seu probatum Deo; Operarium in con-
fusibilem. Cui non sint pudori pravi mores,
vel ignorantia; *Rectè tractantem seu secan-*
tem verbum veritatis. Id est, qui instar nutri-
cis cibum animarum, scilicet verbum Dei,
in particulas fecerit ut commodiùs glutiatetur.
Ergo præceptores duobus debent præcipue
insistere, scilicet moribus efformandis & scien-
tiis edocendis.

2°. Ex statutis Facultatis Parisiensis art. I.
*Ad docendam & regendam juventutem magis-
tros probatæ vitæ, & doctrinæ recipiant;*
qui suo munere rectè fungi noverint: quo-
rum mores in primis spectandi, ut pueri ab his,
& litteras simul discant & bonis moribus in-
buantur. Ergo præceptores, & moribus ef-
formandis, & scientiis edocendis debent in-
sistere.

Ratione. Duo præcipue mala à peccato originali oriuntur. Primum, est proclivitas ad peccandum, secundum, est ignorantia; ergo Pædagogi duobus his malis medeantur necessum est; oportet ergo ut proclivitatem peccandi à malo in bonum inflectant, bonos mores inspirando, & ignorantiam expellant, mentem bonis artibus instituendo.

§ I.

*De his quæ in formandis puerorum moribus
inseruire possunt.*

CONSECTARIUM I. Oportet ut Pædagogi sint ipsimet optimis moribus imbuti, quia aliæ probitatem pueris inspirare non possunt, scriptura enim loquens de Episcopo Epist. 1. ad Timoth. cap. 3. v. 2. ait: *Oportet ergo Episcopum irreprovensibilem esse.* Ergo & Pædagogum qui est quasi Episcopus, id est, speculator; unde dicitur Cod. Justi. lib. 10. titul. 52. l. 7. *Magistros studiorum, doctoresque excellere oportet, moribus primùm, deinde facundiâ.* Et Concil. Burdig. an 1624. ait: *Ne quis hujusmodi præceptorum, quod non raro accidit, sit vinosus, blasphemus, male-dicus, scurra, aut aliquo vitio ita inquinatus, quod indè tenera juventus semina vitiorum exugere queat.*

CONSECTARIUM II. Oportet ut Pædagogi discipulis suis bono exemplo prælucceant; quia aliæ virtutem ipsis inspirare non possunt: ait enim Paulus scribens, ad Tim. 1. 4. v. 12. *Exemplum esto fidelium. Ege-*

go pari ratione idem Pædagogis dici potest. Unde Aug. loquens de omnibus qui prælucere debent exemplo, ait: *Quamviscumque exemplum malæ conversationis, etiam si non illud illi sequantur, præbuerint, pro tantis se malis rationem noverint reddituros.* Et ipse Quintilianus, licet paganus, id necessarium in præceptore agnovit, ait enim lib. 2. c. 1. *Ipse nec habeat vitia, nec ferat, & cap. 2. Magistrorum primum inspici mores oportebit.*

C O N S E C T A R I U M III. Oportet ut Pædagogi in omnibus probitatem priùs inspirent pueris, quām scientiam; probitas quippe via est ad scientiam: Dicit enim scriptura Sap. cap. 1. v. 4. *In malevolam animam non introivit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, & c. 4. v. 12. Fascinatio nugacitatis obscurat bona.* Illudendo scilicet & impediendo ne verum à falso secernamus. Unde Concil. Burdig. an. 1583. c. 8. ait: *Omnes autem præceptores, sive publici, sive privati Catechismum, sive Doctrinam Christianam eā formā dumtaxat, que ab Ordinariis loci præscribitur, juventutem docere, lectio-nes prævia oratione incipere, itemque finire, & singulis Dominicis & festis solemnibus discipulos ad Ecclesiam pro officiis Divinis, & concionibus verbi Dei audiendis, deducere tenentur.*

C O N S E C T A R I U M IV. Oportet ut Pædagogi severius puniant peccata contra mores, quām contra scientiam, ostendentes scilicet scientias sœculares fallaces esse, taxatio, & indignatione plenas; juxta illud Eccles. c. 1. v. 17. *Dedique cor meum ut scilicet*

rem prudentiam atque Doctrinam , erroresque & stultitiam , & agnovi quod in his quoque esset labor & afflictio spiritus : eò quod in multâ sapientia , multa sit indignatio ; & qui addit scientiam , addit laborem . Ostendant pueris quod unum sit maximè necessarium , scilicet probitas , juxta illud Eccles. c. 12. v. 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus , Deum time , & mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo . Unde queritur Aug. lib. Confes. c. 18. quod Pædagogi severius punirent solœcismos , quam vitia , magisque vituperarent pronuntiationem contra Grammaticam , quam contra divinas leges prævaricationem.

CONSECTARIUM V. Oporret ut Pædagogi ita auctores profanos discipulis explicent , ut maximè caveant ab his locis , quæ vel fidei obesse possunt , vel moribus . Si enim , corrumpunt bonos mores , colloquia mala , ut dicit scriptura ; quanto magis nocebit attenta & saepius repetita lascivi , aut irreligiosi auctoris lectio . Id prohibet Concil. Turon. an. 1581. c. 3. ubi sic habetur . Prohibet Synodus ne libri ad lasciviam & luxus provocantes legantur , aut retineantur sub anthematis pena . Et Concil. Burdig. an. 1583. ait ; *A scholis Christianorum libri , non solum impii , verum etiam impuri longè arceantur .* Ipsem Quintil. lib. 1. c. 8. quantum ea lectio noceret pueris agnovit , ait enim , Non auctores modù , sed etiam partes operis elegeris : nam & Græci licenter multa ; & Horatium in quibusdam nolumus interpretari . Quantum id sibi nocuerit , fatetur Aug. Confes. lib. 1. c. 16. & 17.

Immò si quid in auctoribus profanis aut
piè dictum , aut sapienter excogitatum in-
veniatur , illud omne prudentes Pædagogi
in Deum verum qui est pater lumen re-
fundendum esse , puerorum animis inculcent,
sæpiùs fundamentum illud Religionis nostræ
stabiliant , scilicet quòd homo corruptus lon-
gè proclivior sit ad errorem , quàm ad ve-
ritatem , etiam in rebus naturalibus ; &
quòd in supernaturalibus omnino cæcitat.
Divini munere est , inquit Concil Araus.
can. 9. Cum rectè cogitamus , & pedes nostros
à facilitate & iustitia tenemus. Quoties enim
bona agimus , Deus in nobis , asque nobiscum ,
ut operemur , operatur.

C O N S E C T A R I U M VI. Si Pueros vel
cantu , vel declamationibus exerceant pæ-
pagogi , curent ut pueri ea canant , ea re-
citent quæ pietatem inspicient , non impie-
tatem probicatem , non libidinem. Eas sæ-
culi vanitates sic despicit Propheta. *Narraver-*
unt mibi iniqui fabulationes ; sed non ut lex
tua. Et Aug. deflet. 1°. Confess. cap. 17.
ingenium suum occupatum fuisse fabulis
Paganorum , Authorum prophanorum scrip-
tis diutiùs quàm par erat fuisse detentum.
Nonne , inquit , ecce illa omnia sumus &
venius ? Ita ne aliud non erat , ubi exercere-
tur ingenium , & lingua mea ? Laudes tuæ ,
Domine laudes tuæ per scripturas tuas suspenderent
palmitem cordis mei : & non raperetur per inania
nugarum , turpis præda voluptatibus.

C O N S E C T A R I U M VII. Oportet
demùm ut Pædagogi à Discipulis , quan-
gum poterunt amoveant ea omnia quæ mo-

tes labefactare possunt , commercium v. g. cum famulis , vulgo vitiosis interdicant, omnem cum aliis pueris petulantibus societatem penitus dissolvant , quia nihil est quod magis probitati noceat , quam malorum societas , ut dicitur Prov. c. 4. v. 14. Nec delecteris in seminiis impiorum , nec tibi placeat malorum vita , fuge ab ea , nec transcas per illam , declina , & desere eam.

CONSECTARIUM VIII. Præceptores illum dumtaxat permittant Discipulis suis sensuum externorum usum, qui vel tutando corpori scientiis acquirendis , vel moribus informandis inservire queat. 1^o. Moneant Discipulum, ut ab omni pravo affectu temperet. *Omnis custodia serva cor tuum* , inquit Sapiens , Prov. c. 4. v. 23. quia ex ipso vita procedit 2^o. *Auditum* , Discipuli permittant quidem vel musicis concentibus demulceri , vel utilibus narrationibus & instrui & delectari ; sed nihil finant coram Discipulo enarrari : quod , vel turpe sit , vel malignum. *Corrumpt bonos mores colloquia mala* , inquit Paulus , & rursus. *Fornicatio nec nominetur in vobis sicut decet sanctos*. Et sapiens prov. c. 4 v. 24. *Remove à te os pravum & detrabentia labia sint procul à te*. 3^o. *Visum*, Discipuli ita occupent , ut discat contemplari Cœlorum ornatum ; Terræ divitem proventum , fontium scatebras , omnium lapsus , Maria vasta , animantium varias species , & hæc omnia , ut serviant usibus hominum. Tantum ut homo serviat conditori suo ; picturis statuisse non impediatur pasci Discipulorum oculos ; sed eâ cau-

180 MORALIS CHRISTIANA.
telâ , u nihil turpe videat , nihil obscenum :
Oculi tui recta videant inquit Sapiens ,
prov. c. 4. v. 25. David vero ita Deum
precatur. *Averte oculos meos ne videant va-*
nitatem. 4. ita invigilent odoratus Disci-
pulorum ; eos odores ultrò concedant , qui
cerebro possunt esse robori , minimè eos ,
qui libidini queant esse incitamento , odo-
rum enim molles amatores non erunt im-
puniti , inquit Isaïas , 3. v. 24. & erit pro-
suavi odore fætor. 5. Gustum , ita moderentur
ut cibos tantum permittant ad vitam susten-
tandam , non ad fovendam intemperantiam.
Optimum enim est , inquit Paulus gratia sta-
bilire cor non escis , quæ non profuerunt am-
bulantibus in eis , ad Hæbr. 13. v. 9. b.
Tactum , ita refrænent ut sciant Discipuli ne-
fas esse extra necessitatem aliquas partes ,
tum sui , tum aliorum tangere.

§ II.

*De his quæ necessaria sunt Pædagogis ut
pueros scientiam edoceant*

C O N S E C T A R I U M I. Oportet ut Pæ-
dagogi ea optimè calleant quæ pueros doc-
turi sunt , alias ea Discipulos docere non
possent ; deinde ut optimè ait Thom. 12.
q 76. a 2. in C. Singuli tenentur ea scire , quæ
ad eorum statum vel officium spectant : Ergo
Pædagogi tenentur ea optimè nosse circa
quæ Discipulos instituere satagunt. Ideò
codice Theodo. 1. b. 3. tit. 3. leg 5. *cavetur
ut quisque docere vult, non repente, nec temere
profiliat*

profiliat ad hoc munus, sed iudicio ordinis probatus decretum curialium mereatur, optimatum conspirante consensu, & quidem merito, si enim naſcleri munus nemo suscipiat nisi eam artem didicerit, quanto potiori jure artem dirigendi pueros debet prius didixisse, qui eam exercere voluerit.

CONSECTARIUM II. Oportet ut Pædagogi probè norint puerorum ingenium, ut enī nou omnis fert omnia tellus, ita non ad omnes artes idonea est omnis puerorum mens. Legatur quæ de dignoscendis ingeniis scripsit Joannes Huartus Hi panus Medicus, aut quicunque alius qui mentis humanæ dignoscendæ præcepta tradiderit postea verò diligentèr incumbendum ut dignoscatur qua' sit puer qui instituendus nobis committitur; apparebit enim aliis iracundior, aliis lenior, aliis præfacter, aliis benignior, aliis tenacior, aliis simplicior, aliis fucacior & callidior; hic statim summè vigilandum, ut quod est virtutis provehatur, quod vitii corrigatur. Habet teneram ac quovis flexilem virgulam, Pædagogus habet ceram mollissimam; habes udam argillam, agat ergo, ut bonus plastes. Teneram virgulam in virtutem inflectat certe molissimæ virtutis carecteres imprimat, & udam argilam in vas honorificum efformet & ut diligens agricola conatur primò fundum quem culturus est dignoscere postea excitat, limosa, rigat arentia, liberat opaca aquat aspera, exsecat frutices, extirpat radices invehit lætamen, macerat glebas, postea verò injicit semen in novale; idei

CONSECTARIUM III. Oportet ut pædagogi recta cum methodo ea tractent quæ docturi sunt ; nihil enim est quod magis ab studio deterreat quam indigesta documentorum farrago. Qui vitium illud fugere voluerit , legat quæ scripsit Dominus de Fleury in eo opere quod scribitur : *Traité du choix des études* : Consulat eos qui artem docendi profertur.

CONSECTARIUM IV. Oportet ut pædagogi ita studium suave & dulce Discipulis suis efficiant , ut nihil in eo asperum , nihil amarum Discipuli inveniant. Amet , inquit Hieronimus ad Gaudentium , quod cogiatur discere ; ut non opus sit , se d' delectatio ; non necessitas , sed voluntas. Et epist. ad Iætam. Non objurganda est , virgo , si tardior sit ; sed laudibus excitandum est ingenium : ut & viciisse gaudeat , & victa doleat , cavendum imprimis ne oderit studium.

Et Quintil. lib. i. c. i. sic Pædagogum puerorum instruit. *Id imprimis cavere oportet , ne studia , qui amare nondum potest , oderit , & amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformat.*

Legatur quæ de instituendis pueris scripsit Erasmus. Non enim hujus loci est ea omnia percurrere quæ ad institutionem puerorum necessaria esse possunt.

CONSECTARIUM V. Oportet ut Pædagogi in docendo , severitatem omnem , salvâ tamen præceptoria dignitate , procul amoveant. Dicam hic quod dicit Gersonius de audiendis confessionibus parvulo-

rum. In opere de paryulis ad Christum trahendis. Quid prodeit, inquit, instructio dum pueri nec libenter audient, nec dictis credent, nec imperatis obedient! Quare ma-
jestatem oportet omnem exuere, & pro par-
vulis parvulum se facere, seclusis tamen vi-
tiis, & projectâ longè omnis impudicitæ notâ.
Adde quodd naturam esse contumacem. Testatur
Seneca; magis ducitur quam trahitur. Habet
præterea hoc proprium generosa indeles . . .
ut blanditiis quam terroribus magis capiantur
deflectaturque. Et inferius id probat exem-
pli Pauli & Christi; Paulus quippe i. ad
Thessal. c. 2. v. 7. Facti sumus parvuli in
medio vestrum, tanquam si nutrix saveat filios
suos. Et Christus Math. c. 11. v. 28. venite
ad me omnes qui laborati & onerati estis
& v. 29. discite a me quia mitis sum &
humilis corde.

C O N S E C T A R I U M VI. Pædagogi
quantum puerorum ætas patitur, prius
debent Discipulorum mentem efformare
quam vocem, prius intelligentiam dirigere,
quam linguam; cum enim non loquamur,
nisi ut mentis cogitata promamus aliis;
debitus ordo postulat, ut prius artem co-
gitandi, quam loquendi doceamur; ideo
prudens Pædagogus, dum aliquid propo-
nit Discipulis, ostendat primò, quo pacto
debeant rem propositam apprehendere, de ea
judicare, circa eam discurrere, & quo
pacto possint apprehensiones, judicia & dis-
cursus certa methodo ordinare: posteà vero
demonstret, quo pacto de his quæ jam
mente assediti sunt cum aliis poterint col-

loqui. Artem autem cogitandi & loquendi discet Pædagogus si istos libros legat. *L'art de Penser. l'art de parler, la grammaire raisonnée &c.* Quid verò de rebus sentire debet non aliunde potest certò addiscere quām ex Scriptura sacra, ex traditione, &c. Est enim Deus verax, omnis homo verò mendax.

C O S E C T A R I U M VII. Sciant Pædagogi sui muneric esse Discipulorum mentibus erga sacros Codices profundam inspirare reverentiam, quod quidem facient, si identidem inculcent Discipulis, nullum priscæ vetustatis extare monumentum, in quo gravior, augustior, atque sublimior eluceat, vel doctrina, vel eloquentia, quām in sacris Bibliis. Hic liber est, inquiet, quem scripsit, non fabulosus Homerus, non credulus Plato, non incredulus Aristoteles, non verbosus Cicero, non denūm hominemendatio obnoxius, sed Deus ipse, & falli & fallere nescius. Liber est, inquiet, ex quo hauritur quod ad aures dicunt confessarii quod publicè prædicant concionatores, quod in bonum Reipublicæ statuunt Magistri & Reges, quod denūm in bonum Ecclesiæ ordinant Episcopi, constituant Papæ, & decernunt Concilia. Liber est, inquiet, quem Scriptores Canonici, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, immo & ipse Christus divinitus inspirati à Deo acceperunt, tradideruntque hominibus, qui que continuâ totius Ecclesiæ, tūm vigiliâ, tūm curâ, ad nos illibatus pervenit. Post ultimam totius orbis conflagrationem,

Cœlorum immutationem, elementorum dissolutionem, sacri illi Codices remanebunt integri, aperientur illi Libri, & sermo quem continet judicabit nos in novissimo die.

Comparabunt, identidem prudentes Præceptores sacra Biblia cum Scriptoribus profanis. Hic liber est, inquietus Ägyptiis sapientibus, verbi gratiâ Mercurio Trimegistro multò antiquior, Græcis Philosophis Homerò, Socrate, Platone, Aristotele longè vetustior. Latinis auctoribus Plauto, Terentio, Cicerone multis sœculis annosior; ex quo eductum est quidquid habent antiqui facundiæ, delitiarum Poëtæ, veritatis Historici, sapientiæ Philosophi, Legislatores æQUITATIS; & idemtidem illud exemplis demonstrabunt quod verbi gratiâ sublimius dicens, quid excelsius, vel cogitari, vel dici potuit, quam istud, quo Moïses initio Genesis prosecutus est nascentis naturæ, atque ipsius humani generis exordium, fiat lux & facta est lux. Id omnes stupuerunt & admirati sunt Reatores facundissimi, ex quorum numero Ionginus Græcus ille, qui tam naturè autorum solet scripta distingere, ob illum quem præ se ferunt hæc verba sublimitatis splendorem, ac stuporis imaginem, exclamando. Dixit Judæorum, Legislator sui numinis virtutem pro dignitate cognovit & pro dignitate expressit? Quid clarius & eloquentius simul occurrere legentibus potest, quam historia Joseph à fratribus agniti, *Joseph,* inquit Sacer historicus, Genes. 45. Non se poterat ultra cohibere multis coram adstanti-

bus . . . elevavitque vocem suam cum fle-
tu . . . ego sum , ait , Joseph : adhuc pater
meus vivit , non poterant respondere fratres
nimio terrore perterriti , ad quos ille clemen-
ter . Accedite , inquit , & cum accessissent ,
propè ego sum , ait , frater vester quem ven-
didisti . Ostendent Pædagogi suis Discipulis ,
tot tam varios affectus paucioribus verbis
non potuisse includi , putà signa pietatis
Joseph , erga parentem , amoris , erga fratres ,
& stuporis simul & gaudii in fratribus qui
fratrem vendiderant . Quid pariter eloquen-
tiūs : Quid concisius simul & sublimius , istà
phrasí quā impii exaltatio & repentina illius
disturbatio describitur . Vidi impium super
exaltatum & elevatum super cedros Libani ,
transi vi & ecce non erat . Infinita alia se se
offerent exempla in libro Job , Propheta-
tum , &c.

Exhibeant Pædagogi Discipulis suis dul-
ciorem nullibi inveniri poësin quam in sacris
paginis . Ubi Eclogæ magis nativæ , quam
in Canticis Canticerum , ubi describitur sa-
cer & pudicus omnino inter Christum &
Ecclesiam amor . Ubi carmen generosius ,
quam canticum Moysis , ubi describitur
Sepultus in Mari rubro Pharaonis Exeitus ,
& per medias uandas sicco transiens vestigio
Hebræus populus . Sterit , inquit , unda fluens
congregatae sunt abissi in medio Mari , dixit
inimicus : persequar & comprehendam , divi-
dam spolia , implebitur anima mea , evaginabo
gladium , interficiet eos manus mea , flavit spi-
ritus ihus , & operuit eos mare : submerso
sunt quasi plumbum in aquis vobementibus .

Ubi carmen lugubrius, quām apud Jeremiam
Civitatis sanctæ civiumque suorum calamiti-
tatem flebilibus modis ob oculos ponentem.
Quomodo sedet, inquit, sola civitas plena
suum populo omnes ejus portæ destructæ,
Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squa-
tide defecerunt præ lacrimis oculi mei,
efusum est in terra jecur meum. O vos homines qui
transitis, videte, si est dolor sicut dolor meus ...
Ubi demum Poëta suavior, quam David,
sive plena alacritatis oratione Deum laudet,
sive in summis suis angustiis auxilium à
Deo imploret, sive Christum personet ab in-
feris resurgentem, sive futura, tūm de Chris-
to, tūm de Ecclesia Prophetando præsagiat.

Ostendant Pædagogi Discipulis nee anti-
quiorem, nec veriorem, nec magis stu-
pecentem alibi reperiri historiam, quām in
sacris Libris. Hic nascentis describitur mun-
di exordium, hic cunctarum nationum pri-
mordia jaciuntur. Indicent non ibi legi fa-
bulosas Amazonas; sed prudentes in domi-
bus suis Saram & Abigail, fortē in bello
Deboram, fidentem in desperatis rebus. Es-
ther, & generosam Judith uno ictu debe-
lanem integras Holophernis copias. Dicant
Discipulis suis præceptores narrari in Bibliis,
non dubios Herculis labores; sed certissimæ
& fortissima gesta Samsonis, non Phaeton-
tem è solis curru decadentem; sed Josue
Solem & Lunam in medio cursu sistentem.
Hic describi non Apollinem obliquè respon-
dentem, vel Graffo in Medos, vel Pyrrho
in Romanos expeditionem paranti; sed
Deum aperte perpiscuè & infallibiliter ges-

Discipulis suis certò afferant præceptores,
non alibi quām in Bibliis solidam inveniri
Philosophiam. Non hic nascitur mundus,
quo nihil ordinatus, ex temerario atomo-
rum concursu, ut voluit Epicurus; sed sum-
mā Dei potentiā ē nihilo educitur & summā
ejusdem sapientiā gubernatur. *Ipse dixit & fac-
ta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Non hic
homo vel ex maris spuma, vel ex elementorum
pugnā, ut quidam somniarunt, originem trahit;
sed corpus, utpote terestre, ex limo formatur;
anima vero utpote mens cogitans à Deo, qui
spiritus est immediatè oritur. *Formavit igitur,*
inquit Scriptura, Dominus Deus, hominem de limo
terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum
*vitæ, & factus est homo in animam viven-
tem,* Gen. 2. v. 7. proponitur hic adoran-
dus Deus non latro ut Mercurius, non scurra
ut Momus, non vorator filiorum ut Saturnus,
non luxuriosus ut Jupiter, non vinosus ut
Bacchus, sed proponitur Deus, quem ve-
nereris ut Dominum, quem diligas ut pa-
trem, cui fidas ut Redemptori, quem sequa-
ris ut exemplar, & ad quem tanquam ad
veræ beatitudinis fontem incessanter tendas.

Ostendant demùm præceptores Discipulis
nullibi æquiores leges constitui quām in
sacris Bibliis. Ideò legant ipsis libros lega-
tes tūm veteris, tūm novi testamenti, libros
sapientiales, & ostendant nihil simile reperi-
rī in libris Paganorum. Et ut hic paucis multa
complectar, ostendant pueris, & quomodo,

Describat Job Dei potentiam cap. 26 hominum misericordiam cap. 14. Leviathan fortitudinem. cap. 40. & 41.

Ut autem Pædagogus ad manum habeat exempla sacræ Eloquentiæ quæ suis Discipulis proponat, indicabo hic aliqua.

Exordium habes desumptum à loco act. c. 17. v. 22. aliud habes desumptum ex parte personæ ad quam sermo dirigitur. Act. 26. v. 2, exordium habes in qualibet Epist. quam scribit Paulus. Præcipue in ea quam scribit ad Philemonem.

Narrationem simplicem habes in servo Abrahæ petente Rebeccam à parentibus in uxorem Isaac. Gen. c. 24. narrationem affectibus plenam habes in historia Joseph cùm venditur à fratribus cùm detruditur in carcerem, cùm liberatur à carcere, cùm agnoscit fratres & agnoscitur à fratribus. gen. c. à 38. usque ad c. 46. narrationem stupentibus prodigiis plenam habes Exodi. à cap. 7. usque ad cap. 12. ubi describuntur plagæ contra Ægyptum.

Descriptiones habes in Bibliis, cunctis numeris absolutas.

Templum describitur. lib. 3. Reg. cap. 6. & Palatium Salomonis. cap. 7. Dei magnitudo describitur apud Job. cap. 12. a. v. 3. usque ad 25. & cap. 4. à 17. usque; & apud Jerem. cap. 32. v. 7. Psal. 88. v. 7. Dei cognitio describitur. Psal. 38. v. 1. & Ecclis. cap. 16. v. 16. Miseria hominis describitur exactè apud Job. cap. 10. vanitas idolorum in Psal. 133. v. 4. Sap. 15. v. 7. & v. 15. constructio idoli ironice describitur Sap. c. 13.

v. II. Isaï. c. 44. v. 12. Jerem. c. 10. v. 3.
Vanitas filiarum Sion in ignominiam vertenda quasi ob oculos ponitur apud Isaïam c. 3.
v. 17.

Figuræ ita sunt in scriptura frequentes, ut supervacaneum sit eas indicare: ubique enim occurunt.

Antithesim habes. Isaï c. 3. v. 18. *Erit pro suavi odore fætor.* I. ad Corinth. c. 4.
v. 13. maledicimus & benedicimus &c.

Apostrophen habes 1. reg. c. 1. v. 21.
montes Gelboë apud Isaï, audite Cœli que loquor &c. apud Matth. stulti & tardi corde ad credendum &c.

Exclamationes habes ad Rom. c. 7. v.
24. *infelix, ego homo, quis me liberavit, de corpore mortis hujus?*

Imprecationem habes in Psalm. 68. *sicut mensa eorum in laqueum.*

Repelionem habes apud Nahum cap. 1.
v. 2. *ulciscens Dominus, ulciscens Dominus, & habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos.*

Interrogationem habes ad Rom. 3. v. 27.
Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est &c.

Communicationem habes apud Michæam;
c. 7. v. 3. *Popule meus quid feci tibi &c.*

Enumerationem habes ad Rom. 12. v. 1.
Qui exhortatur in exhortando.

Quadrationem habes ad Rom. 8. v. 30.
Quos prædestinavit, hos & vocavit quos vocavit, hos & justificavit. &c.

Suspensionem habes, apud Joan. cap. 4.
v. 10. *Mulier si scires donum Dei.*

Interrogationem habes ad Corinth. 2. cap.

II. *Quis infirmatur & ego non infirmor &c.*

Optationem habes apud Jerem 9. *Quis dabit capiti meo fontem lacrimarum.*

Ironiam habes Gen. 3. *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est.* &c. 3. Reg. cap. 18. ubi Propheta sic irridet Sacerdotes Belial *clamate voce majore &c.* & apud Joan. 3. *Tu es Magister in Israël & hæc ignoras.*

Obscurationem habes ad Rom. 10. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei.*

Exhortationem habes apud Isaïam 1. v. 16. *Lavamini ; mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum &c.*

Admirationem habes apud Isaïam 14. *Quomodo cecidisti de caelo Lucifer &c.*

Tot sententias habes, quot sunt Phrases in libris sapientialibus.

Si Discipuli capaces sint solidioris rationis, bonum erit interdum eis proponere explicationem analyticam alicujus epistolæ.

S III.

Monitum utile Pædagogis.

Unum est quod eos Pædagogos, qui, vel ob indocilitatem, aut levitatem puerorum, vel, ob ingratum aliquando erga eos parentum animum, tædium in docendis pueris concipiunt, præmonitos velim sciant institutione puerorum nihil esse, vel Deo acceptius, vel Ecclesiæ utilius, vel etiam coram sensatis hominibus glorioius.

I^o. Nihil eo exercitio potest esse Deo acceptius, vult enim Deus Religionem suam

192 MORALIS CHRISTIANA;
omnibus hominibus explicari; juxta illud,
docete omnes gentes Sed vult præcipue eam
parvulis diligenter exponi. Increata enim sa-
pientia sic habet. Prov. c. i. v. 20. Sapientia
foris prædicat usquequo parvuli diligit
infantiam convertimini ad correctionem
meam. Et c. 8. v. 5. Intelligite parvuli astutiam
& insipientes animadveriite. Et Christus
Sapientia incarnata Matth. c. 19. v. 14. ait,
Sinite parvulos venire ad me, & nolite pro-
hibere, talium enim est regnum Cœlorum; &
Marc. c. 10. v. 13. sic habetur. Discipuli autem
communabantur offerentibus; quod cum vidisset
Jesus, indignè tulit & complexans eos parvu-
los, & imponens manus super illos, benedi-
cebat eos. Quæ verba, inquit Gersonius,
si cum suo pondere sententiarum consideremus,
ingeniem prorsus acerbae, mordacisque invic-
tionis materiam habebimus in eos qui parvu-
lorum salutem & accessum ad Christum præpe-
diunt, & puerorum institutionem, quasi
Deo patùm acceptam, dedianter.

2°. Nihil eo exercitio Ecclesiæ utilius ut
notat idem Gersonius, ibidem ubi afferit,
Reparationem morum Ecclesiasticorum inchoan-
dam esse à parvulis, quia enim, inquit, pueri
minus corrupti, minusque tenaciter inficii
sunt, capaciores inveniuntur doctrinarum sa-
lubrium apti sunt ad accipienda bonorum
studiorum exordia, quando nondum falsas opi-
niones altius imbibierunt. Quando nondum
radicitiū hærent perniciose adinventiones in
eis. Utres sunt recentes pro liquoribus optimis;
Novellæ præterea plantationes, quæ sequuntur
leviter, quod ducentis manus deflexerit....
pueris

Pueri sic verè instituti esse quoque poterunt
aliorum Doctores, instructoresque commodissimi
maxime domesticorum; Unde patet institutione
puerorum nihil esse Ecclesiae utilius.

3. Nihil eo exercitio coram sensatis ho-
minibus potest esse gloriiosus; quod quidem
invictissimè probat Gersonius his verbis:
*O piissime Jesu quis ultrò post te verecundabitur
esse humilis ad parvulos! quis tumescens
& elatus de sua, vel magnitudine, vel scien-
tiâ parvitatem deinceps parvulorum, ignoran-
tiam, vel imbecillitatem audebit aspernari
quando tu qui es Deus benedictus in sæcula,
in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scien-
tie absconditi, usque ad castissimos parvulorum
amplexus, beata brachia mansuetus inclinas
atque circumligas? procul ergo, procul ex hinc
omnis elatio, seorsim sit indignabunda quel-
bet parvulorum effugatio.* Per honorificum
ergo arbitremur pueros instituere, et si sint
male sensati quidam homines, qui munus il-
lud frigidis lacescant dicteriis, & arroganti
superculo aspernentur. Sed in tam arduo
exercitio sufficiat Christiano Pædagogo apud
Deum approbatio, quo quidem sicut nihil est
difficilius juxta illud Hieron. dialog. adver.
Lucif. *Difficile est Deo tantum judice esse con-
tentum.* Ita nihil jucundius quam apud Deum
approbari juxta illud Pauli 1. ad Corin. 4.
v. 3. *Mibi autem pro minimo est ut à vobis ju-
dicer, aut ab humano die.* Et juxta illud
Davidis: *Maledicent illi & tu benedices.* Psal.
108. v. 28.

§. IV.

Quæ monita dare possint Pædagogi parentibus.

Multa sunt, quæ Pædagogi, tum privati, tum publici per seipsos impedire non possunt, qualia sunt verbi gratiæ victus delicatior, vestitus mollior, aut luxuriosior, nimia fratrum sororumque societas, periculosa plurium puerorum jam pubescentium in eodem lecto cubatio, & alia hujusmodi, quæ penes Pædagogum non est semper dirigere, sed ejus solum est prudenter parentes commonere, quod ut præster facilius, subjiciam hic quædam præcepta de nutriendis & educandis liberis à diversis auctoribus excerpta, quæ prudens Pædagogus poterit suo loco & tempore proponere.

In primo septennio, id est ab ortu usque ad septimum annum, infantes nutriendi sunt primò lacte, deinde cibo molli, qui facile digeri valeat, quod innuit Paulus 1. ad Corin. 3. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam. Vino omnino abstineant infantes dum lactantur; vinum enim admixtum lacti corruptionem ingenerat. Corpus ea etate magis assuefieri debet frigori quam calori, ut robustus infans evadat, cuius rei signum est, quod populi frigidæ regionis sunt robustiores, ut patet ex Germanis, & Anglis... Infantes ablactati temperatis motibus sunt assuefaciendi, sicut enim frigus temperatum, nativum calorem concentrat, ita motus temperatus eundem

calorem acuit, & humores noxios fugat. Ubi infantium notitia vim suam exercere incipit, recreandi sunt ludis, cantibus; cendum maximè ne quid triste, vel audiant, vel videant, aliàs redduntur toto tempore vitiæ formidolosi. Cohibendi sunt à ploratu vociferativo, per ploratus enim & ejulatus emituntur spiritus & debilitatur corpus, nec minis, nec verberibus prohibendi sunt à ploratu, sed blanditiis quantum potest fieri.

Primâ illâ ætate cum nondum ratio minus suum exerceat, ducaturque infans magis sensibus, quam mente, occupandus est infans picturis videndis, characteribus inspicendis, exiguisque computationibus numerandis.

In secundo septennio ab anno septimo usque ad decimum quartum cum corpus est robustius, & ratio paulo vegetior, sic & nutritri & educari possunt infantes. Primò quoad corpus nutriendi sunt cibo crassiori potius quam molli, quia cibus mollior reddit puerorum ingenium iners & stupidum, corpus vero debole & flaccidum. Cibus ita debet esse temperatus, ut nec copiâ sepeliat ingenii vigor, nec inopiâ corpus reddatur infirmum. Vino abstineant, aut si concedatur usus vini, non nisi lymphato utantur; vinum enim, juxta scripturam, multum potatura, & iras concitat & ruinas multas facit, & à studiis mentem amovet.

Exercendum est corpus ea in ætate cursu, ludo pilari, ut robustiores evadant pueri.

Quoad mentem, debent post elapsum septimum annum facilioribus rebus addiscendis applicari, verbi gratiâ, caracteres dignos-

cant legendo , efforment scribendo. Poterò in his exerceantur quibus in publicis scholis exercentur juvenes. Utrum utilius sit domi , an in scholis erudiatur adolescens: vide Quintilianum lib. 1. cap. 2. Eruditio nem publicam domesticæ & umbratili præfarentem.

Decimo quarto anno usque ad vigesimum primum , corpus nutriendum est cibis adhuc solidioribus , exercendum est cursu , venatione , palestrâ ut robustius fiat ; animus verò difficilioribus disciplinis est instituendus.

Dicant identidem Pædagogi parentibus , nihil esse quod pueris magis noceat quam vixit ætati puerili parum conveniens , tum quoad qualitatem , tum quoad quantitatem.

Exponant Pædagogi parentibus , nihil magis officere puerorum corpori & menti quam vestitus , qui vel mollitiem in carne ingeneret , vel superbiam in animo foveat. Qui *mollibus vestiuntur in domibus regum sunt* , inquit Christus , & proinde longè distant à via quæ dicit ad vitam ; & qui superbè vestiuntur eam subibunt pœnam , quam patitur dives in inferno sepultus , qui induebatur purpura & bisso.

Non abscondant patribus , quam periculosa sit fratribus societas , si sit aliquis inter illos vitiosus , aut parum docilis , dicant jussu Dei separatum esse Ismaëlem ab Iсаco , eo quod ille cum isto lasciviret , inquit versio Tugur. ostendant longè periculosiorem esse inter germanos diversi sexus familiaritatem , cuius rei exemplum est , Ammonis & Thamas incestuosum commercium.

Non sileant patribus quam timenda pubescentium puerorum, etiam ejusdem sexus, in eodem lecto cubatio; hinc sequi vulgo infanda illa crimina quæ Paulus enumerat Epis. ad Rom. cap. i. Quæque cœlestem ignem in sceleratas urbes invexerunt.

CAPUT VII.

De mutua obligatione inter supremos Dominos & subditos.

Supremi Domini sunt illi, qui non agnoscunt superiorem temporalem. Tales sunt Reges, Imperatores, &c.

Subditi sunt hi, qui potestatibus supremis subjiciuntur.

ARTICULUS I.

De debito subditorum erga Reges.

PROPOSITIO unica. Subditi debent Regibus amorem, reverentiam, obedientiam, subsidium, temporale & spirituale.

Probatur 1º. Scripturâ Subditi debent Regibus 1 amorem juxta illud: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, ad Rom. 13. v. 9. Ergo à sortiori debent Regem diligere qui nobiscum tot modis conjugitur: est enim pater, Dominus, Legislator, defensio, &c.

2º. Debent honorem juxta illud: *Deum timete, Regem honorificate.* 1. Pet. c. 2. v. 17.

3º. Debent obedientiam. *Omnis anima per Rijj*

198 MORALIS CHRISTIANA.
testatibus sublimioribus subdita sit. , inquit
Paulus ad Romanos c. 13. v. 1.

4°. Subditi debent Regibus subsidium tem-
porale , ut docet idem Apostolus. *Cui tribu-
tum , tributum ,* ad Romanos c 13. v. 7.

5°. Debent subsidium spirituale juxta il-
lud : *Orate pro invicem ut salvemini.* Jacob. 5:
v. 16. Si enim aliis subsidia spiritualia debea-
mus à fortiori Regibus , qui nobis tot titulis
uniuntur.

2. Ex Tertul. ad Scapulam. c. 2. Edit. Pa-
meli. *Christianus*, inquit, *nullius est hostis ; ne-
dum imperatoris* : quem sciens à Deo suo con-
stitui , *necessè est ut & ipsum diligat , & re-
veratur , & honoret , & salvum velit*
Colimus ergo & Imperatorem sic , quomodo ,
& licet nobis , & ipsi expedit , ut hominem
*Deo secundum. Et quidquid est à Deo conse-
cutum , & solo Deo minorem ; hoc & ipse vo-
let. Sic enim omnibus major est , dum solo ve-
ro Deo minor est.* Ergo ex Tertul. debemus
Regi amorem , reverentiam , &c.

3. Ratione. Reges sunt parentes , sunt
Domini , sunt Legislatores , sunt boni pu-
blici defensores , ut patet ex titulis quibus
scriptura eos insigniri vult ; ergo quatenus
parentes merentur amorem , quatenus Do-
mini merentur reverentiam , quatenus Legisla-
tores , obedientiam , quatenus defensores
boni publici , subsidium , & temporale &
spirituale.

Consectaria hujus doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccare qui con-

tra Regem internum fovent odium, aut signa dant externa odii contra ipsum; uti fecit Semei contra David insultans ipsi, dum fureret à facie Absalon.

Debent ergo populi ob amorem Regi debitum.

1º. Oprare Regi suo benedictionem, uti fecit Jacob, Pharaoni. Gen. c. 47. v. 7. Introductus enim coram Rege; Benedixit illi... Et benedicto Rege abiit; uti fecit Daniel Nabuchodonosor, dicens; Rex, in aeternum vive. Dan: c. 6. v. 21. Utile fecit universus populus Saüli, dicens: Vivat Rex.

2º. Debent Regem periclitantem tueri uti fecit Abisai erga David. Praefatioque fuit, inquit scriptura, Abisai filius Serviae, & per cassum Philisthaem interfecit. Qui processerat, ut occideret David.

3º. Debent Regi etiam in rebus non prosperis immobiliter adhærere, uti fecit Cusai in rebellione Absalonis,

4º. Debent insidias, si quas norint contra Regem parati, statim prodere, uti fecit Mardochœus, Esther. c. 2.

CONSECTARIUM II. Peccant populi qui justas principum leges infringunt. Subjelli igitur estote, inquit Petrus I. c. 2. v. 13. Omni humanae creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, & Hilarius in Psal. 13. approbat quodd præcepta Regis; cum honore ac religione, & relegantur & audiantur.

Debent ergo subditi alaci animo Regis iussa perficere, uti fecit omnis populus erga Iosué dicens: Omnia que præcepisti nobis, faciemus; & quocumque misericordia ibimus. Sed

EPISTOLA MORALIS CHRISTIANA
aut obedivimus in cunctis Moysi, ita obedi-
mus & tibi. Josué c. 1. v. 16. Ut fecit exer-
citus Saülis qui alacri animo votum de non
cedendo (nisi post relatam victoriam) fidel-
iter observavit.

CONSECTARIUM III. Peccant qui
principibus debitam denegant reverentiam,
juxta illud Rom. c. 13. v. 7. *Cui honorem,*
honorem. Quod officium ita semper cordi ha-
buerunt Christiani, ut ipsi Episcopi, Impera-
tores etiam paganos sanctissimos nuncupa-
rent, quia, ut ait Tertulianus; *Secundi*
erant à Deo.

Debent ergo populi, cum sese occasio
offert, externis gestibus Regi & his qui sunt
à Rege suam declarare reverentiam, uti fe-
cerunt filii Jacob erga fratrem Joseph. Gen. 50.
Proni adorantes in terra dixerunt Joseph. ser-
vi tui sumus. Ut fecit Bersabée erga Davi-
dem. *Inclinavit se Bersabée & adoravit Re-*
gem. 3. R. c. 1. v. 16.

CONSECTARIUM IV. Peccant populi
qui Principibus denegant sumptus tempora-
les ad regimen reipublicæ necessarios, v. g.
tributum, vectigal, census, decimas, de-
mum quæ Regi debentur pro diversa politiæ
ratione, juxta illud: *Reddite quæ sunt Cæsa-*
ris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Matth.
c. 22. v. 21 De quo sic legitur in apendice
operum Amb in hæc verba. *cui tributum,*
tributum. *Primum ea quæ sunt potestati Regie*
debita exsolvi jubet Paulus, quia major in his
causa aut necessitas est.

Peccant ergo subditi qui non impendunt
ea quæ rex exigit, vel religionis amplifi-

zandæ causâ , vel reipublicæ defendendæ gratiâ . Id fieri oportere docuerunt Judæi suo exemplo , pendentes Salomonis , quæ fuerunt necessaria , & pro ædificando templo , & pro struendis munitissimis civitatibus 3. Reg. c. 9.

CONSECTARUM V. Peccant populi , qui Regibus spiritualia subfidia non confessunt , v. g. qui non orant specialiter pro illis : hæc enim fuit continua praxis Christianorum , ut constat ex Paul. i. ad Timot. c. 2. v. 1. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrations , orationes , postulationes , gratiarum actiones pro omnibus hominibus , pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt , ut quietam & tranquillam vitam agamus , ut patet ex Tertul. Apolo. c. 30. Præcantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus , vitam illis prolixam , imperium securum , domum tutam , exercitus fortis , senatum fidelem , populum probum , orbem quietum , quemcumque hominis & Cæsaris vota sunt.

Debent ergo specialiter orare pro Regibus , & quidem ut diversas à Deo pro Rege consequantur gratias.

1º. Ut Rex veram Religionem defendat ; Dei gloriam & hominum salutem , quantum est in se , promoveat : ut fecerunt Josué , David , Ezechias , &c. pugnando pro sola causa Domini.

2º. Ut aboleat falsas sectas , & ritus omnes veræ Religioni adversantes , ut fecit Asa. Qui abstulit effeminatos de terra , purgavitque omnes sordes idolorum quæ fecerant patres ejus. 3. Reg. c. 15. v. 12. Ut fecit Jehu delens progeniem impii Achab & omnes Sacerdos

tes Baal ; uti fecit Ezechias , qui dissipavit idola & confregit serpentem æreum , qui Judæis erat occasio idololatriæ . 4. Reg. c. 18.

v. 4.

3°. Ut sublatis & deletis falsis ritibus cu-ret sinceram doctrinam tradi , & propagari : uti fecit Josaphat , qui misit Doctores legis per universam Judæam . 2. Paralip. c. 17. Ut fecit Nabuchodonosor , qui gloriam veri Dei prædicavit & blasphemari prohibuit . Placuit ergo mihi , inquit , prædicare signa ejus quæ magna sunt . Dan c. 3. v. 100.

4°. Ut omnibus subditis pietatis exemplo præluceat : uti fecit David , qui non curans irrisiones uxoris suæ , lætatus est & exultavit coram arca Domini . 2. Reg. c. 6. v. 16. Ut fecit Rex Ninivitarum , qui primus in sacco & cinere pœnitentiam amplexus est . Jonas c. 3. v. 6.


5°. Ut in omnibus , sive in bello , sive in pace Dominum consulat & purum hauriat de sacro fonte consilium : uti fecerunt piissimi Reges . Josuë , Eleasarum consulebat , num. c. 27. v. 20. David nihil agebat inconsulto Domino . 2. Reg. c. 2. Josaphat , Achab , Edon . Eliseum Prophetam accerserunt lib. 4. Reg. c. 3. Et Ezechias , Isaiam ut eum audirent . 4. Reg. c. 19. Sedecias , Jeremiam consuluit Jerem. c. 38. v. 14.

6°. Ut viros pios ac bonos & ad regimen idoneos , præfectos ordinet , ac constituat : uti fecit Moyses ex consilio Jetro ; Qui prævidit de omni plebe viros potentes , & timentes Deum , in quibus erat veritas & qui oderant avaritiam & constituit ex eis tribunos , &c. Exod. c. 18. v. 21.

ARTICULUS II.

De officio Regum.

PROPOSITIO unica. Qualis debeat esse Rex tum erga Deum, tum erga se ipsum, tum erga populum, habetur Sap. c. 6. cuius hæc sunt verba. *Audite ergo Reges, & intelligite: discite Judices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines, placeatis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogavit opera vestra & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis minisiri regni illius non rectè judicatis, nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & citò apparet vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio; ad vos ergo Reges sunt hæ sermones mei, ut discatis sapientiam & non excidatis, &c.* Alia passim reperiuntur in Scriptura Sacra, ad quam remittimus eum qui Regis voluerit cognoscere officium.



TRACTATUS QUARTUS.

De quinto Decalogi præcepto.

CAPUT PRIMUM.

*Quid prohibeatur jubeaturve illo præcepto,
Non occides.*

ARTICULUS I.

*De fine hujus præcepti & quibus actionibus
violetur.*

QUINTUM præceptum Decalogi ita habet: *non occides.* Exod. 20. v. 13. & Exod. 21. v. 12. *Qui percussérit hominem vultus occidere, morte moriatur,* & Gen. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius.* Cui respondit illud Christi, aquid Matth. *Omnis qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Finis hujus præcepti est conservatio vitæ corporalis, tum nostræ, tum aliorum; præcipiuntur igitur omnia, quæ ad incolumentatem vitæ nostræ, & aliorum pertinent; contrà verò prohibentur omnia, quæ ad illicitam destructionem vitæ, tum nostræ, tum aliorum, vergere possunt, directè, vel indirectè.

Destructionem autem corporis, tum nostri, tum proximi, causare possunt illicita percus-

sio,

TRACT. IV. DE V. DECAL. 205
fio, mutilatio, & occisio directa. vel indirecta, ut loquuntur.

Percussio, mutilatio, occisio est directa, quando fit per actionem ad hoc directe ordinatam, v. g. cum quis fuste percutit, gladio mutilat, veneno occidit.

Percussio, mutilatio, occisio est indirecta, quando aliquid omittitur, ad cuius omissionem sequitur percussio, mutilatio, occisio.

Directa percussio, mutilatio, occisio hominis, potest esse illicita tripliciter.

1^o. Ex parte agentis, defectu auctoritatis, v. g. si ille, qui agit, auctoritatem non habeat supra eum, qui, vel percutitur, vel mutilatur, vel occiditur.

2^o. Ex parte patientis, defectu reatus, scilicet, si ille, qui percutitur, mutilatur, occiditur, sit innocens; nunquam enim licet innocentio nocere.

3^o. Ex parte modi defectu debiti ordinis, scilicet, si illi, qui habent auctoritatem publicam, vel propriam, ut Rex, vel delegatam, ut judex, miles, carnisex, &c. nos servent debitum ordinem juris contra reum.

Indirecta percussio, mutilatio, occisio potest esse illicita duplicitè.

1^o. Ex immoderata actione; ut cum ex actione aliunde licita sequitur mors præter intentionem agentis, ex eo quod actio sit excedens, v. g. ex defensione immoderata sequitur mors aggressoris, ex immoderata Medicina sequitur mors ægroti.

2^o. Ex culpabili negligentia; ut cum omittitur id, quod quis, & potest, & de-

206 MORALIS CHRISTIANA
bet facere , ad quam omissionem , præter intentionem omittentis , sequitur , vel occasio , vel mutilatio , vel percussio illicita hominis ; quæ omnia magis patebunt ex mox dicendis.

ARTICULUS II.

*Quinam sunt illi qui peccant peccato homicidii
vel pertinente ad homicidium.*

PROPOSITIO unica. Peccat peccato homicidii , vel pertinente ad homicidium , quicumque privatâ auctoritate nocet , vel nocere cupit proximo in bonis corporis Peccato ex suo genere mortali , si adsit gravitas materiæ , & plena delibera-
ratio.

Probatur 1º. Script. Non vosmetipos de-
fendentes charissimi , sed date locum iræ. Scrip-
tum est enim : mihi vindicta ; & ego reni-
buam , dicit Dominus. Ad Rom. 12. v. 19.
Ergo peccat quicumque nocere cupit proximo in bonis corporis , & cum hoc ad ho-
mocidium se hsim disponat , homicidii reus
censendus est.

2º. Ex August. can. homicidium 28. de
pœnitent. dist. 1. ubi sic habetur. Homici-
dium lege vetitum putabatur non aliud esse ,
nisi corporis peremptio , aperuit ergo Dominus ,
omnem iniquum motum ad nocendum fratri in
homicidii genere deputari. Ergo homicidii
reus coram Deo censendus est quicumque
nocere cupit proximo in bonis corporis.

3º. Ratione. Quicumque nocere cupit pro-

ximo in bonis corporis , agit. 1°. Contra illud , quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. 2°. Agit contrà charitatem , quæ jubet primum , ut Deum super omnia diligamus , nos deinde , & proximum propter Deum ; quod utique non facimus , si vita corporalis , tum nostræ , tum proximi destructionem moliamur. 3°. Agit contrà justitiam , quæ jubet , ut cunctis benefaciamus , nemini verò negemus. 4°. Qui ultionis ardet desiderio , non vult sibi ignosci , & propriæ condemnationi vertit istud orationis dominicæ : *Dimitte nobis debita nostra , sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* 5°. Qui non parcit inimicis , non imitatur Deum : *Qui sollem suum oriri facit super bonos & malos ;* Non imitatur Christum , qui pro crucifixientibus oravit ; non imitatur sanctos , Job , Joseph , Stephanum , Paulum , &c. Qui Iubenter inimicis suis pepercérunt. Ergo peccat , &c. cum hæc prava cordis dispositio ad homicidium inclinet , homicidii reus coram Deo censendus est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccat peccato pertinente ad homicidium , qui interius contrà proximum odium concipit , & sovet ; quia odijum sensim disponit ad homicidium , juxta illud : *Omnis , qui odit fratrem suum , homicida est.* Joan 1. cap. 3. v. 15. quia , ut ait Hier. Epis. 36. *Cum homicidium ex odio sepè nascatur , quicumque , etiam si nec dum gladio percussit , animo tamen homicida est.*

CONSECTARIUM II. Ejusdem criminis reus est qui exterius irascendo , verbis & nutibus internum odium manifestat ; quia ira est dispositio ad homicidium , ita docet Christus : *Audistis , quia dictum est antiquis : non occides Ego autem dico vobis : quia omnis , qui irascitur fratri suo , reus erit iudicio , qui autem dixerit fratri suo ratio : reus erit Concilio , qui autem dixerit fague : reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. v. 22.

CONSECTARIUM III Peccato pertinente ad homicidium inquinatur , qui acceptam injuriam motivo odii ulciscitur ; quia sic se excitat ad injustam proximi læsionem , illud idem docet Christus : *Audistis , quia dictum est : oculum pro oculo , dentem pro dente. Ego autem dico vobis , non resistere malo.* Matth. 5. v. 38. & Paulus : *Nulli malum pro malo reddentes.* ad Rom. 12. 17. & rursus , Scriptura clamat : *Qui vindicari vult , à Domino inveniet vindictam , & peccata illius servans servabit.* Eccles. 28. v. 1.

CONSECTARIUM IV Peccat contra istud præceptum , *non occides* , qui proximum injustè percūtit ; percussio enim viam parat ad homicidium , de hac læsione sic loquitur Deus : *Qui percusserit hominem volens occidere , morte moriatur.* Exod. 21. v. 12.

CONSECTARIUM V. Homicidii propriè reus est , qui proximum privata auctoritate interficit , quod peccatum his verbis prohibet Deus : *Quicumque effuderit humanum sanguinem , fundetur sanguis illius : ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Gen. 9. v. 6. Quod peccatum ita exhorret Deus , ut

homicidæ etiam involuntarii in lege Mosaïca exilio plecterentur, & ad civitates refugii se recipere cogerentur; in lege vero Ecclesiastica publicæ pœnitentiæ per septem annos addicerentur. Hoc innuit Trident. ses. 14. de reform. cap. 7. Jubens, ut qui id fecerit, ad sacros Ordines sine dispensatione non promoveatur.

CAPUT II.

De injusta læsione corporali proximo illata.

ARTICULUS I.

De his qui peccant peccato homicidii, vel reducto ad homicidium, causando directè, vel percussonem, vel mūlitionem, vel occisionem corporalem.

PROPOSITIO unica. Peccant peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium, quicumque corpus proximi injustè ledunt, injustè Vel ex defectu auctoritatis; quandò scilicet, qui agit, non habet auctoritatem publicam... Vel ex defectu reatus; quandò scilicet, qui patitus est innocens... Vel ex defectu debiti modi; quandò scilicet in læsione contrà reum non servatur ordo debitus.

Probatur 1°. Ex Script. Ut excludatur læsio facta auctoritate privatâ, dicitur: *Vindicta mihi, & ego retribuam.* Ut excludatur omnis læsio contrà innocentem, dicitur: *Insontem & justum non occides.* Exod. 23,

Ut excludatur immoderata læsio contrā teum, dicitur: *Quod justum est, justè exequaris.* Deut. 16. ergò peccant, qui quocumque modo injustè lædunt corpus proximi.

2°. Ex Aug. *Qui sīnē publicā administratiōne maleficū occiderit, velūt homicida iudicabitur.* Lib. I. de civit. Dei cap. 26. Ergò peccat, qui injustè proximum corporaliter lædit.

3°. Ratione. Ut aliqua actio sit licita, debet esse bona ex objecto & ex circumstantiis; quia bonum ex integrā causā; ergo ut læsio corporalis inficta proximo sit licita, debet fieri. 1°. Contrā reūm & non contrā innocentem; quia innocens non meretur pœnam. 2°. Debet fieri auctoritate Principis, cuius est gladium portare in vindictam malorum. 3°. Debet fieri servato ordine juris; quia quod sit contrā ordinem juris injustum est.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Ad homicidium positivè influunt, qui privatā auctoritate, occidunt, mutilant, vulnerant alium hominem, quantumvis infimæ sortis; quia omnī privato hominī dicitur: *Non occides.* Ideo Aug. ait Epist. ad Publicolam de occidēndis hominibus. *Nē ab eis quisquam occidatur, mihi placet consilium, nisi foriē sit miles, aut publica functione teneatur; ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis.* Ideo damnata est hæc propositio à Papa & à Clero Gallicano art.

17. Non peccat maritus, occidens propriā auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

CONSECTARIUM II. Ad homicidium positivè influunt, qui tyrannum quemlibet privata auctoritate occidunt; quia subditis dictum est: *Deum timete, Regem honorificate.* Et Concil. Constantiense ses. 15. damnat hanc propositionem tamquam erro-neam, hæreticam, & scandalosam. *Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blandicias, adulaciones, non obstante quantumque præstito juramento, seu confederatio-ne factis cum eo, non expedita sententia vel mandato judicis cuiuscumque.*

CONSECTARIUM III. Ad homicidium pariter positivè censentur influere, quicum-que malitiosè, vel in se, vel in altero pro-curat abortum; quia, ut optimè ait Tertul. Apoleg. 1. cap. 9. *Homicidii festinatio est, prohibere nasciturum, nec resert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet.*, & Basilius ad Amphil. can. 8. *Itaque & quæ abortumcientia præbent medicamenta, sunt homicidae; sicut & quæ fœtum necantia ve-nena accipiunt:* Et ita peccant peccato ho-micidii.. 1°. Qui conceptum fœtum abi-gunt ne virgo deflorata infamiam contrahat. Hanc enim propositionem damnavit sum-mus Pontifex & Clerus Gallicanus att. 7. *Licet procurare abortum antè animationem fœ-tus, ne puella deprehensa grava, occidatur, aut infametur.* 2°. Medici, qui mulieri p̄gnanti potionem ad procurandum abor-

tum præbent, etiam si saluti corporali matris aliter subveniri non possit; quia satius est pereat corpus matris, quam quod salus æterna pueri periclitetur. 3°. Quicumque dant proximam occasionem abortui; quod ita explicat Antoninus: *Si mulier gravida præter intentionem abortetur, si commisisset ibi notabilem negligentiam, puta quia nimis saltavit, vel nimis inordinate laboravit, vel propter innatas lascivias, non esset absque peccato mortali. Idem in viro vel alio percuteiente eam, unde abortus sequitur.* 4°. Qui prægnantibus venam præcipue pedis, inconsulto Medico, aperiunt, unde solet sequi abortus.

C O N S E C T A R I U M IV. In peccatum ad homicidium pertinens positivè influunt parentes, aut alii, qui juvenes etiam consentientes castrant, ut sint utiles cantui, ita fusè D. Thom. 2. 2. q. 65. a. 1. in corp. Membrum licet præscindi non potest nisi in duabus casibus inquit 1°. Auctoritate judicis in facinorosum hominem puniendum 2°. Consilio Medici, quando aliter saluti totius corporis subvenire non potest. Non licet membrum sibi mutilare ad vincendas tentationes carnis: ergo à fortiori non licebit ob temporale lucrum.

C O N S E C T A R I U M V. In peccatum ad homicidium pertinens positivè influunt, qui non sibi subditos verberant; immò qui verberant sibi subditos, si modum correctionis excedant, ita docet D. Thom. Verberare aliquem non licet, nisi habenti potestatem aliquam super illum, qui verberatur, & quia

filius subditur potestati patris, & servus potestati Domini, licet potest pater verberare filium, & Dominus servum causâ correctionis & discipline. Unde Prover. 15. scriptum est: *Qui parcit viigae, edit filium suum,* & Eccles. 33. v. 28. *Servo malevolo tortura & compedes.* Audiant tamen utriusque verba Pauli Patres: *No-*
line ad iracundiam provocare filios vestros . . . Et
vos Domini eadem facite illis, remittentes
minas: sciences quia & illorum & vester Da-
minus est in cœlis, ad Eph. 6. v. 9.

C O N S E C T A R I U M VI. Speciem quam-
 dam homicidii positivè censentur commit-
 tere privati, qui contrà ordinem juris pro-
 ximum diù in carcere detinent; quia illud
 solum pertinet ad judges, de quo ita D.
 Thom. *Detinere hominem ad horam ab ali-*
quo opere illico statim perpetrando cuilibet
licet: sicuti cum aliquis detinet aliquem, ne
se præcipitet, vel ne alium feriat; sed sim-
pliciter aliquem includere, vel ligare, ad eum
solum pertinet, qui habet disponere universa-
litè de abribus, & vitâ alterius; quia per
hoc impeditur non solum à malis faciendis,
sed etiam à bonis agendis. 2. 2. q. 65. a. 3.
 ad 3.

C O N S E C T A R I U M VII. Ad homicidium
 positivè concurrunt privati omnes, qui con-
 tra ordinem justitiae ad cædes, injuriasque
 se accingunt mediis ad homicidium tenden-
 tibus; quales sunt conjurata armorum gesta-
 tio, gladii eductio. Hoc ita determinat D.
 Tho. 2. 2. q. 40. a. 1. in c. *Non pertinet ad*
personam privatam bellum mouere; quia po-
test jus suum in iudicio superioris prosequi à

similiter etiam, quia convocare multitudinem;
quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad
privatam personam.

CONSECTARIUM VIII. Homicidium dicuntur positivè commitere judices omnes, qui aliquid attentant contrà homines, quamvis reos, non servato ordine juris; quia iniquè agit Judex hoc ipso, quod ordinem juris violat. De quo infra ubi de homicidio per Judicem commisso.

CONSECTARIUM IX. Homicidium dicuntur positivè commitere omnes qui ita cooperantur homicidio, ut ex eorum actione sequatur homicidium, v. g. qui jubent; uti fecit David, qui jussit Uriam occidi, qui consulunt, uti Caïphas, qui suauit Christi mortem; qui consentiunt; ut Paulus, qui erat consentiens morti Stephani; qui hortantur ad mortem inferendam, uti fecit Jesabel, quæ Achab ad occasionem Naboth hortata est, uti fecit & filia Herodiadis, quæ petiit caput Joannis Baptistæ.

ARTICULUS II.

*De his qui peccant peccato homicidii, vel
reducto ad homicidium causando indirectè,
ut dicunt, vel percussionem, vel muti-
lationem, vel occasionem corporalem.*

P R O P O S I T I O I. Peccant peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium, quicumque præter intentionem, vèl ex illicitâ actione, vel ex culpabili negligentia, in causâ sunt, ut sequatur homicidium, aut

læsio aliqua corporalis contrà proximum.

Probatur 1°. Ex script. *Non occides*; quæ vox generaliter sumpta vetat omnem læsionem injustam proximi, sive directe, sive indirecte, ut dicunt, causatam.

2°. Ex D. Tho. Homicidium causale imputatur ad culpam duplicitè; cum quis non vitat quod *vitare debebat*, *homicidium incurrit*; alio modo, quando non adhibet debitam sollicitudinem. 2. 2. q. 64. a. 8. in corp.

3° Ratione. Toties voluntarium indirecte commissum imputatur ad culpam, quoties vacatur rei illicitæ; vel non adhibetur debita diligentia, quia tunc effectus censetur voluntarius in causa: Ergo in duobus illis casibus, læsio corporalis proximi, vel occiso illius imputabitur ad culpam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Toties læsio corporalis, mutilatio, occiso &c. imputabitur ad culpam, quoties actio ex quâ sequitur, etiam contra intentionem agentis, est illicita quoad substantiam agens enim tunc debet sibi imputare quod sequitur ex illa. Sic, si quis percusat mulierem prægnantem & abortus sequatur ex tali percussione, percutiens erit reus homicidii, quia vacat rei illicitæ.

Sic, si quis dederit gladium furioso, aut ebrio, & furiosus, aut ebrius eo gladio occidant hominem. Qui dedit gladium reus erit homicidii, quia vacabat rei secundum se illicitæ.

CONSECTARIUM II. Toties læsio

corporalis , mutilatio , occisio &c. imputabitur ad culpam , quoties actio ex quâ sequitur , etiam contra intentionem agentis , est illicita quoad modum ; agens enim tunc debet sibi imputare quod sequitur ex illa.

Sic immoderata defensio sui , aut amicorum , aut rerum , illicitam reddit injusti aggressoris occisionem , aut læsionem corporalem ; quia defensio illa est illicita ex modo.

Sic immoderata venatio , incauta sagittæ immissio , incauta equitatio , imprudens equorum calcitrantium relaxatio , imprudens animalium malignantium , & quorumcumque lædere valentium emissio , culpabilem reddit , aut læsionem , aut occasionem proximi ; quia actio est illicita ex modo.

Sic oppressio infantium in lecto parentum dormientium contrâ vetitum Ecclesiæ , imputatur ad culpam ; quia actio est illicita ex modo : nâm etsi licitum sit ponere infantes in lecto propter frigus arcendum , non tamèn cum obstat Ecclesiæ vetitum ; quia non sunt facienda mala , ut evitetur aliud malum.

CONSECTARIUM III. Totiès læsio corporalis , mutilatio , occisio &c imputantur ad culpam , quoties omissione ex quâ sequitur læsio est culpabilis ob negligentiam ; tunc enim omittens debet sibi imputare id quod sequitur ex ejus omissione : ut autem omissione sit culpabilis , tria debent concurre , inquit Cajetanus , posse , debere , & non facere.

1°. Oportet ut omittens possit non omittere , etenim ad impossibile nemo tenetur , Deus enim

enim, inquit Tridentinum: *Impossibilia non jubet.*

2º Oportet ut omittens ex precepto & non solum ex consilio teneatur agere; etenim ex Paulo, *ubi non est lex, ibi non est prævaricatio.*

3º Oportet ut cui ligatur lege, omittat, quod preceptum est; quia ubi non est prævaricatio legis, ubi non est peccatum.

Nota ex dicendis ubi de restitutione; quod si omittens peccet contra justitiam, negligens id ad quod ex officio tenetur obligabitur ad restitutionem: si vero peccet præcisè contra aliam virtutem diversim à justitia, non obligabitur ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam.

Sic, mors naturalis imputatur ad culpam ei, qui denegat elemosinam pauperi in extremis constituto. *Si non pavisti,* i quāt Ambr. *Ocidisti,* & hic peccat contra charitatem, quia ex charitate tenetur dare elemosinam, & proinde non obligatur ad restitutionem.

Sic, mors violenta, sed manifesta, imputatur ad culpam ei, qui proximum injustè laceratum non tuerit contrà aggressorem: *Qui enim, ait Ambr non repellit à proximo injuriam, si potest, tam est in vito, quam ille, qui facit.* Lib. I. de officiis cap. 6. hic autem peccat contra solam charitatem, quia ex charitate solum tenemur proximo periclitanti pro virili opitulari, & proinde non obligatur ad restitutionem.

Sic, mors violenta, aut percussio occultè imminens ex injusto propositio aut consilio.

iniquorum imputatur ad culpam ei, qui in-
justum illud consilium novit, & non impe-
dit, vel manifestando, vel obstanto; quia
non obstat, cum obstat tenetur; non reve-
lat, cum tenetur revelare; & hic peccat con-
tra charitatem, si solum ex charitate tene-
atur, vel obstat ne fiat illud malum, vel re-
velare postquam factum est.

CONSECTARIUM IV. Omnes, qui-
bus ex officio incumbit tueri vitam homi-
num, & non tuentur, peccant contra jus-
titiam.

1°. Peccant, quia ex eorum negligentia
culpabili sequitur, ut supponitur, mors, aut
mutilatio hominum.

2° Peccant contra justitiam; quia, ut sup-
ponitur, tenentur ex officio vitam aliorum
tueri. Unde omnes qui hic subjiciuntur, &
peccant non tuendo vitam aliorum, & te-
nentur ad restituenda damna quæ ex eorum
negligentiâ oriuntur.

3°. Principes, & magistratus, qui homici-
das, latrones, & graffatores comprehendi,
in vincula conjici, & secundum leges pu-
niri non curant; quia malos puniri jubet
Deus: *Noli querere*, inquit, *fieri judex*, ni-
si valeas virtute irrumpere iniquitates. Eccles.7.
v. 6. & rursus: *Auferes malum de medio tui*.
Deut. 13. v. 5. Judicibus illis mollibus dici
potest, quod dictum fuit Achab. 3. Reg.
cap. 20. v. 42. *Hæc dicit Dominus*, quia di-
misisti *virum dignum morte de manu tua*, erit
anima tua pro anima ejus.

4°. Testes, qui adversus illos maleficos
justum fert testimonium recusant; quia tes-

tari veritatem præcipit Deus : *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscient est: nisi indicaverit, portabit iniuriam suam.* Lev. 5. v. 1. quia, ut ait Aug. lib. 19. de Civit. Dei. Pertinet ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum; ut vel ipse, qui plectitur corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.

3^o. Judices, qui damnationem, & occisionem innocentium non impediunt, cum possunt, vel injustè damnatos ad mortem, non liberant, si possint, juxta illud: *Eruere eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum. liberare ne cesses,* Prov. 24. v. 11. Ideò iudex, quamvis solus esset, debet injustæ aliorum sententiæ, quantum potest, adversari; sic enim judicem præmoneret Deus: *Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies* Exod 23.

4^o. Medici, Chirurgi, Pharmacopœæ, si ægroti sibi commissi eorum negligentia, vel imperitia moriantur, ita S. Anton. P. 3. tit. 7. cap. 11. *Ubi ex negligentia notabili incuris suis nocent infirmis, semper peccant mortaliter, facientes contrâ illud: Non occides.* Nec excusat^{ur} ex hoc, quod illud non intendant; quia voluntariè dant operam, unde hoc sequitur; immo etiamsi sequatur sanitas, non excusat^{ur} à peccato; quia exponunt se periculo peccati mortalis.

PROPOSITIO II. Non Peccant peccato homicidii, vel pertinente ad homici-

dium, quicumque vacant rei licitæ, & debitam adhibent diligentiam, licet ex talia cōtione, pr̄ter illorum intentionem, sequatur homicidium.

Probatur 1°. Ex Scriptura. *Si homicidium factum fuerit fortuitò & absquè odio... liberabitur innocens de ultioris manu.* Num. 35: V. 22.

2°. Ex D. Thom. *Si quis det operam rei licitæ & debitam diligentiam adhibens; & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum.* 2. 2. q. 64. a. 8. in corp.

3°. Ratione. Nemo jure suo utens, alteri censemetur injuriam facere: ergo in illis circumstantiis homicidium non potest imputari ad culpam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Milites in bello justo possunt occidere innocentēs cum hostib⁹ permixtos, quandō non possunt innocentēs ab hostib⁹ discernere; quiā vacant rei licitæ, & debitam, ut supponitur, adhiberunt diligentiam ad separandos innocentēs ab hostib⁹.

C O N S E C T A R I U M II. Lacesitus in justè, potest juxta aliquos auctores occidere infantem, quo injustus aggressor se tanquam clypeo vrmunit, quandō non est alia via evadendi iētus injusti aggressoris; quiā ut supponitur, vacat rei licitæ. & ut supponitur, omnem adhibet diligentiam, ne lēdatur infans.

C O N S E C T A R I U M III. Mater pr̄gnant.

periculose ægrotans, quandò timetur morte & matris & prolis, potest sumere potionem ordinatam ad sanandam matrem, & expulsivam fœtus nondum animati; quia res est licita, ad quam per accidens solum sequitur expulsio fœtus nondum animati; si tamen fœtus sit animatus, via licita debet conservari, ut baptifetur.

C O N S E C T A R I U M IV. Respublica passura ab injusto tyranno integrum deletionem, nisi deserat tutelam innocentis quem tyranus injustè postulat, ut morti tradatur, potest omittere tutelam illius innocentis; quia talis omissione non est illicita, non enim jubetur defensio privati innocentis, cum certo periculo omnium civium reipublicæ.

C O N S E C T A R I U M V. Judex, qui omnibus tentatis non potest cum, quem scit privatâ scientiâ innocentem, qui tamen secundum testimonia allegata & probata publicè habetur nocens, potest illum innocentem damnare morte; quia ut persona publica vacat rei licita, debitamque adhibet diligentiam, ita D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. Quomodo in eo casu debeat judex se gerere, vide infra.

CAPUT III.

*De occidente, & mutilatione suiipsius, tam
positivâ, ium negativâ, ut dicunt.*

ARTICULUS I.

*An licita sit directa suiipsius occiso, vel pro-
monebat prij membris mutilatio.*

PROPOSITIO unica. Peccat peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium, qui actione positivâ, vel negativâ intendit suiipsius occisionem, vel mutilationem, faciendo aliquod prohibitum, vel omittendo aliquod imperatum, ad quod necessariò sequatur, vel occiso, vel mutilatio.

Probatur 1°. Scripturâ. Qui ita se gerit agit contrâ illud: *Non occides*. Ergo peccat peccato, vel homicidii, vel ad homicidium pertinente.

2° Ex Aug. *Quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij criminе tenebitur* lib. 1. de civit. Dei cap. 21.

3°. Ratione. Qui proprio nocet corpori diversimodè peccat. 1°. Agit contrâ inclinationem naturalem; res enim quælibet amat sui ipsius conservationem. 2°. Agit contrâ justitiam homo enim non est virtus suæ Dominus, sed tantum custos; ideo non potest pro libito eam prodigere, sed deberet eam conservare. 3°. Qui nocet proprio corpori, nocet reipublicæ, cuius est membrum,

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Sui ipsius cœdis rei sunt, qui per actionem positivam seip-
sos, occidunt, pugione, veneno, inediâ,
quocumque motivo illud faciant, ita docet
Aug. *Hic dicimus, hoc assentimus, hoc modis*
omnibus approbamus, neminem spontaneam
mortem sibi inferre debere, vel ut fugiendo mo-
lestias temporales, uti fecit Achirophel 2 Reg. 18.
& Saül, & Razias; ne incidat in perpetuas;
neminem, propter aliena peccata, uti fecit nup-
ta impetita à Diocletiano, quæ se ipsam occi-
dit, ut copiam sui corporis Diocletiano eripe-
ret, ne hoc ipso incipiat habere peccatum gra-
vissimum proprium, quem non polluebat alien-
num; neminem propter sua peccata præterita,
uti fecit Judas, propter quod magis hanc vitâ
opus est, ut possit pœnitendo sanari; neminem
velut desiderio vitae melioris, quæ post mor-
tem speratur, uti fecit Ceombroius; quia reos
sue mortis, melior post mortem vita non
suscipit. lib. 1. de civit. Dei cap. 26. Ideò
jussu Ecclesiæ privantur sepulturâ Ecclesiastîca,
qui seipso occidunt. Samson vero,
& alii sancti, qui dicuntur seipso occi-
disse, id fecerunt dueti speciali inspiratio-
*ne, unde in eo mirandi potius, quam imitan-*di, ut ait Aug ibidem: Unde etiam non**
excusantur infirmi, qui respunt medicami-
na vulgaria, quandò spes salutis adest.

C O N S E C T A R I U M II. Sui ipsius muti-
lationis rei sunt, qui se ipsos mutilant, v.
g. amputant manus, pedes, &c. Non enim

licet mutilare se, nisi quandò abscissio mem-
bri est ad salutem totius corporis necessaria,
ut dicit d. Thom. his verbis 2. 2. q 65. a. 1.
in C Mutilare autem non est licitum alicui pri-
va&e personæ, etiam volenie illo cuius est
membrum; quia per hoc fit injuria communitati,
cuius est ipse homo, & omnes partes ejus. Si verò
membrum, propter putredinem, sit totius cor-
poris corruptivum, tunc licitum est de voluntate
ejus cuius est membrum, præscindere, proprie-
salutem totius corporis, quia unicuique commissa
est cura propriæ salutis.

C O N S E C T A R I U M III. Sui ipsius mu-
tilationis rei sunt, qui seipso castrant ad
vitandam incontinentiam, de quod ita D Tho.
2. 2. q. 65. a. 1 ad 3. Saluti spirituali semper potest
aliter subveniri, quam per membra præcisionem;
quia peccatum subjaceat voluntati. Sancti autem
Patres ab cisionem illam reprobant; quia, ut
ait Chrisost. concupiscentia non sit per eam
mansuetior, sed ardentior. Et Basil. Juvat nos
esse castos & non infirmos. Improbatumque
semper fuit ab Ecclesiâ factum Origenis se
ipsum castrantis indiscreto amore castitatis.
Et Canon primus Nicoenus à Clero reicit,
qui se ipso abscederunt; admittit solùm eos,
qui vel inviti à barbaris, vel ad vitandum
morbū à Medicis abscessi sunt.

C O N S E C T A R I U M IV. Cujusdam quasi
mutilationis & occisionis rei sunt, qui pa-
ssionibus se reddunt impotentes ad generatio-
nem; quia privare se hac viâ, exercitio po-
tentie generative est quedam occisio &
mutilatio. De quo ita Cæsarius Arelat. Ma-
lier autem quæcumque fecerit hoc, per quod jam

non possit concipere , quantoscumque poterat parere , tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.

C O N S E C T A R I U M V. Suiipsius cœdis rei sunt , qui per crapulam , ebrietatem , libidinem , aliasque passiones , vitam sibi vel minuunt , vel eripiunt , quos ita præmonet Script : *In multis escis erit infirmitas propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinent est , adjicet vitam.* Ecclis. 37 v. 33.

C O N S E C T A R I U M VI. præmaturæ sui ipsius cœdis rei etiam sunt qui nimirâ abstinentiâ , longioribus vigiliis ex indiscreto zelo sibi , vel mortem accelerant , vel valetudinem minuunt ; quia debilitandum est corpus , ne rebellet , sed non destruendum , ne pereat ; cuilibet enim dictum est : *noli destruere opus Dei.* ideo ait D. Tho quodlib. 5. a 18 vigilie , jejunia , carnis maceratio , adhibenda sunt cum quâdam mensura rationis : ut scilicet concupiscentia deviteur , & natura non extinguitur , secundum illud ad Romanos : exhibatis corpora vestra hostiam viventem , & postea subdit , rationabile obsequium vestrum . Si verè aliquis in tantum virtutem naturæ debilitet per jejunia , & vigilias , & alia hujusmodi ; quod non sufficiat debita opera exequi , putâ prædicator prædicare , Docttor docere , cantor cantare , & sic de aliis , absque dubio peccat ; sicut etiam peccaret vir , qui nimirâ abstinentiâ se impotenti redderet ad debitum uxori reddendum.

C O N S E C T A R I U M VII. Suiipsius cœdis rei etiam sunt , 1º Qui se exponunt probabili mortis periculo ; quales sunt illi , qui exercent hastilidium , torneamentum , taurorum

agitationes. Hastiludium sit, cum armati equites duo contra incedunt. Torneamentum, cum milites ad virium ostentationem inter se concurrunt. Taurorum agitatio est, cum homines contrà tauros decertant. Illa ut plurimum fiunt cum probabili mortis periculo; prohibentur Jure Canonico sub gravibus penitentia, & qui in tali exercitio moriuntur licet peniteant, privantur Ecclesiastica sepulturâ. Ita enim legitur cap. Felicis de torneamentis. *Si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti penitentia non negetur: Ecclesiastica tamè careat sepulturâ, si accessit animo pugnandi, minimè verò si accessit altâ causa, putâ ut debita sibi exigeret; ut explicat caput ad audientiam ibid.*

ARTICULUS II.

De indirectâ occisione Suiipsius & proprii membra mutilatione.

Certum est illicitum esse intendere directâ Suiipsius mutilationem, vel occisionem; sed videamus an licitum sit, imò aliquando necessarium sui ipsius occisionem, vel mutilationem permettere.

P R O P O S I T I O I. Homo potest, nedum contrâ peccatum imò laudabilitè exercere aliquos virtutis actus, ex quibus prævidet secuturam sui ipsius mortem, aut mutilationem, vel ex causis naturalibus, vel ex causis liberis

Probatur 1º. Scripturâ. Licet Paulus vide-

ret imminere sibi vincula . imò mortem , si adiret Jerusalem , ait : *Nihil horum vereor , nec facio animam meam preiosiorem quam me , dummodo consummem cursum meum . act 20.*
v. 24. ergo licet vitam exponere in laudabili virtutis exercitio.

2°. Ex D. Tho *Ad fortitudinem pertinet , quod aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis . & ut vitet peccatum . 2.2.q.64.a.5.* Patet hoc ex Eleazaro qui dedit se , ut liberaret populum suum . & acquireret sibi nomen æternum , quando scilicet ab Elephanto oppressus , suo sepultus est sub triumpho .

3° Ratione . Quilibet potest citra peccatum , imò maximam cum laude , virtutem exercere , licet per accidens ex tali exercitio sequatur mors , aut mutilatio ; quia quilibet potest uti jure suo & quia praesens vita temporalis patvi facienda est ut obtineatur futura vita in æternum duratura .

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I Ut homo exerceat charitatem , potest se sequentibus periculis prudenter exponere . licet ex his ejus occisio autem mutilatio prævideatur forte futura . v. g Medicus potest tempore pestis pestiferos curare ; privatus quilibet potest eisdem ægrotis servire . Sacerdos potest eisdem Sacramenta ministrare . Concionator potest infidelibus fidem prædicare , etiam cum vita dispendio , quilibet homo potest flammis se exponere , ut baptiset puerum sine baptismo

moriturum ; quia in his omnibus casibus charitas exercetur , quæ , ut ait Apostolus quærit , quæ sua sunt . Item homo privatus , nec Reip. nec familiæ suæ necessarius , ab ipso aggressore lacepsitus , potest sui ipsius occisionem permittere , si probabilitè putet se esse in statu gratiæ , potius quam occidere aggressorem , ut sic vitam suam Deo offerat & impio aggressori tempus pœnitendi non adiimat . Item mater prægnans , periculosisimè ægrotans , si spes affulgeat conservandi problem , ut baptisetur , potest sui ipsius occisionem corporalem permittere , ut æterna salus ipsi proli nascituræ procuretur

C O N S E C T A R I U M II. Homo reus , ex amore justitiæ potest , vel se judici offerte , vel detentus in carcere , in eo permanete , cum etiam offert se occasio exeundi , et si prævideat hinc secuturam ejus mortem , quia virtutem exercet , qui non refugit mortem , quam suis sceleribus promeruit

C O N S E C T A R I U M III. Homo ex amore temperantiae , potest temperare à cibis delicioribus ad tuendum corpus infirmum necessariis , modò utatur communibus , & ita fecerunt plures sancti . Carthusianus potest abstinere ab esu carnium , licet iudicio Medicorum judicentur ad vitam conservandam necessariæ . Primus enim exerceret virtutem temperantiae ; secundus verò mavult perdere vitam quam obedientiam

C O N S E C T A R I U M IV. Ex amore castitatis potest homo omnino à matrimonio abstineri , et si ad sauitatem corporalem conduceat . Ita fecerunt plures sancti , qui vitam brevi peritura

peritum parvi fecerunt, ut castitatem conservaverent. Item & ex pudore rationali potest virgo non permettere inspectionem membrorum genitalium Chirurgo, licet forte esset necessaria ad curationem; sed in hoc sequendum judicium prudentis confessarii.

CONSECTARIUM V. Potest quis ex amore pénitentiae, aut majoris perfectionis causâ religiosum statum, aut austерum vitæ genus amplecti, quamvis sciat vitam ipsius inde fore breviandam; ideo enim nedum vitu perantur immo laudantur antiqui pénitentes de quibus loquitur Climacus, licet stupentibus pénitentiis corpus aſrigerent: quia virtutis motivo ducebantur.

CONSECTARIUM VI. Potest religiosus ex amore paupertatis negligere remedia, quæ sine ingenti pecunia haberi non possunt; modò utatur communibus; quamvis hæc ingentis prætii remedia sanitatem efflent allatura; quia id præstat amore veræ virtutis. Item paterfamilias, qui non est reipublicæ necessarius potest ea remedia negligere, quæ habere non potest nisi familiam ad extremam paupertatem redigendo, quia agit tunc motivo virtutis, scilicet ex amore erga familiam.

PROPOSITIO II. Homo non potest agere, aut amittere aliquid, ex quo etiam præter intentionem agentis prævidetur secuta occisio, aut mutilatio, si talis actio, aut omissione non conjugatur cum veræ virtutis exercitio.

Probatur 1^o. Script. Ad solum Deum pertinet judicium mortis & vitæ: *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Deut. 32. ergo

Tome III.

homo non potest extrà veræ virtutis exercitium vitam suam , vel positivè , vel negativè , ut dicunt , exponere .

2°. Ex D. Tho. *Quod aliquis sibi ipse inferat mortem , ut vitet mala pœnalia , habet quidem quandam speciem fortitudinis . . . non tamen est vera fortitudo , sed magis mollities animi , non valentis mala pœnalia sustinere .*

2. 2. q. 64. a 5. ad 5. idem docet Aug. de civit. Dei lib. 1. cap. 13. Ergò non licet extra veræ virtutis exercitium aliquid moliri quod mortem inferat.

3°. Ratione. Homo nullum jus habet agendi contrà propriam vitam , aut illius curam omittendi , in his casibus in quibus non vera , sed falsa virtus exercetur.

Consectaria bijus Doctrina.

CONSECTARIUM I. Homo ad ostendandam falsam constantiam non potest mortem sibi conciscere , vel ferro , vel veneno , vel præceps ruendo in aquam , in ignem , vel ultrò exponendo se ferocibus bestiis , aut furiosis hominibus , aut ignem in pulvrem tormentarium immittendo , ex quo sine ulla evasionis spe ruitura sit , aut arx in qua ipse est cum aliis , aut comburenda navis , in qua ille vehitur cum aliis ; quia ibi furor est , non constantia .

CONSECTARIUM II. Homo etiam justè damnatus , aut morte , aut inedia , non potest , aut sibi mortem inferre , aut oblatum cibum non sumere ; quia non prudens , sed imprudens esset hæc obedientia . Ita D. Tho. nullus ita condemnatur , quod ipse

sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur; & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur ... sicut etiam si aliquis condemnatus sit, ut fame pareat, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat; quia non sumere esset se ipsum occidere. 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2.

CONSECTARIUM III. Homo non potest ad experiendam virtutem theriacæ toxicum epotare; quia experimentum illud circa aliquid brutum, & prudentius, & rutius potest fieri, & experimentum illud factum circa homines insanum est & non prudenter.

CONSECTARIUM IV. Nullum est motivum quo liceat personæ, vel privatæ, vel publicæ se ipsam interficere. Puta v.g. ne occidatur ab hostibus, vel ne cadat in eorum manus, vel ut vitet captivitatem, aut ignominiam; quia, ut ait Poëta etiam Ethnicus.

Dic, rogo, nūm furor est, Ne moriare, mori?

ARTICULUS III.

Quandonam ex præcepto permittenda est sui ipsius occisio.

PROPOSITIO. Toties permittenda est ex præcepto sui ipsius occisio, quoties illud exigit bonum universale vel Religio-nis, vel Reipublicæ.

Probatur 1^o. Script. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed potius timete eum, quis non regis iherusalem.* V. ij

qui potest animam perdere in gehennam.

Idest, libenter mortem corporis potius patimini, quam damnationem animæ subeatis; *Quia qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam eternam custodit eam.*

2^a. Quando violatio legis conjungitur cum dispendio boni universalis vel Religonis, vel reipublicæ, tunc oportet legem observare; etiam cum propriæ vitæ dispendio; quia satius est bonum particulare perficere, quam universale.

Consectaria hujus Doctrinae

CONSECTARIUM I. Quoties causa Religionis postulat, ut vitam nostram offeramus, debemus sponte pati nos occidi, ita fecerunt illi, de quibus Paulus loquitur: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt in occasione gladii mortui sunt, &c. ad Hæbrei v. 37. Non suscipientes resurrectionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.* Ita & fecerunt omnes Martyres.

CONSECTARIUM II. Quoties bonum publicum postulat, ut vitam nostram offeramus, tenemur eam offerre: ita fecit Eleazarus, cum pro patriâ gloriosam mortem operetiit: ita fecit & Samson, cum Philistæos unâ cum semetipso, concutiendo columnam, oppressit. *Jud. 16.*

Sic, milites debent pro salute totius reipublicæ periculosas stationes tueri, etiam cum vitæ dispendio.

Sic, si bonum reipublicæ postuleret, debent, etiamsi spes salvandi seipso non afful-

geat, turres pulvere tormentario eruere, naves, quibus vehuntur inflammare, ut impediant, ne aut arces, aut naves hostibus serviant.

CONSECTARIUM III. Damnatus justè à judice, debet sustinere patientè, & non renitendo, quidquid judex præscripsit; quia bonum universale exigit, ut malefici puniantur. *Aliquis, inquit, D. Thom. damnatur ad mortem duplicitè: uno modo justè; & sic non licet condemnato se defendere: unde relinquitur, quod ex parte ejus sit bellum injustum, unde indubitanter peccat. Alio modo injustè, & tali judicio licet resistere, sicuti latronibus.*
2. 2. q. 62. a. 4.

CONSECTARIUM IV. Juxta multos, si quis etiam innocens postuletur injustè à tyranno minitante totius reipublicæ excidiatur, nisi tradatur innocens, tunc qui petitur, debet permettere se tradi, immò offerre se; satius enim est, ut privatus homo, licet innocens, pereat, quam tota respublica destruatur. Tunc enim esset maximè nocens, si pro totius reipublicæ conservatione, noller vitam suam exponere: exemplo enim Jonæ debet dicere: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis; scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Jonas 1, cap. v. 12.

ARTICULUS IV.

*Quandonam ex præcepto tenemur mutilationem
in nobis permettere?*

PR O P O S I T I O. Totiès debemus mutilationem, id est membra abscisionem permittere, quotiès id exigit, aut ordo iustitiae, aut bonum universale Reipublicæ, vel Religionis.

Probatur 1^o. Script. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Exod 21. v. 24. Ergo iudex potest aliquando damnare reum pœnâ mutilationis: ergo tunc reus debet huic pœnæ se subjicere.

2^o. Ex D. Thom. *Sicut per publicam potestatem aliquis licet privatur totaliter via propter alias majores culpas; ita etiam privatur membro propter alias culpas minores.*

2. 2. q. 65. a. 1 in corp.

3^o. Ratione. Homo justè damnatus debet mortem subire: ergo & mutilationem. Homo pariter tenetur mortem pati, cum id exigit bonum universale reipublicæ, aut Religionis; ergo & mutilationem.

consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Homo tenetur toties pati mutilationem in suo corpore, quoties auctoritate judicis eā pœnâ damnatur, sive damnetur justè à legitimo judge in pœnam alicujus delicti, sive injustè à tyranno in odium Religionis. Quia in pri-

TRACT. IV. DE V. DECAL. 235
mo casu id exigit ordo justitiae, in secundo
bonum Religionis.

CONSECTARIUM II. Homo debet pati
mutilationem in suo corpore, quoties hæc
judicio prudentum existimatur absolute ne-
cessaria ad totius corporis conservationem;
quia homo non ita est Dominus vitæ, ut
possit citra peccatum permettere totum cor-
pus per membrum putridum corrumpi.

CAPUT IV.

*De occisione & mutilatione, percussione factis
auctoritate publicâ.*

ARTICULUS I.

De occisione facta expresso Dei jussu.

PROPOSITIO. Occisio hominis facta
jussu Dei non est peccatum.

Probatur 1º. Script. *Ego occidam, ego vi-
vere faciam*: Ergo cum Deus sit Dominus
vitæ nostræ, potest pro libito occidere, vel
conservare hominem.

2º. Ex Aug. lib. 1. de civit. Dei. cap. 21.
*Nequaquam contrà hoc præceptum egerunt, quo
dillum est; non occides, qui Deo auctore bel-
la gesserunt, aut personam gerentes publicæ
potestatis, secundum ejus leges, hoc est justis-
ime rationis imperium sceleratas morte pu-
nierunt.*

3º. Ratione. *Quià cum Deus vitæ ac
necis omnium Dominus sit, potest morti ad-
dicere, quos libuerit; & hoc, vel præcisè ra-*

tione supremæ auctoritatis, quam habet super omnia, vel in poenam peccati, vel originalis, vel actualis. Ideò Abraham paratus filium suum occidere, nedium vituperatur, quin immò laudatur à Dco : *Nunc, inquit Angelus, cognosco, quod timeas Dominum.* Ideò etiam laudatur Tribus levi, quod Judæos fornicantes jussu Dei occiderat : *Consecratis minus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Exod. 32. Sic Moyses ex inspiratione Dei licite occidit Ægyptium, & Phinees filium Zambri. num. 25. Samuël Agag, Elias Sacerdotes Baal,

M O N I T U M. Hæc propositio inservit ad excusandos eos qui jussu Dei occiderunt. Sed nulli potest esse regula operandi ; quia post stabilitam, ut jam est, Christi Religionem privatæ revelationes contrariæ expresso Dei præcepto censeri debent illusiones.

ARTICULUS II.

De occisione facta auctoritate judicis.

P R O P O S I T I O. Jūdex non intrusus, sed legitimus, potest, & debet, non motivo vindictæ, sed amore justitiae, damnare justo suppicio non innocentem, sed reum accusatum, & convictum.

Probatur 1^o. Script. Qui enim dixit privato homini : *Non occides* ; dixit judici : *Maleficos non patieris vivere.* Exod. 22. Est enim minister Dei, vindex in iram ei, qui malum agit ; ut docet Paulus ad Rom. 13.

4. Ergo debet malos juxta iurandum Dei punire.

2°. Ex Aug. Epis. ad Macedonium 153. alias 54. *Si non liceat judici malefactores occidere, frustra instituta sunt potestas Regis, jus gladii, cognitores, unguiae carnificis, armæ militis, disciplina dominanis, severitas etiam boni patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Hæc cum timentur, & coercentur malis, & quietius inter malos vivunt boni.*

3°. Ratione. 1°. Magistratus debent imitari Davidem, qui de se ipso ait : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Dei omnes operantes iniquitatem.* Psal. 100.

4°. Bonum commune, nimirum tranquillitas reipublicæ, debent longè præponderare vitæ nocentium ; & ita bonum est, ut per mortem abscondantur, qui nos conturbant, & tanquam membra pestifera à judicibus, quasi totidem prudentibus Medicis, resecantur, ut patet ex multis sanctorum virorum exemplis... Moyses jussit Judæos idolatas occidi. Exod. 22. & Principes Judæorum cum sœminis Midianitis fornicatos patibulo suspendit. Phinees Sacerdos virum cum scorto Midianitide commixtum interfecit, zeloque suo Sacerdotium familiæ suæ in perpetuum promeritus est. Quibus exemplis patet, bonum esse occidi maleficos, ut mali formidine pœnæ à peccato deterreantur.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. De judice intruso. Judex intrusus peccat , qui hominem quantumvis reum damnat ; quia non servat ordinem juris : etenim injustum est , quod aliquis judicetur ab eo , qui publicam autoritatem non habet : ita Concil. Later. sub Inn. 3. can. 44. & D. Thom. dicit , peccat : *Quando homo iudicat in his , in quibus non habet autoritatem ; & sic dicitur iudicium usurpatum . 2. 2. q. 60. a. 2. in C.*

C O N S E C T A R I U M II. De judice legitimo reum absolvente. Peccat judex etiam legitimus , qui vel flexus precibus , vel teritus minis , vel corruptus muneribus , non damnat hominem reum ; teneturque restituere damna omnia , quæ ex impunito scelere nascentur ; ita docere videtur Script. 3. Reg. cap. 20. *Hæc dicit Dominus , quia dimisisti virum dignum morte de manu tua , erit anima tua pro anima ejus.*

C O N S E C T A R I U M III. De judice qui non agit amore justitiæ. Peccaret judex etiam legitimus , qui hominem reum damnaret , ut iræ , vel propriæ , vel alienæ serviret , vel ut pecuniam facilius obtineret ; ita docet D. Thom. *Ad hoc autem , quod iudicium sit aliis justitiæ , tria requiruntur . 1. Quod procedat ex inclinatione justitiæ , &c. Quando autem est contra rectitudinem justitiæ , dicitur iudicium perversum vel injustum . 2. 2. q. 60. a. 2. in C.*

C O N S E C T A R I U M IV. De judice qui

damnat innocentem , peccat judex legitimus , qui innocentem damnat ; quia quatenus homo , habet jus universale ad vitam , & quatenus innocens , habet jus speciale : quia vir probus bonum reipublicæ promovet. Quomodo verò debeat se gerere judex , & carnis ex erga innocentem falsò accusatum , accipe à D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. Dicendum , quod judex , si scit aliquem innocentem esse , qui falsis testibus convincitur , debet diligentius examinare testes , ut inveniat occasionem libe- randi innoxium , sicut Daniël fecit : si autem hoc non potest , debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem nec hoc potest , non pec- cat , secundum allegata ferens sententiam ; quia ipse non occidit innocentem , sed illi , qui cum afferunt nocentem. Minister autem judicis con- demnantis innocentem , si sententia intolerabi- lem errorem contineat , non debet obedire , alias excusarentur carnicices , qui Martyres occide- runt : si verò non contineat manifestam injusti- tam , non peccat præceptum exequendo ; quia ipse non habet discutere superioris sententiam , nec ipse occidit innocentem , sed judex , cui ministerium exhibet.

CONSECTARIUM V. De judice qui damnat reum ante legitimam accusationem. Peccaret judex etiam legitimus , qui hominem , et si reum , damnaret antè legitimam accusationem ; quia non servaret ordinem juris . ita D. Thom 2. 2. q. 6. a. 3. in C. Ju- dex est interpres justitiae ; homines enim , ait Phil. ad judicem configuiunt ; sicut ad quandam justitiam animatam. Justitia autem non est ad seipsum , sed ad alterum : & ideo oportet , quod

judex inter aliquos duos dijudicet, quod quidem fit, cum unus est actor, & alius reus; & ideo in criminibus non potest aliquem judicio condemnare, nisi habeat accusatorem, ut dicitur.

A&t. 25.

Nota tamen, ut addit D. Thom. ibidem ad 2. *Quod evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris, ut dicitur.* cap. evidentia de accusatoribus. Ideo licet aliquando rei in flagranti criminis suspenduntur, & bannitos aliquando ex jussu principis licet cuilibet privato occidere; quia notorium facti vices supplet accusatoris, testium, & juridicæ condemnationis.

CONSECTARIUM VI. De judice reum damnante ante convictionem juridicam. Pecaret, judex qui hominem, et si reum condemnaret ante juridicam criminis objecti convictionem; quia non servaret ordinem juris, ita jubet Script. Paralipom. 19. 6. *Videte, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium sed Domini.* & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit, si timor Domini vobiscum. & cum diligentia cuncta facite. Eò spectat etiam inquit D. Thomas, illud Pauli A&t. 25. *Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam sis qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipient ad abluenda crimina.* Quæ ei objiciuntur. 2. 2. q. 67. a. 3. in C. Hinc docet Cajetan. V. homicidium, reos esse homicidii eos, qui, nullo servato juris ordine, jussu, principis aut magnatis aliquem secretò occiderent, gladio, veneno, quando reus juxta ordinem juris puniri potest,

quia

quiā, inquit, hoc jubere non potest rex abs-
quē scientiā publicā; scientia autem publi-
ca non est, nisi tripliciter, scilicet, vel
ex propriā confessione judiciali, vel ex no-
torio facto, vel ex probatione judiciali. Si
tamē processus judicialis occasio esset rebel-
lionis, tunc reus posset sine illo processu licite
occidi.

CAPUT V.

*De percussione, mutilatione, & occisione factis
auctoritate privatā.*

ARTICULUS I.

*An & quando liceat privatā auctoritate pro
defendendā vitā iniquum aggressorem
occidere.*

PROPOSITIO unica. Homo privatus,
cui injustè infertut violentia ad mortem
usque, si non sit alia via conservandi pro-
priam vitam, potest in actuali conflictu, se-
cluso affectu vindictæ, cum moderamine in-
culpatæ tutelæ, iniquum aggressorem occi-
dere, non intendendo mortem aggressoris,
sed sui defensionem.

Probatur 1º. Scripturā Exod. c. 22, v. 2.
Si effringens sur domum, sive suffodiens fue-
rit inventus, & accepto vulnere mortuus
fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Ubi
notant interpres, quod eo textu non des-
truitur, sed astruitur lex illa hominibus na-
turaliter insita quā licitum credimus vim vi-
repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

2º. Ex Cyril. lib. 1. in Joananem c. 35.

Tom. III,

ubi satis aperte indicat quibuscumque hominibus licitum esse vitæ aggressorem interimere, sic enim habet. At unde nam Petro gladius! Respondebimus vero, cum juxta legem vim vi repellere licet, ferro quoque uti per legem licuisse. Quid enim ferro quispiam invadat immerentes, quomodo ulcisci poterunt injuriam ferro destituti. Ergo licet ferro uia contra inustum aggressorem; ergo & eum occidere, si mortem nostram moliatut.

3º. Ex jure civili lib. 1. tit. 1. ff. 1. 3. Jure hoc venit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur: Et in l. 3. cap. ad legem Corn. de Sicc. Gordianus dicit. Si quis percussorem ad se venientem, gladio repulerit, non ut homicida teneatur: quia defensor propriæ sa'utis in nullo peccasse videtur: Et l. 1., idem ait. Si quis aggressorem vel quemcumque alium in dubio ritæ discrimine constitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet.

4º. Ex jure Canon. ubi sic loquitur Innocen. 3. cap. Significasti, extra de homicidio, vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittunt: Modò tamen fiat, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & non ad summendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. Tunc enim respublica censetur privato contulisse autoritatem occidendi iniquum invasorem: Ergo licet occidere iniquum invasorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ.

5º. Ex Catechismo Trident. Si quis, inquit, defendendæ salutis suæ causâ, omni adhibiti cautione, alterum interemerit, hac lege: non

6^o. Ex Catechismo Concilii Coloniensis de 5. Decalogi præcepto, ubi sic habetur. *Virtutem etiam quidam in questionem, num lex civilis, que homini privato vim vi repellere concedit, pugnet cum Evangelio! Nos putamus non pugnare, sed licere capiis periculum, intentantis exitio depellere; si tamen certa mors intenditur, nec est aliud effugium. Nam cum eo casu certo quodam ordine & modo, quem lex prescribit, magistratus vim vi depellere concedat, videbitur invadens hoc oratione & modo occisus magis ipsius magistratus quam privatâ auctoritate occisus... Oportet autem ut omnis affectus laedendi invasorem penitus absit.*

7^o. Ratione. Actio defendantis se, etiam occidendo aggressorem, ex nullo capite est mala. 1^o. Non est mala ex fine; quia ut supponimus, non intendit occidere aggressorem, sed propriam vitam conservare, quod nihil aquius: peccaret quippe mortaliter, si mortem inimici intenderet, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7^o *Illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut se ipsum defendat nisi ei qui habet publicam auctoritatem.* 2^o. Non est mala ex morte aggressoris; quia mors aggressoris contingit, vel contraria, vel præter intentionem defendantis, ex sola malitia aggressoris irruentis in arma defendantis se. 3^o. Non est mala ex circumstantiis; quia defensio sit moderata; Tunc vero servatur moderamen inculpatæ tutelæ, cum vim similem simili vi repellimus, arma armis, fustes sustibus, pugnos pugnis opponentes, ut

ait Bartolus. Præterea nihil magis quieti & humanae paci adversarietur, quam si scelerati possent quoilibet, absque ullâ resistentiâ occidere; ergo licet inustum aggressorem servatis prædictis circumstantiis occidere.

Conjectaria hujus doctrine.

C O N S E C T A R I U M I. Contra eos qui licitum putant occidere quemcumque inustum aggressorem, etiam si non inferat violentiam vitæ nostræ. Non licet occidere eum, qui non infert veram violentiam vitæ nostræ, v. g. eum, qui minatur solum; cum qui leviter percutit, &c. Quia in his omnibus casibus non infertur violentia vitæ nostræ; lex enim Civilis & Canonica non excusat occisionem aggressoris, nisi cum violentia infertur usque ad mortem. *Si metu mortis quis occiderit*, inquit Ulpianus L. 5. ff. ad legem Aquiliam. *Si tamen certa nōstrī mors intenditur, nec aliud est effugium*, inquit Catechis. Coloni.

C O N S E C T A R I U M II. Contra eos qui putant licitum esse occidere inustum accusatorem, falsos testes, &c. Non licet occidere falsum accusatorem, falsos testes, iniros judices nobis mortem machinantes; quia talis violentia non ita urget, ut alites quam per mortem aggressoris vitari nequeat: v. g. fugā, & appellatione ad superiores judices, firmā in Deum protectorem innocentiae fiduciā; ideo damnata est hæc propositio ab Alexandro VII. & à Clero Galliano, art. 7. *Licet interficere falsum accusato-*

rem, falsos testes, aut etiam iniquum judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ innocens damnum evitare non potest.

CONSECTARIUM III. Contra eos qui licitum putant occidere justos aggressores. Non licet occidere eos, qui justè vim inferrunt, v. g. ministros justitiæ, qui nituntur hominem, vel accusatum, vel damnatum detrudere in carcerem, aut pœnas determinatas infligere: qui enim, inquit Paulus. *Resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirent.* Ideò damnata est à Clero Gallicano art. 7. sequens propositio. *Vbi est scripta expressa permisso à Deo ut reges & respublicæ possint interficere reos? an est in scriptura? an in traditione? est ne fidei articulus? si solo lumine naturali eò ducimur, patere ut ex eodem lumine naturali judicemus, quod cuique privato liceat in occidendo aggressore non solum vite, verum etiam honoris, & rei.*

CONSECTARIUM IV. Contra eos qui licitum putant occidere eos qui mortem nostram machinantur. Non licet occidere eos, qui non sunt accineti ad occidendum, sed solum mortem nostram meditantur; quia nondum insertur nobis violentia: ideò damnatæ sunt à summo Pontifice, & à Clero Gallicano art. 7. sequentes propositiones. *Quando quis decretit te occidere; & hoc alii manifestaverit, sed nondum cœpit id exequi, potes cum prævenire, occidendo, si aliter non potes effugere; ut si maritus pugionem habeat sub cervicali ad occidendum noctu coniugem; si quis venienti sibi propinandum para-*

verit; si rex unus adversus alium classem ador-
narit. Si arma quidem necdum paravit, sed
tantum habet decreum firmum, & efficax te
occidendi, quod tibi vel revelatione divinâ,
vel manifestatione confidenter amicis factâ in-
notescat, potes prævenire; quiâ per istud de-
creum, etsi purè internum, sufficienter cense-
tur aggressor.

Quod adeò rectæ rationi adversatur, ut
Pagani ipsi id defensionis genus damnave-
rint: insignis est apud Gellium hæc senten-
tia. *Hominum autem vita, non tam iniquis,*
neque tam indomitis necessitatibus circumscrip-
ta est ut idcirco prior injuriam facere debeas,
quam nisi feceris pati possis: Et apud Cicero-
nem citatum à Quintil. lib. 5. de refutatione,
hæc leguntur: *Quis hoc statuit unquam, aut*
cui concedi sine summo omnium periculo potest,
ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse
se dicoat, ne ipse posterius occideretur: Ita
apud Grotium. lib. 2. de jure belli & pacis
cap. 1. num. 5.

CONSECTARIUM V. Contra eos qui
volunt licitum esse occidere injustum aggres-
sorem, non solum in actuali aggressione,
sed etiam post aggressionem. Non licet oc-
cidere eum, qui olim voluit nos occidere,
sed jam non aggreditur; quiâ hæc actio non
esset defensio, sed vindicta à Christo dam-
nata.

Item non licet repercutere eum, qui nos
percussit, & jam cessat à percussione; quiâ
hæc actio non esset defensio, sed injusta vin-
dicta.

CONSECTARIUM VI. Contra eos qui

volunt licitum esse occidere aggressorem cum vita nostræ possumus aliter consulere, v. g. per fugam, &c. Non licet occidere aggressorem, si aliter possis conservare vitam, v. g. fugiendo, eludendo, iectus, debilitando invasorem, vulnerando, ligando; quia non licet occidere, nisi cum alia non suppetit via. Si aliquis, inquit D. Thom. ad defendendam propriam vitam utatur majori violentiâ, quam oporteat, erit illicitum; si vero moderatè violentiâ repellat, erit licita defensio. 2. 2. q. 64. a. 7.

CONSECTARIUM VII. Contra eos quæ volunt illicitum esse occidere injustum aggressorem, servato etiam moderamine inculpatæ tutelæ. Licet occidere injustum aggressorem, qui nititur nos occidere; quia, ut ait D. Thom. Non est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad evitandam occisionem alterius; quia potius tenetur vita suæ providere, quam alienæ. D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. in C.

Verum cum sint plurima, inquiunt patres Concilii Coloniensis. Ad observandum hunc ordinem & modum, inculpatæ tutelæ... Idcirco nos homini Christiano suaserimus, ut in ea angustia ante omnia Dei auxilium implore, quod saepe propinquius est quam credimus, quando legimus & draconem, ejus cuius fuerat olim alumnus clamore excitatum accurrisse, & à latronibus liberasse, quod si interin Deo visum non sit invaso præsens afferre præsidium, & malit is occidi quam occidere; certè existimamus talem Christiani hominis officio funum, nimirum Christi Domini sui exemplum.

secutum esse. Quamvis interim secus faciem
rem, ordineque & modo legitimo se defendentem
non damnemus. Neque enim Evangelium tollit
jus naturale, nec legis naturalis ordinacionem,
sed tantum format affectus ac animum, quem
Christus vult ab omnis vindictæ cupiditate alienissimum
esse. Ergo non est contra legem
Evangelicam occidere invasorem, modò absit
omnis animus vindictæ, & hoc est quod inten-
dit Aug. Epis. ad Publicol. ut notat D.
Thom.

C O N S E C T A R I U M VIII. Contra eos
qui nolunt licitum esse occidere furem qui
actu & vitam & bona temporalia tentat eri-
pere. Licet occidere furem, qui vitæ simul-
què rerum nostrarum actuali aggressione in-
justâ direptionem molitur; quià in his cir-
cumstantiis instat periculum vitæ, ità Fag-
nanus cap. *Intersecisti*, de homicidio. Hoc
autem, inquit, debet intelligi in casu, in
quo suberat periculum rerum & personæ si-
mul.

C O N S E C T A R I U M IX. Liceat ne furem
occidere in dubio an vitam simul & bona tem-
poralia intendat eripere. Licet occidere fu-
rem, cum prudenter dubitatur, accedat ne,
vel animo solum furandi, vel animo occi-
dendi. Talis est fur nocturnus, vel fur diur-
nus, qui se telo, aut aliis armis mortiferis
defendit; quià tunc vita nostra periclitatur,
ità videtur docere cap. *Intersecisti*, de ho-
micio ... *Intersecisti* furem, aut latronem,
ubi comprehendè poterat absquè occisione per
quadraginta dies non intres in Ecclesiam, &c.
Si autem sine odio meditatione te iuaque libe-

rando interfecisti..... Si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi: Ergo supponit licetum esse occidere sursum, ut & te & tua defendas, idest, ut tuearis vitam, simul & bona.

CONSECTARIUM X. Liceat ne injustum aggressorem proximi occidere. Licer occidere invasorem, qui proximum nostrum injuste nititur occidere; quia jus habemus conservandi vitam proximi, ideo ait Script. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Et Moses inquit Ambros. cum vidisset Hebreum ab Aegyptio injuriam patientem, defendit: ita ut Aegyptium prosterneret, atque in arena absconderet. lib. 1. offi. cap. 36. Quod exemplum proponit sanctus Doctor, non mirandum solum, sed etiam imitandum; dicit enim ibidem. Non in inferendā, sed in depellendā injuriā lex virtutis est: Ergo si lex sit virtutis, factum illud imitari possumus.

Nota tamen, quod qui alium occidit, etiam defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ; si Laicus, debet subjici pœnitentia; si Clericus, arcendus est ab altaris ministerio, donec à summo Pontifice dispensetur; quia cum incertum sit, utrum legitimum defensionis modum excesserit, ideo Laico, vel ad exemplum, vel ad cautelam imponenda est pœnitentia, & Clericus ab altari est arcendus; quia homicidium illud eget dispensatione. Trid. ses. 14. de resor. cap. 7.

Et in collectione Isaaci Episcopi Lingtonensis sic habetur cap. 13. Si quis quiete gradens per viam, aut si etiam in domo sua fuerit,

rit, aut in platea civitatis, aut in villa subito ab alio sit supervenitus, aut liuis commotione, volens se defendere, non habens contra illum ante odium, interficerit hominem, septem annis secundum Canonicam institutionem pœnitentia: tres verò à communione privetur: quatuor autem in communione orationum & oblationum susceptus in Sacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus sit corpus Christi accipere aut usque ad plenitudinem pœnitentia ab eo separari, abstinentia ciborum in providentia Sacerdotis erit, secundum possibilitatem pœnitentis, & devotionem & affectum Quamvis autem hæc severitas non sit literaliter observanda, est tamen pœnitenti proponenda, ut videat quantum Ecclesia homicidium voluntarium horreat, quæ ita rigidè involuntarium puniebat.

M O N I T U M. Nota quod juxta leges humanas, licitum est, cum non alia suppetit via, occidere violentum pudicitiae aggressorem; quia non tantum communi aestimatione, sed etiam lege divinâ, pudicitia viata præstantior est, ita docet Aug. lib. 1. de lib. Arb. cap. 1.

Cicero probat justè Marium occisum esse à milite, quem volebat corrumpere, & Greg. Turonensis lib. 9 Hist. cap. 27. Historiam refert cuiusdam puellæ, quæ velut altera Judith aggressorem pudicitiae occidit. Res ad regem delata est, rex non modò vitam donavit, sed præceptionem tribui jussit. Sed non puto id licitum coram Deo; quia juxta Aug, ibid. *Pudicitia cum in animo sit, à violento supratore eripi nec ipsa potest*

Legem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.

ARTICULUS II.

An & quando liceat privatâ auctoritate pro defendendis bonis fortunæ iniquum aggressorem occidere.

PROPOSITIO I. Peccant peccato homicidii, qui secluso omni periculo proprie vitæ furem inermem occidunt, pro conservandis duntaxat bonis fortunæ, quandò bona illa sunt levis momenti, nec sunt ad vitæ, vel status conservationem absolutè necessaria.

Probatur 1°. Script. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum.* Eccles. 29. v. 13. Ergo debemus bona temporalia potius perdere, quam vitam proximo eripere, & Joannis I. cap. 3. v. 16. *Christus animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere:* A fortiori res exigui momenti perdere, potius quam eos pro conservandis rebus tam caducis occidere.

2°. Ex Aug. lib. I. de lib. Arb. cap. 5. *Quomodo apud divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemnū oportet, humanā cœde polluti sunt.* Ideò ista propositio damnata est: *Regulariter possum occidere furem pro conservatiene unius aurei.* Cler. Gal. Art. 7.

3°. Ratione. Bonum temporale, quod afferetur per furem, non potest comparari cum vi-

tā proximi , cūjus mors interdum cum damnatione æternā conjungitur : ergo satius est nos perdere bonum illud temporale , quām furem occidere ; nam si debeamus esse in eā animi præparatione , ut volenti tunicam tollere , debeamus dimittere pallium , Math. 5. A fortiori debemus vitam proximi bonis exiguī momenti præferre.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Rei sunt homicidii Laici , qui sunt parati ad occidendum quemcumque bonorum temporalium invasorem , eo quod bona temporalia , vita & sanguis hominum appellantur.

C O N S E C T A R I U M II. Rei quoque homicidii sunt à fortiori Clerici , qui vellent armis bona temporalia tueri ; quia , ut ait Alexander 3. cap. *Suscepimus* , extra de homicidio . *Expedit potius post tunicam relinquere pallium , & rerum sustinere jacturam , quām pro conservandis vīlibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere.*

C O N S E C T A R I U M III. Reus est homicidii Religiosus , qui armis , ea quæ possidet in communi , vellet defendere ; quia si id non licet Clericis , nequè Laicis , à fortiori Religiosis ; nam in dicto capite . *Suscepimus* . Ab altaris ministerio arcetur frater , qui fures eosdem fugere nitentes occiderat , ne ab ipsis occideretur . Ubi glossa ait . ex hoc §. colligitur apertè non licere Clericis , vel Religiosis occidere latrones pro rebus conservandis .

CONSECT.

TRACT. II. DE IV. DECAL. 25;

CONSECTARIUM IV. Rei essent homicidii qui vellent, neandum res proprias, sed etiam res proximi tueri, cum dispendio vitae furis subripientis; quia si occidere non licet pro suis bonis temporalibus: ergo neque pro bonis temporalibus proximi.

PROPOSITION II. Peccant peccato homicidii, qui res, quas nondum possider, sed ad quas jus tantum habet, veller defendere, cum dispendio vitae proximi, qualiscumque valoris sint res illae.

Probatur 1^o. Iisdem autoritatibus, quibus superior conclusio.

2^o. Si res actu possessas, non licet tantum vi tueri, & fortiori res, quas nondum possidemus. Ideo damnatae sunt sequentes propositiones ab Innocentio XI. à Clero Gallican. Arti. 7. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. Licitum est iam hæredi, quam legatario, contra iniustè impedientem; vel ne hæreditas adeatur, vel legata solvantur se taliter defendere; defensione occisiva sicut & jus habenti in cathedrali vel præbendam contra eorum possessionem iniustè impedientem.

PROPOSITION III. Ratios admodum puto esse casus in praxi, immo sc̄re nullos, in quibus licet hominem occidere pro conservandis solis bonis temporalibus, etiam si sint ingentis valoris.

Probatur 1^o. Scripturā Exod c. 22. v. 2. Si effringens sur domum sue suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit;

254 MORALIS CHRISTIANA;
percussor non erit reus sanguinis. Quod si mo-
to sole hoc fecerit, homicidium perpetravit,
& ipse morietur. Ex quo loco concludit
Aug. Quod liceat nocturnum furem occi-
re minimè verò diurnum nisi iste armis vi-
tam nostram impetat. Nocturnum verò fu-
rem tantum licet occidi posse, quia vim
infert suffodiendo domum & incertum est
veniat-ne, vel ad furandum solum; vel ad
occidendum, ergo ex Scripturā juxta expli-
cationem Aug. Non est licitum furem occi-
dere nisi quando, vel apertam vim infert
vitæ nostræ; armis adortiendo & deffenden-
do se, vel quando incertum est, an veniat
ad occidendum. Ergo in praxi nunquam li-
cet occidere furem qui præcise fur est, &
non siccarius, raptor fortunæ, & non ag-
gressor vitæ. Hactenus lex Mosaïca, quid
jubeat lex Evangelica videamus.

Christus jubet deserri tunicam & pallium
his verbis: *Qui vult tecum iudicio conten-
dere, & tunicam tuam tollere dimitte ei
pallium.* Math. §. v. 4. Paulus verò vult
damnum aliquod injustum tolerari, potius
quam litigare, quæ incruenta est contentio;
ergo & Christus & Paulus volunt res istas
temporales deserri, potius quam interfici à nobis hominem ad Dei effigiem effor-
matum & ex eodem nobiscum sanguine ortum.

2°. Ex D. Raymundo lib. 2. tit. 1. §. 3.
De homicidio ubi ostendit furem licet occi-
di non posse nisi ad liberandum se suaque
his verbis. *Qui percuit necessitate, est-ne ho-
mida... Distingue, quia, aut illa necessitas
fuit evitabilis, poterat enim evadere absque occi-*

cione, & tunc est reus homicidii, & tamquam pro mortali debet agere pénitentiam; aut siuit inevitabilis quia occidit hominem sine odii meditatione, immo cum dolore animi E T S E E T S V A Liberando, cum alius non posset evadere, dicitur non peccare; nec astringitur ad pénitentiam, nisi ad cautelam, & propter ambiguum duplicitatis quia scilicet potest timere ne in aliquo excesserit, interiorem tamen pénitentiam dicit semper habere, & quasi suis peccatis ascribere, quia in tantam potuit venire necessitatem; bonarum enim mentium isti ibi culpam agnoscere ubi culpa non est.

3^o. Ex Alexand. Alensi 3 part. q. 34. art. 2. §. 2. in fine ubi sic habet. *Ad utrum verò argumentum dicendum, quod in necessitate pro iuendis temporalibus quamvis concedatur lege humana interfiscere furam, non tam lege divinā, quae distinguit inter diurnum furam & nocturnum; nocturnus verò, quia non potest discerni utrum causā furandi, vel occidendi venerit: permittitur occidi à quolibet: diurnus verò non.*

4^o. Ex Alexandro Papa 3. C. suscepimus de homicido ubi sic habet *Verū quoniam expediebat potius post tunicam reinqüere palium & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vīlibus rebus & transitoris, tam acriter in alios exardescere: abstineat humiliiter ab altaris ministerio & uteisque: Scilicet & ille qui ligaverat, & ille qui interficerat latrones nocturnos qui volebant ipsi vestes eripere: uteisque, inquam, peccatum suum ad arbitrium tuum studeat expiare. Et ne quis existimaret forte voces istas. Expediebat, stu-*

deat, importare merum consilium non rigidum præceptum, ideo glossa addit ibidem. Pro omissione verum temporalium nullus debet homicidium incurere.

5°. Ex Innocen. Papa 4. in C. Si vero, de fententia excommunicationis ubi sic habet. Si hic timore, ne occidatur, alium occidat, non incidit in Canonem, licet sit irregularis; sed si pro REBUS, occideret, secus; quia tunc excederet modum. Ergo qui pro conservandis rebus suis occidit, incidit in excommunicationem; ergo peccat mortaliter, quia excommunicatione sine peccato mortali non incurritur.

6°. Ex Doctoribus Canonicis in C. Inter fecisti, de homicidio voluntario ubi passim advertunt non excusari ab homicidio eum qui præcisè pro rebus suis defendendis occiderit quia textus habet TE TUAQUE LIBERANDO, Panormitanus enim sic habet: Singulariter textus ibi te tuaque liberanda: quod tunc quis excusat ab occidente juris etiam nocturni, quando facit ut liberaret se & sua; ergo pro rebus tantum liberandis non licet occidere furem etiam nocturnum: nam ista ponuntur hic copulativè; non sufficit ergo altera pars. Fagnanus in eundem textum sic habet. Hæc verba, TE TUAQUE, accipienda sunt conjunctivè ita ut pro salvandis rebus tantum non liceat occidere.

7°. Ex Doctoribus juris civilis qui passim homicidium prohibent pro defendendis solis rebus, permittunt vero pro defendenda vita: sion enim habetur lib. ff. 48. tit. 8. l. 9. Furem nocturnum si quis occiderit ita demum

impunè feret, si parcere ei sine periculo suo non posuit. Quam legem sic interpretatur Cujacius ad l. 3. de just & jure. Nominatim, inquit, ea lege ait, furem nocturnum non posse occidi, nisi extremo viæ periculo, id est, cum quis eum servare non potest quin perdat se: Et ibidem, licet repellere eum qui venit feriendi, non occidendi causâ quod ex genere tels cognoscitur. SED NON LICET OCCIDERE. Et eodem modo licet repellere cum qui venit eripiendæ possessionis gratiâ; SED NON LICET OCCIDERE.

8°. Ex Clero Gallicano art. 7. ubi datur sequens propositio. Non solum vitam sed etiam bona temporalia quorum jaætura esset damnum gravissimum licitum est deffensione occasivâ deffendere... Fatemur rarius esse licitum Ecclesiasticis... Si tamen aliquando futurum contingat tale malum, id est gravissimum damnum etiam ipsis licitum erit bona ista cum occisione furis deffendere.

9°. Ratione. Non licet occidere nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ, atqui qui occidit pro conservandis tantum bonis temporalibus non servat moderamen inculpatæ tutelæ, quia pro solo bono temporali aufert vitam quibuscumque bonis temporalibus præstantiorem ergo, &c.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Rei sunt homicidii, qui occidunt furem, vel nocturnum, vel diurnum, cum capi potest, & detinet; quia tunc non est periculum vitæ, immo que regum.

CONSECTARIUM II. Rei sunt homicidii qui occidunt furem fugientem cum rebus ablatis, et si nulla afflgeat spes recuperandi res ablatas; quia tunc vita crepta proximo ad nihil inseruit bonis temporalibus, aut conservandis, aut recuperandis.

CONSECTARIUM III. Rei sunt quoque homicidii qui occidunt furem cum rebus ablatis fugientem; tunc quidem dubium est, an per mortem furis res ablatae possint recuperari; sed in talis dubio stare debemus potius pro conservanda vita, quam pro conservandis bonis.

MONITUM. Nota tamen, quod juxta graves autores occidere liceat injustum bonorum nostrorum raptorem; quando illa bona talia sunt, ut ex ipsis vita, status & conservatio & sustentatio pendeat; & quando servatur moderamen in culpa tutelae.

Sed non video quo pacto haec cohærent. 1°. Cum lege naturali que horrorem sanctum inspirat contra eos omnes, qui privat auctoritate humana sanguinem effundunt. 2°. Cum lege civili, que licet homicidium pro defendenda propriâ vitâ; non sine certis conditionibus permittat; numquam vero pro defendendis solis bonis temporalibus licitam habet hominum cædem. 3°. Cum lege divina Mosaicâ que jubet ut homines non modò ut homines nobis similes inspiciamus; sed tamquam veras Dei quem colimus imagines; adeoque cædem hominis sine iustitia, aut permisso divino perempti, non ut homicidium modò; sed ut sacrilegium deputemus. 4°. Cum lege divina

Evangelicā, quae jubet ut caduca istius mundi bona, non modò tueamur cum periculo vitæ proximi; sed etiam ea ultrò deseramus, si aliter quam cum contentione & animi amaritudine defendi nequeant. Deum cum lege Ecclesiæ; casta enim illa divini filii sponsa ex quo Deus hominibus factus est homo tanti habet hominum vitam ut homicidium quo perimitur, uti maximum in Deum scelus maximis semper pœnis afficerit, ut cerni potest apud Basilium, Gregorium Nicenum, & in summorum Ponificum decretis.

ARTICULUS III.

Si ergo quando liceat privata auctoritate pro defendendo honore iniquum honoris nostri aggressorem occidere.

PEcant peccato homicidii, qui pro defendendo honore hominem occidunt.

Probatur 1º. Scripturā dicit generaliter: *Non occides*, exceptis his, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons justitiae Deus specialiter occidi jubet, inquit Aug. lib. 1. de civit. Dei cap. 21. eadem Scriptura dicit: *Diligite inimicos vestros. benefacite his, qui oderunt vos, orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Math. 5. *Ego autem dico vobis non resistere malo, &c.* Quæ certè nullatenus possunt concordare cum eà vindicandi se libidine, quâ vitam proximis profili honore eripimus.

2º. Ex Hieron. contrà Rufi. lib. 3. Magis

accusari volo, quām accusare, & pati injuriam, quām facere, sciens præceptum ab Apostolo, non vosmetipos ulciscenies charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim mihi vindicta, & ego retribuam: Ergo si Hieronymus injustis calumniis laceratus, illicitum credidit accusare accusatorem, à fortiori credidit illicitum eum occidere.

3°. Ratione. Nullus est casus, in quo qui lèdit honorem, talem vim inferat, ut licet eum per vim mortem inferentem repellere; exceditur enim moderamen inculpatæ tutelæ, si vitam eripiamus, dum vita non impetratur.

Adde quodd honor potest aliter defendi, quām per occisionem inhonorablem; nam juxta Script. non vitio, sed virtute vera gloria obtinetur. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio ignominia. Prov. 3. v. 25. Posside sapientiam... Et glorificaberis ab eâ. Prov. 4. demum juxta Paulum ad Rom. 2 v. 10. Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.

Demum per occisionem inhonorablem non recuperatur honor, nisi forte apud carnalés & mundanos, qui nesciunt, in quo verus honor consistat, apud quos satius est vituperari, quām laudari, juxta illud Pauli: Mibi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Et juxta illud Aug. Qui laudari vult ab hominibus vituperante, non defendetur ab hominibus te judicante, nec eripetur damnante te. lib. 10. Conf. cap. 36.

6°. Ex propositionibus damnatis sequen-

tes propositiones & à summis pontificibus & à Clero Gallicano i. *Est licitum Religioso, vel clero calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere videtur, si calumniator si paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta crima impingere, nisi occidatur.*

Fas est vero honorato occidere invasorem, qui nuditur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuisse percutiat, & post impactum alapam, vel ictum fuisse, fugiat.

Consecaria bujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Non licet occidere eum, qui te verbis contumeliosis afficeret, qui tibi contumeliosè diceret, menditris.

CONSECTARIUM II. Non licet occidere eum, qui vel verum crimen tuum occultum panderet, vel falsum tibi imponeret.

CONSECTARIUM III. Non licet, nequè in se, nequè in alio abortum proclucare, sive ante sicutus animationem, sive post, ad virilans infamiam. De restitutione ob homicidium dicemus, ubi de restitu-

CONSECTARIUM IV. Videtur non licitum esse occidere violentum stupratorem, quia pudicitia, ut potè virtus mentis, potè

262 MORALIS CHRISTIANA
test etiam violato corpore integra permanere; & quia honor pudicitiae ex violentia oppressione apud eruditos homines non cripatur, sed intemeratus manet.

CAPUT IV.

De Duello.

ARTICULUS I.

Quid sit, & an licitum sit duellum.

DUELLUM, ut vox sonat, est pugna duorum; sed ex usu duellum est pugna duorum, vel plurium.

Duellum aliud fit autoritate publica, aliud autoritate privatâ. Duellum autoritate publicâ est pugna duorum, vel plurium inita autoritate regis, vel reipublicæ jus habentis bellum gerere; tale fuit duellum inter David & Goliath. Duellum autoritate privatâ est pugna inter privatas personas ex condicto inita, alterâ indicante, alterâ acceptante.

Duellum autoritate privatâ aliud est initum sine armis, aliud cum armis.

Duellum initum sine armis est quidem peccatum; quia nulli licet privatâ autoritate pugnare, sed illud duellum non subjicitur excommunicationi.

Duellum initum cum armis est peccatum mortale, & excommunicationi subjectum, & de hoc duello hic agitur.

PROOSORIO I. Duellum privatâ au-

otitate initum, est de se peccatum mortale, & excommunicationi subjicit. 1º. Duellantes. 2º. Patrios. 3º. Inspectores. 4º. Sudentes. 5º. Principes non prohibentes.

Probatur 1º. Scripturā dicit generaliter; *Non occides*, quo loco omnino interdicitur, quidquid vel ad propriam, vel ad proximi necem potest conducere, uti facit duellum.

2º. Ex Triden. ses. 25. cap. 19. Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruentā corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur.... Et ibidem prædicti omnes excommunicantur, & morientes in actuali conflictu sepulturā priyantur, quæ omnia probant duellum esse peccatum mortale.

3º. In duello semp̄ adest intentio occidendi, aut graviter vulnerandi, quæ intentio est de se peccatum mortale; ergo & duellum.

4º. Quiā sequens propositio damnata est, ab Alexan. 7. Propor. 2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurat.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Illicitum est duellum initum ulciscendæ injuriæ causâ; quiā privatus homo, quantumvis injuste laceratus, non debet sumere vindictam, sed eam coram superiore exigere: *Vindicta mihi* &

*ego retribuam, scilicet per me, vel per mis-
gistratus.*

CONSECTARIUM II. Illicitum est duellum initum propulsandæ calumniaæ cau-
sâ ; quia aliae sunt viæ , quibus calumnia
repelli potest.

CONSECTARIUM III. Illicitum est duellum initum vel ad ostendendas vires ,
vel ad declarandam suam in armis tractandis
industriam , vel ad terminandam litem , si-
vè civilem , sive capitalem . Sunt enim alia
adminicula , quibus & vires , & in armis so-
lertia declarari potest , & suppetunt aliæ ra-
tiones , quibus lites , qualescumque sint , ter-
minari valeant.

CONSECTARIUM IV. Illicitum est duellum initum ad declarandam veritatem ;
quia hâc in re continetur aperta tentatio
Dei , ut respondit Nicolaüs 1º. Can. Monoma-
chiam.

CONSECTARIUM V. Illicitum est duél-
lum , quo milites in bello hostes ad singu-
lare certamen provocant , si id faciant , vel
sinè iuslū regis , vel cum id faciunt permis-
su ducum , si privatas simultates causæ publi-
cæ intermisceant ; quia non licet in bel-
lo occidere , nisi secundum justa præscrip-
ta imperatoris.

Ad disfluadendum à duello , juvat afferre
verba Hieron. Osorii Episcopi Silvensis.
lib. 4. de gloria. *Duellantur non fortes , sed
furiosi ; non honesti , sed ignavi ; non illustres
& ampli , sed humiles & obscuri estimandi
sunt. Quid enim habet turbulentum illud dis-
fidium ? cum sit illud ipsum , quod impuris &
besillis*

bellis immaterialibus concedi potest; sed ves-
timentum illam mundani honoris libidinem uno ver-
bo scriptura extinguit: Dilexerunt gloriam
hominum magis, quam gloriam Dei.

CAPUT VII.

De Bello.

ARTICULUS I.

Quid sit & an licitum sit bellum.

BELLUM est certamen initum inter perso-
nas, nullum agnoscentes superiorem tem-
poralem: qualis est Imperator, Rex, Prin-
ceps, Respublica.

Bellum potest considerari prout indicitur
ab Imperatore, à Rege, à Principe; & pro-
ut exercetur à ducibus, & militibus, & ex-
aminari potest utrum bellum ex se licitum, vel
illicitum sit.

PROPOSITIO unica. Bellum non est
illicitum, nec in Rege qui indicit, nec in
ducibus vel militibus qui illud exercent, sed
potest esse sanctum, si fiat cum debitissimi
cuncti.

Probatur 1°. Script. Deus nedium permisit,
sed etiam iussit Iudeis bellum contrà hostes
suos gerere; ideoque saepius se Dominus
exercituum nuncupat. Abraham iussu Dei
bellum gessit, & Lotus ab hostibus liberavit.
Moyses, Josué, Gedeon bella gesserunt. De
quibus Paulus ita loquitur: Sancti per fidem
vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, cas-

tra virterunt exterorum, ad Hebr. II. & Ioanre. Baptista prædicans non præcipit militibus belli exercitum abjecere, sed solum ait: *Neminem concutatis, neque calumniam facias, & contenti esto te stipendiis vestris.* Math. 2. Ergo bellum non est illicitum ex se.

2°. Ex Basilio, Can. 13. *Cædes in bellis factas patres pro cædibus non reputant, & Aug. Epis. ad Marcellin. Christiana disciplina, quibus proprium stipendum sufficere debere præcipit, militare utique non prohibuit.*

3°. Ratione. Supremi Principes, quales sunt Reges & Republicæ, nullum habentes temporalem judicem; non possunt jus suum coram aliquo sibi superiore prosequi! Ergo restat, ut jus suum armis & bello dirimant, & quia non possunt per se metipso bellum gerere; ergo debent uti ducibus & militibus; ergo bellum ex se non est illicitum, nec in eo qui indicit, nec in eo qui exercet.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Quicumque nullum agnoscit superiorem temporalem qualis est Imperator, Rex, Princeps, quædam Republicæ v. g. Venetorum, Genuensium, &c. Licitè potest bellum gerere ut sibi jus debitum exigat, cum illud nequeat coram sibi superiore prosequi; non enim, inquit Paulus ad Rom. 13. *Sine causa gladium portant.* Si cùi enim gladio justitiae tacentur licitè rem publicam contra interiores perturbatores dum malefactores puniunt; ita etiam gladio bel-

lico licetè eam tueruntur ab exterioribus hosti-
bus. Unde principibus dicitur Psal. 81. Erige-
rite pauperem, & egenum de manu peccatoris
liberate, Ideo Aug. contra Faustum lib. 22.
cap. 75. dicit. Ordo naturalis mortalium paci
accommodatus hoc poscit ut suscipiendi belli
auctoritas atque consilium penes principes sit.
Ergo qui nullum agnoscit superiorum habet
jus bellum indicendi.

C O N S E C T A R I U M . II. Privatus quilibet,
cui ex statu suo non interdicitur armorum
exercitium, potest licetè sub suo Principe
bellum exercere, modò bellum injustitiam
manifestam non contineat. Est enim minis-
ter Regis bello jura sibi debita exigentis.
Immo in dubio an bellum sit justum potest
licetè subditus sub suo Principe bellare, ut
docet Aug. lib. contra Faustum cap. 74 & 75.
Ergo vir justus, si forte sub Rege homine etiam
sacrilego militet, recte potest illo jubente bel-
lare, si vice pacis ordinem servans, quad sebo
jubetur; vel non esse contra Dei praeceptum
certum est, vel, utrum sit, certum non est:
Ita ut fortasse reum faciat Regem iniqutus im-
perandi: Innocentem autem militem ostendit
ordo serviendi. Excusatur enim subditus in
bello de quo nescit an sit justum; ratione
obedientiae: sicut etiam excusatur minister
judicis occidens damnatum per sententiam, si
non contineat errorem manifestum.

Sic subditi in dubio an bellum sit justum
nec ne, non tenentur examinare jura sui
Principis, sed tenentur obedire.

Sic etiam milites mercenarii qui sub con-
tinuis stipendiis Regis alicujus degunt, tam

pacis quam belli tempore non tenentur pariter examinare jus belli; quia tamquam subditi habendi sunt. Alii vero conducti milites qui auditio belli nomine locant se, tenentur examinare justitiam belli ne exponant se periculo cooperandi actioni injuste.

Constat ergo ex dictis quod in eo qui bellum indicit debeat esse legitima autoritas in eo qui exequitur rationalis obedientia, sed plura adhuc requiruntur de quibus modo.

ARTICULUS II.

Quæ causæ requirantur in eo qui bellum indicit.

PROPOSITIO unica. Toties qui habent autoritatem supremam possunt bellum indicere quoties eis denegatur quod eis ex jure debitum est.

Probatur 1º. Script. Si civitas, in quam ex jure bellare poteris, Fædus inire noluerit, & cœperit contrâ-te bellum, oppugnabis eam. Deut cap. 20. v. 12. Ergo quoties hostes denegant, quod ab eis jure exigitur, possunt principes, in eos justè bella gerere.

2º. Ex Aug. Bella iusta definiri solent, que nloiscentur injurias. Si quia gens, vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est, lib. 6. quest. in Josuè q. x. & habetur Can. Dominus noster.

3º. Ratione. Sicuti homo privatus potest jure coram judge litigare, cum ei denegatur quod ei debitum est; ita & princeps bellum

poteſt gerere, cum ei denegatur quod debi-
tum eſt.

Conſectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Licitum eſt bel-
lum gerere ob ulciscendam injuriam injus-
tè illatam, quia injuriarum ultio eſt actus
justitiae vindicatiæ. Tale fuit bellum om-
nium Tribuum contrà Tribum Benjamin, eo
quod Tribus Benjamin renuiſſet debitum pœniſ
afficerē incolas Gabaa, qui uxorem Levitæ
violenter oppreſſerant, & nefandâ libidine occi-
ciderant Jud. cap. 19.

C O N S E C T A R I U M II. Bellare licet ad
recuperanda jura debita vel Regi, vel Rei-
publicæ, nihil enim æquius quam ut quili-
bet exigat quod ei debitum eſt. Tale fuit
bellum initum à Judæis, ut terram sibi pro-
missam à Deo ingrederentur.

C O N S E C T A R I U M III. Licitum potest
eſſe bellum ob ulciscendam injuriam legatis
injustè illatam. Rex enim offenditur cum
eius legati injuriosè tractantur. Tale fuit
bellum initum contra Ammonitis, qui lega-
tos David injuriosè exceperant, radendo ſci-
licet dimidiā partem barbæ, & præſcin-
dendo veftes eorum medias uſque ad nates.
lib. 2. Reg. cap. 10.

C O N S E C T A R I U M IV. Justum eſt bel-
lum initum ob reprimendam ſeditionem,
justum enim eſt rebellantes puniri. Tale fuit
bellum David contrà Absalonem. 2. Reg.
cap. 18.

C O N S E C T A R I U M V. Permititur bel-
lum initum ob

270. MORALIS CHRISTIANA.
lum ob negatum iustè tributum. Promis-
sa quippe tributa etiam hostibus solvenda
sunt. Tale fuit bellum Salmanasar contra
Oseem. 4. Reg. cap. 17.

C O N S E C T A R I U M VI. Legitimum est
bellum susceptum ob defensionem fœderato-
rum; Debemus enim ex iustitia fœderatos po-
pulos contra eorum hostes tueri. Tale fuit
bellum susceptum à Josué pro Gabaonitis.
Jos. x.

C O N S E C T A R I U M VII. Justè suscipi-
tur bellum contrà eos qui transitum dene-
gant copiis, quando ex illo transitu nullum
timetur detrimentum, quia tunc denegatur
injuriousè innoxius transitus. Tale fuit bel-
lum susceptum iussu Domini contrà Amalec,
qui suaditus deletus est, eo quod restitisset
Israëlicum ascenderet de Ægypto. 1. Reg. 15,

ARTICULUS III.

Quæ requirantur ut bellum sit licitum.

P R O P O S I T I O unica. Ut bellum sit li-
citum debet esse iustum, non modo ex
causa, sed etiam ex circunstantiis.

Probatur. 1°. Script. Abram, Moyses,
Josué, David, multa bella gesserunt sed
semper vel ad obediendum Deo, vel ad re-
cuprandam terram sibi à Deo promissam vel
ad defendendos socios, vel repellendas inju-
rias publicas & alia hujusmodi. Ergo signum
est bellum non censi iustum apud Deum
nisi fiat ex justa causa, & legitimis circunstan-
tibus vestiatur.

2^o. EX D. Raymundo lib. 2. de raptoribus §. 17. ubi sic habet, *Nota quodd quinque exigitur ad hoc ut bellum sit justum, scilicet persona, res, causa, animus, & autoritas.* Persona, ut sit sacerdotalis cui licet fundere sanguinem, non autem Ecclesiastica cui est prohibitum. Res, ut sit pro rebus repetendis & pro defensione patriæ. Causa, si propter necessitatem pugnatur, ut per pugnam pax acquiratur. Animus, ut non fiat propter odium, vel ultionem, vel cupiditatem, sed propter pietatem, iustitiam, & obedientiam. Autoritas, ut sit auctoritate Ecclesiae, praesertim cum pugnatur pro fide, vel auctoritate Principis. Cum pugnatur pro rebus temporalibus, tunc enim sufficit sola auctoritas Principis. *Si aliquid illorum defuerit, bellum dicitur injustum:* Ergo bellum debet esse justum ex causa & ex circumstantiis.

3^o. Ratione. Bonum morale ex integrâ causâ exsurgit; ergo ut bellum sit licitum, debet esse justum: non tantum ex causâ, sed etiam ex circumstantiis.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Bellum est injustum ex persona, quoties Clerici extra inevitabilem necessitatem coguntur arma movere, vel ipsi sponte arma suscipiunt ut pater Caus. 23 q. 8. Petro enim & simul omni Clerico dictum est: *Converte gladium tuum in vaginam.* omnis enim qui gladium acceperit, gladio peribit. Math. 26. ut enim optimè monet Amb. Can. Pila. Dolor, fletus, lacryma munimenta.

272 **MORALIS CHRISTIANA**
sunt Sacerdotis. In necessitate tamen potest
Clericus pro salute tum sua, tum populi bel-
lum gerere.

CONSECTARIUM II. Bellum est in-
justum ex rebus, si suscipiatur non pro jure
suo conservando, sed pro usurpando alieno,
ita habetur c. 23. q. 2. *justum est bellum quod*
ex edicto geritur de rebus repetendis, aut pro-
propulsandorum hostium causâ, & Ambros. lib. I.
de officiis cap. 27. Fortitudo quæ vel in bello
zuetur à barbaris patriam, vel domi defendit
infimos, vel à latronibus socios; plena justi-
tiae est.

CONSECTARIUM III. Bellum est in-
justum ex *causa*, quando fit extra necessita-
tem & sine pacis desiderio, de quo ita Aug.
Epis. ad Bonif. 207. quem ad sanctè bellan-
dum his verbis instituit: *Pacem habere debet*
voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à
necessitate, & conservet in pace: Non enim
pax queritur, ut bellum excitetur sed bellum
geritur ut pax acquiratur.

CONSECTARIUM IV. Bellum est in-
justum ex *animo*, quando fit alio motivo
quam *justitiae*, de quo ita Aug. contra Faustum
lib. 22. cap. 74. & 75. *Quid culpatur in*
*bello? An, quia moriuntur quandoque moriu-
ri, ut dominentur in pace vittari? Hoc repre-
hendere timidorum est, non Religiosorum No-
cendi cupiditas, ulcisciendi crudelitas, impa-
cetus atque implacabilis animus, feritas rebel-
landi, libido dominandi, & si qua alia simi-
lia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.*

CONSECTARIUM V. Injustum est bel-
lum ex defectu *autoritatis*, quando scilicet

privati homines bellum inter se gerunt; possunt enim ius suum coram superiore persequi, & quia ad eos non pertinet convocare multitudinem quæ ad bellum necessaria est.

Ita D. Thom. 2. 2. q. 40. a. 1.

CONSENTARIUM VI. Injustum est etiam bellum ex variis circumstantiis.

1º. Ex personis, ut si rex cogat ad bellum personas non sibi subditas.

2º. Ex loco, ut si bellum fiat in terris populorum innocentium qui nullam causam bello dederant, de quo ita Aug. inferre bella finitimus, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, & subdere quid aliud est quam grande latrocinium nominandum lib. 4. de civ.

3º. Ex tempore, ut si bellum fiat diebus festis citra necessitatem, de quo ita D. Thom.

2. 2. q. 40. a. 6. Pro tuitione reipublicæ fiduum, licitum est justa bella exercere diebus festis: si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis imminentे tali necessitate vellet à bello abstinere; sed necessitate cessante, non est licitum bellare diebus festis.

4º. Ex mediis jure belli prohibitis, v. g. si non modo occultentur insidiæ, sed etiam fœdera non ferventur, & iura gentium pervertantur. Fides enim quando promittitur, etiam hosti servanda est contra quem bellum geritur, inquit Aug. Epis. ad Bonif. 207.

5º. Ex pertinaciâ ut si oblatæ satisfactio- nes repudientur; siquidem ut optimè monet Cajet. sicuti privati homines litigantes non possunt recusare oblatam satisfactionem ita.

nec principes bellum inter se gerentes circa quod ita monet Aug. Bonifacium Epis. 207. *Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnabis, ad pacis uilitatem vincendo perducas.*

6°. Ex stragibus excēdētibus, ut si partā jam victoriā occidantur indiscriminatim & rei & innocentes, etiam cum nullum subest periculum rebellionis tunc, enim parcendum est multitudini, & ad summū salvandum in capita. Ideo Ambt. Theodosio Imperatori ingressum Ecclesiæ interdixit, quia in bello absque periculo rebellionis integrā gentem deleverat. Innocentes autem sunt in duplice differentia; alii sunt innocentes ex jure naturæ, ut pueri, senes, mulieres, demum omnes qui nec manu, nec consilio bello gerendo possunt cooperari, alii ex præsumptione ut Rustici, Clerici, Religiosi, qui ex eorum statu præsumuntur bello non cooperari: æquitas postulat ut hi omnes eximantur à cæde nisi certò sciatur eos ad bellum concurrisse, vel timeatur futurum ut concurrant, quod confirmat Aug. Epist. ad Bonif. 207. *Itaque hostem pugnantem necessitas permittat, non voluntas. Sicut rebellanti, & resistenti violentia redditur; ita victo vel captivo misericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatione non timetur.*

CAPUT VIII.

De spirituali homicidio seu de scandalis.

ARTICULUS I.

Quid & quotplex scandalum.

Scandalum est dictum, vel factum, vel
omissum, minus rectum, praebens alicui
occasione peccandi & ruinæ spiritualis.
Quippe sicut in via corporali obex, cui im-
pingimus & praebens occasionem lapsus, di-
citur scandalum; ita in via spirituali actio mi-
nus recta, praebens occasionem ruinæ, dici-
tur scandalum ex quo patet, quod peccata
merè interna non possunt habere rationem
scandali; patet etiam, quod actio minus rec-
ta, habens speciem mali, potest esse scan-
dalum. ideò dicit Paulus i. Thess. c. 5. v. 22.
Ab omni specie mali abstinetе vos. Sed ut ac-
tio minus recta sit scandalum, non est ne-
cessere, quod sit publica coram omnibus fac-
ta, sed sufficit, quod sit externa coram ali-
quibus facta.

Scandalum, aliud est activum, aliud pas-
sivum. Activum est actio minus recta, quā
inducimus proximum ad peccandum; talis
est injusta rapina facta coram proximo.

Passivum est occasio, quam quis sumit ex
actione alterius; tale est peccatum, in quod
abitur persona scandalum patiens.

Activum scandalum, aliud est per se, aliud
per accidens.

Scandalum activum per se est, ut loquitur D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4. Quando aliquis suo inordinato dicto vel facto intendit alium trahere ad peccandum, scilicet intentione vel expressâ, vel interpretativâ... Expressâ, ut quando quis sollicitat alium ad peccatum.... Interpretativâ, ut quando facit aliquid, quod potest per se trahere ad peccatum, v. g. furatur, mœchatur, & blasphematur coram proximo.

Scandalum activum per accidens est, quando non intenditur ruina proximi; sed tantum queritur delectatio in dicto, vel facto minus recto, v. g. cum quis facit aliquid, quod vel est malum, vel habet speciem malitiae, querens non ruinam proximi, sed delectationem, quam reperit in eo, quod operatur.

ARTICULUS II.

Quale peccatum sit scandalum, & quibus in casibus interveniat scandalum.

PROPOSITIO unica. Scandalum activum est peccatum mortale, tanto gravius, quanto gravius est peccatum, in quo cadunt scandalisati.

Probatur 1^o. Scripturâ. *Vie mundo à scandalis.* Math. 18. v. 7. Maledictio autem non datur, nisi peccato mortali.

Probatur 2^o. Ex D. Thom. Si vero scandalum activum sit per se, puta cum intendit inducere alium ad peccandum; si quidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, est peccatum

peccatum mortale, & similiter si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale 2. 2.

q. 43. a. 4.

3^o. Ex D. Bernard. Num tibi videtur gravorem Christus sustinere persecutionem, qui suggestione mala, exemplo perniciose, scandalis occasione ab eo pervertit animas, quis redemit, quam à Iudeo, qui sanguinem illum fudit. Serm. 1. in converso Pauli: ergo cum scandalum sit in aliquo majus peccatum, quam actio crucifigentium Christum; scandalum debet esse peccatum mortale.

4^o. Ratione. Prima Ratio. Per scandalum datur fratri occasio ruinæ; cum tamen fratris salutem debeamus maximè curare, ergo, &c.

Secunda Ratio. Peccat mortaliter, qui omittit correctionem fraternalm in certis casibus: ergo à fortiori peccat mortaliter, qui est fratri occasio peccandi mortaliter.

Conjectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Omnis actio vel omissione minus recta, quæ verè est, vel probabiliter censetur esse occasio ruinæ proximi, est peccatum scandali, etiam si agens non expressè intendat illam ruinam, modò intendat interpretativè. Quia talis actio vel omissione habet omnia requisita ad scandalum: Ita D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4. Dicitum vel factum alterius potest esse alteri causa peccandi uno modo per se, alio modo per accidens: per se quidem quando aliquis suo malo verba

vel factō intendit alium ad peccandum inducere, vel etiam si ipse hoc non intendat, & ipsum factum est tate, quod de sui ratione habet quod sit inducīvum ad peccatum, putā cum aliquis publicē facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati.

Sic juxta S. Antoninum; Si mulier sciens certè, vel probabiliter dubitans aliquem trahi ad concupiscentiam sui extra matrimonium, nibil hoc curans, se videndam exponeret: ut laudaretur de pulchritudine, mortale esset: Secūs autem, si hoc non estimaret, vel non posset commodè dimittere ea loca, in quibus videtur ab his, qui contra ejus voluntatem eam concupiscunt.

Sic juxta eundem Sanctum. Peccat mortaliter ille, qui habet nimiam familiaritatem cum aliqua persona suspecta, & sentit homines scandalisari, nefaria judicando & loquendo, nec vult dimittere, non curans, quod alii scandalisentur.

Sic juxta eundem: peccaret mortaliter, qui verba proferret luxuriosa vel blasphematoria, juxta illud Ecclis. 23. v. 8. Superbus & maledicus scandalisabitur in illis. Quibus omnibus optimè convenit istud Pauli 1. Cor. 10. v. 32. *Sine offensione estote Iudeis & gentibus & Ecclesiae Dei.*

C O N S E C T A R I U M I I. Facere ceteris aliis aliquid, quod non est malum, sed habet tantum speciem mali, est peccatum scandali. Quod si urgeat necessitas rem talem faciendi, debent adstantes præmoneri de honestate rei faciendæ & de motivo propter quod sit; quia omnia licent, sed non omnia

expediunt; sic quamvis licitum esset edere Idolothyra, videte tamen, inquietabat Paulus 1. Cor. 8. v. 9. ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis, & D Tho. 2. 2. q. 43. Adiuvm scandalum semper peccatum est in eo, qui scandalizat; quia vel ipsum opus quod facit est peccatum, vel etiam si habeat speciem peccati, dimittendum est semper propter proximi charitatem; ex qua unusquisque tenetur saluti proximi providere. Sic manducans carnes die prohibitâ, etiam cum licentiâ, pallam id faciens, peccat, si non præmoneat adstantes, ut non scandalizentur, juxta illud Pauli; 1. Cor. 8. v. 13. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum.

CONSECTARIUM III Peccant peccato scandali, qui absque necessitate utuntur vestibus alterius sexus, juxta illud Deut. 22. v. 5. Non induetur mulier ueste virili, nec vir uetur ueste fæminea; abominabilis enim apud Deum est qui facit hoc. Et Ambros. Epis. 69. ad Irenæum dicit; quod ilud peccatum abhorret natura: *cur mentiris fæminam, vel tu fæmina virum; suis unum quemque sexum induit natura indumentis. Mendacium, & in verbo turpe est, & in habitu.* Et D. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 3. ait: *Cultus exterior debet competere conditioni personæ secundum communem consuetudinem; & ideo de se vitiosum est, quod mulier utatur ueste virili; aut è converso, & hoc præcipue, quia hoc potest esse causa lasciviae, & hoc specialiter prohibetur in lege.* Deut. 22. *Quia gentiles tal mutatione habitus utebantur ad idolo-*

batriæ superstitionem. Potest iamen quandoque id fieri sine peccato propter a'iquam necessitatem, vel causâ se occultandi ab hostibus, propter defectum alterius vestimenti, ut propter aliquid hujusmodi.

C O N S E C T A R I U M IV. Rei scandali sunt, qui latvati incedunt, etiam si non utantur veste alterius sexus. Illud colligitur ex istis Joannis Chrysost. verbis homi. 38. in Math. Quis est ille theatralium hominum adeo magnus sonitus? quis tantus tumultus? quis Diabolici clamores? quis vestitus Satanicus? alius cum adolescens sit, comam ponè reductam habet, & naturam aspectu, vestitu, incessu, saepe risque hujusmodi effaminando ad teneriusculæ imaginem puellæ deducere contendit: aliis è contrà cum sit senex, novacula pilos & pudorem omnem abrasus, cinctus assistens ad discordum & faciendum omnia paratus est.

C O N S E C T A R I U M V. Peccant peccato scandali mulieres, quæ ornant se ea intentione, ut alios ad amorem excitent; quia ex pravâ suâ intentione sunt aliis occasio peccandi, juxta illud Script. Prov. 7. v. 10. *Ecce mulier occurrit illi ornata meretricio preparata ad capiendas animas.* Quod peccatum quam grave sit, docet Petrus his verbis: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdacio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* 1. Pet. 3. v. 3. Et Paulus: *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* 1. Tim. 2. v. 9. Et Chrysost. *Si qua vero mulier ideo ornatur & comitur, ut in se oculos omnium irri-*

tet; etiam si nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia. Paravit quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum; etiam si nullus, qui biberet, inventus est. Hom. 17. in Math. Docet idem Tertullianus lib. de cultu fœminarum cap. 2. Christianæ pudicæ, inquit, appetitionem sui, non tantum non appetendam, sed etiam execrandam vobis sciatis: Primo quod non de integrâ conscientiâ venit studium placendi per decorum, quem naturaliter scimus invitatorem libidinis. Quid igitur excitas in te malum istud? quid invites? cuius te profiteris extraneam eum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ non numquam instando peccatum perficiunt; certè vel spiritum scandalo permovent.

CONSECTARIUM VI. Peccant peccato scandali mulieres, quæ collum, pectus, brachiavè nudant, & ita compositæ in publicum prodeunt; hujusmodi enim nuditate præbent viris occasionem peccandi. Ideò ait Tertull lib. de Velandis Virg. c. 16. Ora te, sive mater, sive soror, sive filia virgo Vela caput; si mater, propter filios; si soror, propter fratres; si filia, propter patres. Omnes in te aetas periclitantur. Indue armaturam pudoris: circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, quin nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Et Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 2. Neque verò permittendum est mulieribus ut coram viris appareant aliquid corporis denudantes, ne ambo prolabantur; hi quidem, ut quis ad videndum incitentur; illæ verò, ut quæ in se virorum intuitum attrahant. Unde plures Synodi jubent tales mu-

CONSECTARIUM VII. Peccant pecca-
to scandali mulieres, quæ fucis vultum adul-
terant, capillos tingunt, &c. Quia per hoc
sunt occasio peccandi aliis, &, ut disserit
probat Tertull. Diabolum imitantur, cujus
est se transfigurare in diversas formas; de-
quo ita ait D. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. Mu-
llerum fucatio est quedam species fictionis, qua
Non potest esse sine peccato. Non semper tamen
talis fucatio est cum peccato mortali; sed so-
rum, quando fit propter lasciviam, vel in Dei
contemptum, in quibus casibus loquitur Sanc-
tus Cypri. Sciendum tamen, quod aliud est fingere
pulchritudinem non habitam, & aliud occulta-
re turpitudinem ex aliqua causa provenientem,
puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi; hoc
enim est licitum: I. Cor. c. 12. Quia secun-
dum Apostol quæ putamus ignobiliora membra esse
corporis, his honorem abundantiorem circumda-
mus: fucari autem pigmentis, quo vel rubicun-
dior, vel candidior appareat adulterina falla-
cia est; quia non dubito etiam ipsos maritos se
nolle decipi: ait Aug. Epist. 245. alias 73.
Etenim ut optimè ait Cypri. tract. 2. de
disciplina & habitu virginum. Manus Deo in-
serunt, quando id quod ille formavit, resor-
mare & transfigurare contendunt, nescientes;
quia opus Dei est omne quod nascitur, Diabolus
quodcumque mutatur.... & ibidem ait, Orna-
mentorum ac vestium insignia, & lenocinia fu-
corum, non nisi prostitutis & impudicis fæminis
congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus
quam quarum pudor vilis est. Sic in Scripturis

Sanctis describitur civitas meretrix comp̄ta pulchrius, & ornata, & cum ornamenti suis, ac propter ipsa potius ornamenta peritura.

CONSECTARIUM VIII. Peccant peccato scandali mulieres alienos capillos ad ornandum caput sine causa adhibentes; quia mutuata illa capillatura est aliis occasio peccandi; idē, dicit Apostolus: *Non intortis viribus.* I. Timo. c. 2. v. 9. & D. Petrus: *Quarum non sit extrinsecus capillatura,* I. Pe. c. 3. v. 3 Ex Clem. Alex. Alienorum capillarum appositiones sunt omnino rejiciendæ. lib. 3. Pædagogi. c. 2.

CONSECTARIUM IX. Peccant peccato scandali viri, qui tum in corporis cultu, tum in capillatura modum excedunt, sicuti enim mulieres nimio ornatu sunt occasio peccandi viris, ita & viri sunt occasio peccandi mulieribus. Ideò Tiburtius Martyr interrogatus an Torquatus apostata, qui solebat se superbius ornare, esset Christianus, respondit: nunquam tales pestes dignatus est Christus habere servos suos, ut refert Baronius ad an. 286.

CONSECTARIUM X. Peccant peccato scandali, qui novas illiciti ornatii vestimentorum formas excogitant; quia per hoc sunt occasio peccandi alii.

CONSECTARIUM XI. Peccant peccato scandali, qui exercent artes aliquas, quantum operibus homines finē peccato uti nequeunt, v. g. qui vendunt picturas lascivas, libros amatorios, unde ait D. Thom. 2. 21. q. 169. art. 2 ad 4. *Si quæ ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non pos-*

sunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, ut potè directè præbentes aliis occasionem peccandi.

C O N S E C T A R I U M XII. Peccant peccato scandali; qui ædes suas locant ad ludos aleatorios; quia per hoc sunt occasio peccandi aliis: eas enim academias vetant, & jus Ecclesiasticum & jus Civile, de quibus sic loquitur Bernardinus. Serm. 33. in dominicam 5. quadragesimæ parte 1. *Dans domum, ut ius ludatur, fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt: dans tabulam & præstans taxillos toties peccat mortaliter, quoties præstat; nullus confessor poterit eum absolvere, donec removerit domum à tali pessimo usu ludendi, impossibile est illum salvare, nisi relinquat illas suas artes maledictas.*

C O N S E C T A R I U M XIII. Peccant peccato scandali, qui publicis concubinariis, meretricibus, lenonibus, aut lenis ædes locant; quia sunt per hoc aliis occasio peccandi, jus Civile & Ecclesiasticum illud prohibent: *Qui id faciunt sciant se & decem librarum auri sustinere pænam, & circa ipsam perdituros habitationem.* Justin. Novella 14. titul. de Lenonibus.

M O N I T U M I. Quicumque peccato scandali peccat, præter peccatum personale, inficitur peccato aliorum; quia hic est effectus scandali.

M O N I T U M II. Quicumque peccat peccato scandali, tenetur in confessione aperire, non tantum peccatum personale, sed circumstantias scandali, & numerum personarum, quæ tali scandalo ceciderunt, vel po-

merunt cadere ; quia scandalum est circunstantia varians peccatum specificè.

M O N I T U M III. Qui peccat peccato scandalī , tantò gravius peccat , quantò eminentiorem habet dignitatem ; quia dignitas personæ multum facit ad persuadendum peccatum ; & ità peccatum scandalī gravius est .
 1°. In Clerico , quam in Laïco , juxta illud Bernardi : *Nugae in ore sacerdotium , nugae in ore laicorum blasphemiae.* 2°. In magistratu quam in privato , & in rege quam in subdito ; *Quia desinunt reprobari hoc ipso quod sunt purpureata delicta* 3°. In patre quam in filio ; quia propter exemplum parentum filiis sunt Religio a delicta . 4°. In magistro quam in discipulo ; quia disperdet Dominus qui secerit hæc magistrum & discipulum . 5°. In pastoribus quam in ovibus ; quia pastores sunt sal terræ , lux mundi & Christi bonus odor , & spectaculum facti sunt mundo & hominibus .

ARTICULUS III.

An res præcepta sit omittenda propter scandalum passivum proximi.

P R O P O S I T I O unica. Non tenemur visitare rem præceptam ob scandalum passivum proximi ; immò debemus illam exequi , licet multi hinc ex propriâ malitia scandalum patientur .

Probatur 1°. Script. *Non sunt facienda mala , ut inde veniant bona.* Rom. 3. v. 8. & proinde nemo debet negligere suum officium ,

quod malum esset ob spem, quod negligendo ea quae sunt sui officii, id saltem asseretur quod proximus non suscipiet scandalum.

2º. Ex Greg. hom. 7. in 2.c. Ezech. Quan-
tum sine peccato Possimus vitare proximo-
rum scandalum debemus, si autem de veritate
scandalum sumitur, utilius nasci scandalum
permittitur, quam ut veritas retrahatur. Sic
Christus injunctum à Patre officium Redem-
ptoris exequebatur, quamvis esset Scribis &
Pharisæis scandalo; immò cum aliquando ac-
cessissent ad eum discipuli dicentes: Scis
quia Pharisæi audito verbo hoc, scilicet,
non quod iniuriat in os coquinat hominem scan-
dalizati sunt, at ille respondens ait, emis
plantatio quam non plantavit pater mens erra-
dicabitur, finite illos, cœci sunt & duces cato-
rum. Math. 15. v. 12.

3º. Ex Raym. lib. 3. de scandalo; ubi huc
affertur regula.

Scandala pro vita, doctrinâ, justitiaque,
Tu non effugies, sunt in reliquis fugienda.
Pro vita quia pro nullo scando debet quis
mortaliter peccare. Doctrinâ quia doctor, vel
prædicator non debet falsum docere vel pradica-
re pro aliquo scando Vitando . . . , justitia
quia nec iudex falsam sententiam, nec iestis fal-
sum testimonium debet ferre pro aliquo scanda-
lo vitando.

4º. Ratione. Ordo charitatis postulat, ut
 quisque saluti suæ, magis quam alienæ, in-
 vigilet; Ergo cum ad propriam salutem per-
 tineat rem præceptam exequi, non debemus
 ab ea desistere, licet scandalizetur proximus.

Consecaria hujus doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Nulla unquam licet violare præcepta negativa juris naturalis ad vitandum scandalum ; quia illa præcepta obligant *ad semper & pro semper* : Sic nunquam ob scandali metum licebit mentiri , innocentem interficere , &c.

M O N I T U M. Præcepta affirmativa , quia non obligant *ad semper & pro semper* , sed solum tempore & loco , non sunt eo tempore observanda , quo ex intempestiva eorum observatione scandalum oriretur. Sic licet teneat corriger proximum , non tamen eo tempore hanc debeo correctionem adhibere , quo video ex illa correctione nasciturum scandalum .

C O N S E C T A R I U M II. Quoties teneat ex præcepto administrare vel tueri bona temporalia , non possumus ea dimittere propter scandalum , ut docet D. Thom. Talia sunt bona Ecclesiæ , reipublicæ , vel ea quæ deposito & tutelæ habemus . . . En verba D. Thom. *Dicendum quod circa bona temporalia , aut enim sunt nostra , aut sunt nobis ad conservandam pro aliis commissa , sicut bona Ecclesiæ committuntur Praelatis , & bona communia quibuscumque reipublicæ Rectoribus.* Et talium conservatio , sicut & depositorum imminet his , quibus commissa sunt ex necessitate ; & ideo non sunt propter scandalum dimittenda , sicut nec alia , quæ sunt de necessitate salutis . 2. 2. q. 43. a. 8.

Si bona , quorum non sumus Domini 2

non sunt dimittenda ob scandalum ; quia hoc noceret bono communī ; daretur enim malis occasio rapiendi , & noceremus ipsis , qui tapereat ; quia in peccato rapinæ perseverarent.

C O N S E C T A R I U M III. Nullus ob metum scandali potest falsa docere ; potest tamen secundūm congruentiam temporis veritatem reticere. Ità D. Thom 2. 2. q. 43. a. 7. ad 2. *Propter nullum scandalum , quod sequi videatur , debet homo prætermissā veritate falsitatem docere.* Sed ipse artus docendi inter spirituales eleemosinas computatur ; & idem eadem ratio est de doctrinā , & de aliis misericordiæ operibus : Et proinde juxtā mentem Sti. Thom. Sicuti non tenemur dare eleemosinam , nisi cum illud postulant , & necessitas proximi , & nostrum officium : ità docere veritatem non tenemur , nisi quando id exigit , vel nostrum officium , vel proximi necessitas. Et D. Raymundus loco supra citato ait , quod prædicator doctorvè Tacere potest & debet , si omnes ità obstinati sunt , quod deteriores efficiantur doctrinā.

C O N S E C T A R I U M IV. Ob vitandum scandalum , quod interdum nascitur ex veritate intempestivè prædicata , concionatores debent abstinere ab iis omnibus tractandis coram populo , quæ non inserviunt ad docendum , arguendum , corripiendum & erudiendum in justitiæ . ut perfectè sit homo Diu ad emne opus bonum instructus. Ut loquitur Paulus. Sed omissis his questionibus quæ tumultum potius excitant . quam pietatem forcent , debent insistere etadicandis vitiis ex hominum

homínium mentibus, & inferendis virtutibus;
idē legant, quæ pro concionatoribus scrip-
sit Stus. Carolus Borromæus.

CONSECTARIUM V. Ad vitandum scan-
dalum, ut docet passim August. nulla compen-
satio criminum est admittenda: & ita nè
putemus ait, nobis licitum minora peccata
committere, ut vitentur majora; Iuri fecit
Loth, offerendo filias virgines Sodomitis,
ut vitaret crimen contra naturam. Gen. 18.
Uti fecit senex Gabaonita in causa Levitæ.
Judic. 19. v. 14.

ARTICULUS IV.

*Quæ omittenda sunt ad vitandum scandalum
pusillorum.*

PROPOSITIO I. Opus ex objecto in-
differens debet omitti ad vitandum scan-
dalum pusillorum, id est eorum qui non ex
malitiâ cordis, sed ex infirmitate mentis scan-
dalum patiuntur:

Probatur 1º. Exemplo Pauli, qui dicit, quod non manducaret carnem in æternum, si sciret nasciturum hinc fratri suo infirmo scandalum. Si esca, inquit, scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem 1. ad Corin 8. v 13.

2º. Ex D. Raymundo. Ibidem: cum opus est indifferens, videtur secundum predicta omnino cessandum esse propter scandalum.

3º. Ratione. Ordo charitatis exigit, ut ab indifferentibus abstineamus, ne sumus scandalio fratribus nostris.

Consectaria hujus Doctrine.

C O N S E C T A R I U M I. Si ambulare, si loqui, si cum fratribus conversari, scandalum infirmis pariat, debemus illud omittere: *Videte autem, inquit Paulus, ne forte hec licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* 1^o. Corin. c. 8. v. 9.

C O N S E C T A R I U M II. Propter scandalum pusillorum, vel totaliter dimittenda sunt temporalia, quorum sumus Domini; vel aliter scandalum est sedandum per aliquam admonitionem, ut docet Augustinus, & D. Tho. 2. 2. q. 43. a. 8. in corp. Temporalia verò bona, quorum nos sumus Domini dimittere, ea tribuendo, si penes nos ea habemus; vel non repetendo, si apud alios sint; propter scandalum quandoque quidem debemus, quandoque autem non: si enim scandalum ex hoc oriatur, propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod est scandalum pusillorum, tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum sedandum, scilicet per aliquam admonitionem, ut ait Aug. dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat . . . & cum negaveris, quod petit, indicanda est ei justitia; & melius aliquid dabitis cum petentem injustè correxeris.

P R O P O S I T I O II. Bona spiritulia, quæ ad salutem non sunt necessariò facienda, id est, quæ non sunt de præcepto, sed tantum de consilio, quandoque differenda, vel occultanda, vel in perpetuum dimittenda ad vitandum scandalum pusillorum.

Probatur ex D. Thoma 2. 2. q. 43. a. 7.

in corp. In spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum; quia scandalum, quod ex eis oritur, quodque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando, & hoc est scandalum Pharisæorum; qui de Doctrina Domini scandalizabantur contemnendum Dominus docet: quandoque vero scandalum procedit ex ignorantia, vel infirmitate, & hujusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona, scilicet Consilii, vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quo usque redditia ratione, hujusmodi scandalum cesseret, si autem post redditam rationem, hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse; & sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda.

Consecaria hujus Doctrinæ

C O N S E C T A R I U M I. Filius familias vocatus ad statum Religiosum, vel Ecclesiasticum; si prævideat, quod suscipiens illum statum, perturbationem familie suæ sit illatus, debet propositi executionem ad congruum tempus differre. Et susis precibus ad Ucum, expectare consensum parentum, aut saltem efficere, ut instruantur quomodo hac in parte se gerere debeant.

C O N S E C T A R I U M II. Mulieres conjugatæ debent dimittere bona spiritualia, quæ sunt de consilio, & non de præcepto v. g. audire missam quotidie, adesse horis Canonicas diebus Festis, recipere Eucharis-

292 MORALIS CHRISTIANA;
tiam quolibet die aut quilibet hebdomadā;
hinc nascatur perturbatio domestica
& melius est, ut omittant hæc exercitia
spiritualia, aliaque istorum loco substituant,
de consilio & consensu Confessarii sui.

ARTICULUS V.

*Quæ omittenda sunt ad vitandum scandalum,
etiam malignorum.*

PROPOSITIO unica. Videtur quod ex lege charitatis aliquando abstinentia sit ab operibus ex objecto indiferentibus, si parum sint nobis necessaria; quando scilicet proximus ex propriâ etiam malitiâ ex illis operibus occasionem ruinæ suscepturus est. Omissio vero operis indifferenter presumitur proximo profutura. Sed ab his operibus indiferentibus non abstinentia est, si tam omissio, quam non omissio prævideatur futura proximis scandalo ex eorum malitiâ.

Probatur. 1. scripturâ *Sine offensione esto. te Iudeis & gentibus, & Ecclesiæ Dei; sicut & ego per omnia omnibus placebo, non querens quod uile est mihi; sed quod multis ut salvi fiant 1. ad Corint. 10. v. 36.* ergo exemplo Pauli debemus abstineri ab indiferentibus, non solum cum proximus patitur scandalum ex infirmitate; sed etiam aliquando, cum patitur scandalum ex propriâ malitiâ; quia inter eos omnes, quibus placere combatur Apostolus, erant non solum, qui ex infirmitate, sed etiam qui ex malitiâ scandalum sumebant ex actionibus Pauli.

2^o. Ex D. Raymundo lib. 3. de scandalo. §.
2. ubi sic habet, *in tertio casu*, scilicet cum
objectum est *indifferens* videtur secundum præ-
dicta omnino cessandum esse propter scandalum

3. Ratione. Ordo charitatis exigit ut
nemo quod suum est quærat; sed quod est
alterius, precipue cum æterna salus proxí-
mi agitur: salus enim æterna proximi debet
commodis nostris temporalibus præponderare:
ergo ex lege charitatis, quæ non quærit quæ
sua sunt; sed quæ Iesu Christi, debemus
opera ex objecto indifferentia nobis non ad-
modum necessaria interdum omittere; ut vi-
tetur scandalum, etiam ex malitia proximi
nasciturum.

Dixi, res *indifferentes*, quia res necessariæ
non sunt omittendæ; nobis enim præcipitur
ea agere quæ nobis sunt necessaria.

Dixi, quod res *indifferentes* sunt omitten-
dæ aliquando ob scandalum, etiam malitiosè
acceptum; quia durius esset, semper se rebus
indifferentibus privare ob scandalum malitio-
sè acceptum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Non omittenda
sunt ea quæ sunt necessaria vel ad victum,
vel ad vestitum, licet maligni hinc sumant
occasione scandali.

Sic Christus non à cibo & potu abstinuit
licet Pharisæi malitiosè dicerent, *ecce homo*
vorax, potator vini.

Sic Discipuli Christi non abstinuerunt à
cibo & potu necessariis; quamvis Pharisæi

malitiosè inquirerent à Christo quare disper-
puli tui non jejunant.

CONSECTARIUM II. Non omittenda
sunt ea quæ sunt necessaria ad honestam re-
creationem, licet maligni hinc sumant occa-
sionem scandali; sic Joannes Evangelista, ut
refertur in collationibus patrum honestè re-
creabat animum. *Et cum quidam scandalisaren-
zur.* inquit D. Thom. *Quod cum cum discipu-
lis suis ludentem invenirent, dicitur mandasse
uni eorum qui arcum gerebat, ut sagittam tra-
heret. Quod cum pluries fecisset, quævis
ntrum hoc continuè facere posset; qui respondu-
quod si hoc continuè ficeret, arcus frangere-
tur. Unde beatus Joannes subintulit quod si
militer animus hominis frangeretur, si num-
quam à sua intenione relaxaretur.* 2. 2. q. 168.
a. 2. in C.

CONSECTARIUM III. Ea quæ vel ad
victum, vel ad vestitum, vel ad honestam
recreationem necessaria non sunt, sed con-
ducunt solum, vel ad victum immoderatio-
zem, vel ad vestitum luxuriosorem, vel ad
recreationem parùm honestam, ea inquam
omittenda sunt, tum quia ibi non reperitur
Christianæ mediocritas, tum quia hi exces-
sus sunt occasio cur proximus in maiores ex-
cessus prolabatur.

Sic, dato quod convivia lautiora, quod
splendidiores vestes, quod recreaciones pa-
rùm decentes, quales sunt choreæ, co-
medie, &c. essent res indifferentes ut vo-
lunt homines mundani, deberent tamen evi-
tari ob scandalum quod semper adjunctum
habent.

ARTICULUS VI.

De his, qui videntur esse scandalo, & non sunt: qui videntur cooperari peccato, & non cooperantur.

PROPOSITIO I. Ille non peccat peccato scandali, nec peccato proximi cooperatur, qui justâ de causâ, pioque motivo præstat aliquid, vel sanctum, vel honestum, quo posito, proximus malitiosè elicit aliquid cum peccato, quod si vellet, posset emittere, vel elicere sine peccato; modò ille qui elicit opus, vel sanctum, vel honestum ad quod ex malitiâ alterius sequitur peccatum, nec ex justitia, nec ex charitate, v. g. ex officio superioris, vel ex lege correctionis fraternæ teneatur peccatum proximi impedire.

Probatur 1°. Scripturâ. Cum Judæi scandalisati fuissent, & quod Christus dixisset, non quod in os, intrat coiquinat hominem, monitus de illo scandalo à Judæis malitiosè suscepto, ait: *Sinite illos ducēs sunt & duces cœorum.* Matth. cap. 15. v. 13. Ergo possumus opus sanctum, vel honestum elicere; licet proximus ex propriâ malitiâ sumat præter intentionem nostram occasionem peccandi.

2°. Ex Aug. Epis. 47. ad Publicolam, ubi sic habet: *Absit ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus; si quid per hac præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferentia domestica & agrestia sunt habenda;*

ne quis eis, vel se, vel alterum interimat: nec arbor, aut restis, ne quis se inde suspendat, nec fenestra facienda est, ne per hanc se quisque precipitet, quid plura comminemorem: cum ea commemorando finire non possim & quid enim est in usu hominum bono ac licito, unde non possit etiam pernicies irrogari. Ergo quæ sunt bona & honesta agere possumus, licet hinc pravi homines peccandi occasionem suscipiant.

3°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. ad 4.
ubi sic habet: *Per accidens autem aliquod verbum aut factum unius, est alteri causa peccandi; quando etiam preter intentionem operantis, & preter conditionem operis aliquis male dispositus ex hujusmodi opere inducitur ad peccandum, putâ cum aliquis invidet bonis aliorum, & tunc ille qui facit hujusmodi actum rectum, non dat occasionem, quantum in se est, sed aliis sumit occasionem secundum illud, ad Röm. 7. v. 8. Occasione autem accepta, &c. ergo quod est rectum agere possumus, licet hinc alii malitiosè sumant occasionem, peccandi.*

4°. Ratione. Prima Ratio. Quilibet potest absque peccato justâ ex causâ proque motivo uti jure suo ut pater; atqui quilibet jus habet eliciendi actum, vel sanctum, vel honestum: cum neutrum illorum sit prohibitum; ergo quilibet potest elicere actum, vel sanctum, vel honestum sine peccato: licet aliis sumat inde ex propriâ malitia occasionem peccandi.

Secunda Ratio. Actio scandalosa ea est, quæ vel mala, vel minus recta præbet alte-

ri occasionem ruinæ , opus autem , vel sanctum , vel honestum , nec est actio mala , nec minus recta , nec præbet alteri occasionem ruinæ , sed proximus sumit malitiosè ex eo quod bonum est , vel honestum occasionem peccandi ; ergo opus sanctum , vel honestum potest sine peccato à nobis exerceri , licet alii hinc ex propriâ malitiâ sumant occasionem peccandi .

Consecratio hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Non peccat persona publica quæ justâ de causâ , & ex necessitate , exigit juramentum ab eo , qui falsojuratus præsumitur ; quià exigens juramentum utitur jure suo .

Sic , judex carens testimonio , servato ordine juris potest exigere juramentum ab eo , qui præsumitur pejeraturus ; sic princeps dum init pacem cum hostibus , potest exigere juramentum ab illis , licet sint juraturi per falsos Deos , ita D. Thom. 2. 2. q. 98. a. 4. in corp. Si autem aliquis exigit juramentum tanquam persona publica , quod exigit ordo juris ad petitionem alterius , non videtur esse in culpa ; si ipse juramentum exigit , sive sciat eum falsum jurare , sive verum : quià non videtur ille exiger , sed ille , ad cuius instantiam exigit . Judex tamen debet omnia tenere , ut quantum est in se ; non fiat perjurium .

Sic pariter non peccat homo privatus qui controversiam habens cum alio exigit juramentum ab illo , modò dubitet de facto , vel

nesciat an juraturus sit verum , vel fassum ; credatve eum pro vero juratum ; tunc enim ut dicit D. Thom. 2. 2. q. 98. a. 4. ad 1. *Ad maiorem certitudinem exigit juramentum : Et rem ex se sanctam postulat.*

Sic , licet tam personæ privatæ , quam publicæ , recipere juramentum illius , qui verum per falsos Deos juratus est ; minimè verò illius , qui fassum per verum Deum juratus est ; quia in primo juramento est veritas , quam uti licet ; in secundo est falsitas , quam numquam uti licet ; ita D. Thom. in eadem q. a. 4. ad 4. *Licet ejus , qui per falsos Deos jurare paratus est , juramentum recipere ; non tamen licet eum inducere ad hoc , quod per falsos Deos juret. Alia tamen ratio videtur esse in eo , qui per verum Deum , fassum jurat : quia in tali juramento deest bonum fidei , quam utitur aliusquis in juramento illius , qui per falsos Deos , verum jurat.*

M O N I T U M. Peccat è contrà , qui sine causa & necessitate exigit juramentum ab eo , qui illicite juratus præsumitur. Quia inducens ad jurandum frustrà , est causa illiciti juramenti ; tunc enim , ut utar verbis D. Thom. 2. 2. q. 98. a. 4. ad 2. *Propriè sponte adjurandum cogit eum quem scit falsojuratum. Et juramentum exigit quod nihil inservire valeat nisi ut Deus perjurio offendatur , & pejerans vitio perjurii commaculetur.*

Sic , peccat persona , tum publica , tum privata intrà litis contestationem , quæ , dum aliunde habet sufficientia testimonia ad cruentam veritatem , exigit juramentum ab eo , qui pejeratus præsumitur. Id docet D.

Thom. his verbis 2. 2. q. 98. a. 4. in corp.
 Si autem scit eum fecisse , scilicet , contrarium
 ejus , quod jurat , & cogit eum jurare , homi-
 cida est , ille enim suo perjurio se interimit ,
 sed iste manum interficiens impressit . Et pec-
 catum est multo gravius , quando illud fit
 eo fine , ut proximus perjurii convincatur
 per instrumenta manifestantia veritatem , que
 malitiosè occultantur . Habes circà hoc egre-
 gium factum Domini Duharlay primi præ-
 fidis Parisiensis qui pœnâ multavit debito-
 rem qui munitus instrumentis quibus debi-
 tum suum probaret juramentum debitori de-
 tulerat , ut eum post juramentum perjurii ar-
 gueret . *Procès verbal des conferances de l'Or-
 donnance criminelle.* Titre 14. art. 7. Et Aug.
 Refert exemplum cuiusdam civis Hyponensis ,
 alioquin boni , extraordinariè à Deo puniti ,
 quod ne rem debitam perderet , juramentum
 à pejeraturo exegisset . Serm. de decollatione
 S. Joan.

C O N S E C T A R I U M II. Non peccat , qui
 justâ de causâ & ex necessitate recipit , im-
 mò exigit Sacra menta à ministris , qui te-
 nentur ea conferre ; licet illi ministri ob in-
 dignitatem suam peccent , conferendo sacra-
 menta ; tunc enim fidelis rem sanctam pos-
 tulat , scilicet Sacra menta & cum ea exigit à
 suo Parrocho vel Prælato utitur jure suo . Cum
 enim Sacra menta sint propter homines , ho-
 mo jus habet ea exigendi à ministris , qui
 bus illorum dispensatio ex officio incumbit ,
 & penes eosdem ministros est per gratiam
 Christi conferre Sacra menta cum debitissi dis-
 positionibus .

Sic, in extremâ necessitate, v. g. in mortis articulo, licet recipere, immò exigere Sacra menta necessitatis, nimirum Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ à malis ministris, immò à ministris excommunicatis, suspensis, & ab Ecclesia non toleratis. Si non sint alii ministri; quia in talibus circumstantiis, quilibet sacerdos est quasi proprius Parochus, cestatque omnis reservatio in Ecclesia Dei, inquit Trid. ses. 14. cap. 7. In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis casibus & censuris absolvere possunt.

M O N I T U M. Si tamen ex tali communione cum hæreticis & schismaticis oriretur multorum fidelium scandalum, diminutio Catholicæ Religionis, incrementum hæresos, vel schismatis, tunc adulterus posset sine actuali Sacramentorum receptione per votum Sacramenti saluti suæ consulere.

Sic, urgente vulgari necessitate, etiam extra mortis articulum, potest quilibet fidelis, non solum recipere, sed etiam exigere Sacra menta à Parrocho quantumvis malo, si sit ab Ecclesia toleratus, quia utitur jure suo.

M O N I T U M. Si tamen sit aliis minister dignior, ad quem commodè possit accedere, tenetur non ex justitia, cum ad id jus habeat, sed ex charitate à digniori ministro Sacra menta recipere, etenim sic peccatum proprii Parrochi impediet.

Sic, stante vulgari necessitate, fidelis non potest exigere Sacramentum à malo minis-

tro, qui nec Parochus est, nec paratus ex administrare; quià non habet jus exigendi, nec proinde inducendi ad conferendum Sacramenta; si tamen paratus esset conferre Sacramenta quibuscumque obviis fidelibus, tunc oblata Sacramenta & recipere liceret cuilibet fidi, tunc enim Sacramentum recipiens, ministrum non induceret ad illicitam administrationem Sacramenti, sed ad bonum uteretur pravâ ejus voluntate Sacra menta obviis quibuscumque fidelibus offente.

C O N S E C T A R I U M II. Quando persona publica, vel politica, ut Notarius, vel Ecclesiastica ut Parochus, tenetur ex officio, cooperari quibusdam actionibus sanctis, vel honestis à proximo eliciendis, potest persona publica eis actionibus cooperari absque peccato, licet proximus hanc actionem ex objecto, vel sanctam, vel honestam vitiet pravâ aliquâ circumstantiâ occultâ: quia tunc persona publica jure suo utitur, & officio suo satisfacit, & proximus id quod est ex objecto licitum efficit pravâ suâ intentione vitiosum.

Sic, Sacerdos potest immò debet Eucharistiam ministrare peccatori, & excommunicato, & heretico occulto, si petat publicè; quia peccatum utpote occultum non dat jus denegandi Eucharistiam, si eam publice petierit; itâ docet D. Thom. post Aug. 3. P. q. 8a. a. 6. *Manifestis*, inquit, ergo peccatoribus non debet etiam penitibus Sacra Communio dari. Ut Cyprianus docet de his trionibus... Si verò non sint manifesti pecca-

tores, sed occulti; non potest eis petenibus Sacra Communio denegari; cum enim quilibet Christianus ex hoc ipso quod est baptisatus, sit admissus ad Dominicam cœnæ mensam, non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta, unde super illud. 1. Corint. 5. Si is qui frater nominatur inter vos, dicit Glossa Augustini; Nos à Communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio Ecclesiastico, vel sacerlari nominatum, atque convictum.

Sic, Parochus juridicè requisitus potest, immò debet matrimonio Parochianorum tamquam testis interessere, quamvis ex confessione, vel alià viâ occultâ sciat contrahentes esse, vel in statu peccati, vel cum aliquo occulto impedimento contrahere; quia vitium occultum non dat jus denegandi Parochianis sui præsentiam, post decretum Tridentini ad valorem matrimonii absolutè necessariam.

Sic, pars desponsata requisita ut sponsalibus satisfaciat & matrimonium contrahat, potest sine peccato matrimonium inire, licet sciat ejus partem matrimonii Sacramentum in statu peccati recepturam, quia peccatum occultum non dat jus denegandi sponsalium executionem, quando hæc, aut juridicè, aut quasi juridicè requiruntur.

Sic, Notarius requisitus à partibus contrahentibus potest sine peccato licitas ex objecto contrahentium voluntates suscipere; licet illi contractus ex occultâ contrahentium intentione sint illiciti; quia occultum peccatum non dat jus Notario denegandi sui

præsentiam ad contractum civilem absolutè necessariam. Notarius potest, v. g. testamentum transcribere, modò testamentum illud sit per leges permisum; in quo tamen testator perperam bona sua subtrahit consanguineis, ut ea det extraneis. Item potest transcribere contractum usurarium modò non sit manifestè per leges tamquam usurarium reprobatum; quia occulta usura non dat Notario jus denegandi sui præsentiam ad contractum civilem absolutè necessariam.

Sic, privatus quilibet cui non interdicitur ex conditione sui status armorum exercitium potest licetè, immò jussus deber, sub suo principe bellum exercere; licet bellum occultam contineret in justitiam; est enim subditus Regi, cui in omnibus, manifestam in justitiam non continentibus obtenerandum est.

M O N I T U M. In prædictis casibus Sacerdos Sacraenta conferens, sponsus, vel sponsa contrahens, Notarius contractum retinens, &c. debent quantum in ipsis est juxta regulas prudentiæ præmonere eos qui actionem sanctam, aut honestam ex objecto pravâ aliquâ circunstantiâ vitiant; debent, inquam, præmonere eos, ut à pravâ illâ circunstantiâ abstineant, itâ docet D. Thomas, loquens de Sacerdote Eucharistiam ministrante: *Potest tamen Sacerdos, qui est conscientius criminis occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant antequam de peccatis pœniteant.* Ibidem loco supra citato.

C O N S E C T A R I U M III. Non peccat;

Cc ij

qui ad subveniendum, vel necessitati propriæ, vel alienæ accipit mutuum sub usuris; etenim utitur jure, quod habet subveniendi sibi per alienam pecuniam, nec inducit hominem ad peccatum, sed peccato usurarii utitur ad bonum, ita hanc regulam confirmat D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 4. in corp. Dicendum quid nullo modo licet aliquem ad mutuandum sub usuris inducere; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio necessitatis suæ, vel alterius; sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet (quæ Latrones peccant diripiendo) ad hoc, quod non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismaël: noli occidere nos; quia thesauros habemus in agro. Jerem. 41. v. 8.

CONSECTARIUM IV. Non peccat beneficii Ecclesiastici legitimus possessor, qui dat aliquid temporale, ut injusta impedimenta removeat; quia utitur jure suo, ita docet D. Thom. Dicendum quod antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quamque dignitate, vel præbenda per electionem, vel provisionem seu collationem; Simoniacum esset, adversantium obstatula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam: sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam: injusta impedimenta revocare. D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5.

TRACTATUS QUINTUS.

De sexto & nono Precepto.

DUO hæc Præcepta : Non mæchaberis . . .
Non desiderabis uxorem proximi tui Exod.
20. Juvat h̄ic simul explicare ; quia ad eum-
dem finem tendunt. Deus quippe his duo-
bus præceptis idem ferè à nobis exigit ; præ-
cipit enim utroque præcepto castitatem ; ve-
rat verò omnem extra legitimum conjugium
luxuriæ libidinem , ut docet Canon. **Meritri-**
cies. H̄ic ergo est explicanda luxuriæ natu-
ra ; sed quia periculosa est tam obscœni vi-
tii tractatio , antequām subjiciam distinctam
hujus criminis ideam , & varias ejus percur-
ram species , priùs exhibebo , quām grave-
rit illud vitium ; ut sic , & legentium , &
audientium animus sit quodam quasi clypeo
præmunitus.

CAPUT PRIMUM.

*De quibusdam p̄eambulis necessariò per tractat̄is
dis antequam agatur de v̄tio Luxurie.*

ARTICULUS I.

Quam grave peccatum sit Luxuria.

PROPOSITIO I. Crimen gravissimum
est omne peccatum luxuriæ; id est, usus
Cc iiiij

inordinatus venereorum extra legitimum matrimonium.

Probatur 1^o. Luxuria est peccatum contra Deum, quatenus polluit templum Dei, quod est corpus nostrum; de quo ita Paulus: *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet eum Deus. Templum enim sanctum est, quod estis vos.* 1. ad Corin. 3. v. 16.

2^o. Est peccatum contra Christum, quatenus membra Christi, nos scilicet, facit membra meretricis: *Nescitis, inquit idem Apostolus, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, facian membra meretricis! absit, an nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur! erunt enim, inquit, duo in carne una, qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est.* 1. ad Corin. 6. v. 15.

3^o. Est peccatum contra nosmetipos, quatenus corpus nostrum polluit: *Fugite fornicationem,* inquit Paulus, *omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est;* qui autem fornicatur, in corpus suum petat. 1. ad Corin. 6. v. 18.

4^o. Est peccatum contra proximum, quatenus est contra bonum prolis generandæ, & educandæ, & quatenus complici est occasio ruinæ: *Omnes corruptiones luxuria, inquit D. Thomas, quæ sunt præter legitimum matrimonii usum, sunt peccata in proximum; in quantum sunt contra bonum prolis generande & educande.* q. 15. de malo a. ii. ad 4.

5°. Est peccatum contra statum Christianorum, quibus specialiter jubetur sanctitas : Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia; nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, inquit Paulus Ephes. 5. v. 3.

6°. Est peccatum aliis longè gravius; est furto fœdius juxta scripturam: Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam... Qui autem adulterer est, propriæ cordis inopiam, perdet animam suam Prov. 6. v. 30 & juxta Tertul. lib. de pudicitia cap. 22. Luxuria gravior idollatria, non ex objecto, sed ex eo quod magis liberè committatur: Nemo volens, inquit, negare compellitur; nemo nolens fornicatur. Nulla ad libidinem vis est, nisi ipsa; negationem verò quanta compellunt ingenia carnificis & genera pœnarum. Re ipsa quis scelestior, an idololatra, qui Deum amisisse doluit, an fornicator, qui cum amitteret, lusit. Ille bovem maciat idolo; iste hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, & debitam, maciat Diabolo.

ARTICULUS II.

Quæ pœnæ contra Luxuriam à Deo destinantur.

DOMINUS multis modis punit luxuriem. 1°. Temporaliter, imminendo pœnas corporales. 2°. Spiritualiter, denegando gratiam. 3°. Pœnâ æternâ, addicendo inferno Luxuriosos; percurro breviter illas pœnas.

§ I.

Pœnae temporales contra Luxuriam.

1º. In pœnam tanti criminis Deus immisit diluvium, dissipans omnem terram. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate;*, inquit Textus Sacer. Gen. 6. v. 11. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noë finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum; & ego disperdam eos cum terra.* Quali autem crimine corrupta erat terra, quod tantam demereatur punitionem non aliud innuitur nisi luxurias, videntes, inquit Scriptura Gen. 6. v. 2. *Filiis Dei, id est posteri Seth. Filias hominum,* id est ortas ex Caïni prosæpiâ: *Quod essent pulchra acceperunt sibi uxores, ex omnibus quas elegerant.* Solam spectantes libidinem in conjugio, quod graviori pœnâ puniendi, qui extra matrimonium fœdis polluuntur scortationibus.

2º. *Dominus pluuit super Sodomam & Gomorrah sulphur, & ignem...* Et subverit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ viventia. Gen. 19. v. 24. Ut infandam illorum libidinem puniret.

3º. *Onam inordinatè agens in matrimonio, occisus est à Domino; Percussit eum Dominus, inquit Scriptura; eo quod rem detestabilem faceret.* Gen. 38. v. 10.

4°. Filii Jacob , Simon & Levi fratres Dīnæ omnes masculos Sichimitas interfecerunt, ut stuprum illatum Dīnæ ulciserentur Gen. 34. Laudatque Judith factum illud cap. 9. v. 2. Non quidem mendacium perfidiamque fratrum Dīnæ approbans sed justitiam Dei exaltans , inquit Menochius , quā Sichimitorum impuritas & violentia vindicata est.

5°. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab... Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Num. 25. 9.

6°. Tribus Benjamin ferè omnino deleta est in pœnam , eo quod vis illata fuerat uxori cuiusdam Levitæ transiuntis Gabaa. Judic. 2.

S. II.

Pœnae spirituales contra luxuriam.

1°. Deus recedit ab homine impuro : *Non permanebit , inquit Deus , spiritus meus in homine ; quia caro est.* Gen. 6. 3.

2°. Permittit Deus impurum hominem labi in reprobum sensum , de quo ita Paulus : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum , ut faciant ea , quæ non conveniunt , repletos omni iniuritate , malitia , fornicatione.* ad Rom. 1. v. 28.

3°. Rejicit oblationes impuri hominis : *Non offeres , inquit Moyses , mercedem profibili , nec pretium canis in domo Domini , quidquid illud est , quod voveris ; quia abominationis utrumque apud Dominum Deum tuum.* Deut. 23. v. 18.

§. III.

Pœnae æternæ contra luxuriam.

1°. Deus declarat se futurum judicem, & testem contra impuros homines: *Pro eo quod fecerint stultitiam in Israël, & Mæchati sunt in uxores amicorum suorum... Ego sum Iudex & testis, dicit Dominus.* Jerem. 29. v. 23.

2°. Excluduntur à Coelis: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei possidebunt.* 1. ad Cor. 6. v. 9.

3°. Addicuntur igni perpetuo, de hoc ita Joannes: *Fornicatoribus, veneficis, & idolatriis, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Apol. 21. v. 8. Et ut sciamus specialem pœnam luxuriosis reservatam, ita nos admonet Petrus Epif. 2. cap. 2. *Novit Dominus pios de temptatione eripere; iniquos verò in diem iudicii reservare cruciandos; magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant.*

Hæc proloqui necessarium visum est mihi, ne quis tam obscena, quæ dicturus sum, cum *Morosa*, ut dicunt, delestatione retinearet, sed cum sancto horrore rejiceret. Si quis verò, inquit Aug. *impudicè, aut legat, aut audiat, facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mibi facillimè pudicus & Religiosus lector vel auditor ignorat.* lib. 14. de Civit. cap. 23.

CAPUT II.

Explicatur quid sit Luxuria, & quotpletæ ejus species.

ARTICULUS I.

De naturâ Luxuriæ.

Luxuria est inordinatus, vel usus, vel appetitus delectationis venereæ. Dixi, inordinatus; quia usus venereorum perceptus debito modo in legitimo matrimonio non est illicitus, sed sanctè exerceri potest.

Actus luxuriæ alii sunt externi, alii interni.

Actus interni sunt actus animæ, qui ordinantur ad actus externos; tales sunt isti actus, desiderium absolutum, vel conditio natum rei venereæ, delectatio morosa in cogitatione venerea.

Actus externi sunt actus corporis ordinati ad decisionem seminais: hujusmodi sunt verba lasciva, tactus lascivi, oscula, &c.

Actus externi venerei, alii sunt completi in hac linea, alii incompleti.

Actus externi completi sunt illi, in quibus intervenit ultimus terminus venereorum, scilicet decisio seminis.

Actus externi incompleti sunt illi, in quibus non intervenit decisio seminis.

Actus externi tam completi, quam incompleti, alii sunt naturales, alii innatales.

Actus luxuriosi naturales sunt illi, ex quibus sequi potest generatio, v. g. concubitus viri cum foemina solito more.

Actus luxuriosi innaturales sunt illi, ex quibus sequi nequit humana generatio: tales sunt mollities, Sodomia, bestialitas.

ARTICULUS II.

De variis speciebus luxuriæ secundum naturam.

Species luxuriæ secundum naturam sunt actus illi venerei inordinati ex quibus sequi potest generatio.

Species luxuriæ secundum naturam sunt istæ, fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium.

Fornicatio est concubitus naturalis soluti cum soluta, per illud soluti item soluta intelligitur solutio seu libertas à vinculo matrimonii, voti, Ordinis sacri, cognationis, vel affinitatis: alias si concubentium uterque, vel alteruter foret innexus vinculo matrimonii esset adulterium, si voti, ordinisve sacri esset sacrilegium, si cognationis aut affinitatis esset incestus.

Stuprum est concubitus cum personâ virginem invitâ, & non consentiente, vel si ipsâ consentiat, dissentientibus parentibus, dum est sub curâ parentum.

Adulterium est concubitus cum personâ per matrimonium ligata.

Raptus est concubitus cum personâ vi abductâ; causâ libidinis explendè.

Incestus est concubitus cum personâ, vel consanguinea,

TRACT. V. DE VI. ET IX. P^{RE}ACEP. 313
consanguineā , vel affine usque ad quartum
gradum ; qui concubitus tantò gravior est ,
quantò persona est proximior.

Sacrilegium est peccatum luxuriæ , quo
fœdatur , vel persona Deo sacrata per votum
castitatis , vel locus sacer profanatur per ac-
tum venereum

Sacrilegium potest fieri quatuor modis.
1^o. Si persona Deo sacra sola consentiat ,
vel delectetur deliberatè de re venerea. 2^o. Si
persona non sacra in actum venereum cum
persona sacrà consentiat. 3^o. Si utraque per-
sona luxurians sit Deo sacrata. 4^o. Si ve-
nereus actus fiat in loco sacro , v. g. in Ec-
clesia , in Cœmeterio , illicite inter non con-
jugatos , vel licite inter conjugatos , absque
necessitate.

Quandò dixi , quod luxuria , fornicatio ,
&c. Sint concubitus , locutus sum de actibus
completis , & non de actibus incompletis ,
qui ad eandem speciem pertinent.

ARTICULUS III.

De variis speciebus Luxuriæ contra naturam.

Species luxuriæ contra naturam sunt actus
illi venerei inordinati ex quibus sequi
non potest generatio.

Species luxuriæ contra naturam sunt istæ ,
Mollities , Sodomia imperfecta , Sodomia
perfecta ; Bestialitas.

Mollities est voluntaria effusio seminis
absquè congressu , seu copulâ viri cum mu-
liere.

Sodomia imperfecta est congressus duorum diversi sexus, v. g. maris cum fœmina, sed indebito modo, v. g. extra vas debitum & cum Sodomia reservatur, aut ei imponitur censura Cانونica, hoc debet intelligi de Sodomiâ, non imperfectâ, sed perfectâ.

Sodomia perfecta est congressus ejusdem sexus, v. g. maris cum mare, fœminæ cum fœminâ.

Bestialitas est congressus duorum diversæ speciei, v. g. viri cum bestiâ, vel bestiæ cum muliere, hominis cum dæmone succubo, vel incubo, idest, dæmone gerente vices viri, vel mulieris.

ARTICULUS IV.

De permixtione diversarum specierum luxuriarum

Species illæ luxuriarum tam secundum naturam, quam contra naturam, possunt ad invicem permisceri, & secundum actum externum, & secundum affectum, v. g. si Titius conjugatus habeat rem cum Berta consanguineâ, virgine, Religiosa & indebito modo; actus ille erit simul Adulterium, Stuprum, Incestus, Sacrilegium, & Sodomia imperfecta, ut patet. . . . 1°. Adulterium; quia Titius est conjugatus. . . . 2°. Stuprum; quia Berta est virgo. 3°. Incestus; quia est consanguinea. 4°. Sacrilegium; quia est Religiosa. 5°. Sodomia imperfecta; quia indebito modo congridetur; immò posset esse Raptus; si violenter abducta fuisset è clauso.

Ut permixtio secundum actum exteriorem cognoscatur, debet attendi circumstantia personarum, vel suppositorum, cum quibus sit congressus; an personæ sint solitæ; an sint conjugatæ; an sint Religiosæ; an sint affines; an sint ejusdem sexus; an sint ejusdem speciei.

Ut permixtio secundum affectum interiorem cognoscatur, attendi debet intentio & affectus peccantis, v. g. intentio polluentis se; an polluens concupiverit virginem Religiosam; quia tunc pollutio in actu habet malitiam mollitiei, in affectu habet malitiam stupri, & sacrilegii; an congrediens in actuali copulâ cum unâ personâ, habuerit in affectu aliam; quia tunc congressus in actu habet malitiam illius concubitus, qui exercetur, & in affectu habet malitiam congressus, qui desideratur, v. g. qui conreditur cum meretrice concupiscens matrem suam conjugatam, elicit actum, qui habet malitiam fornicationis in re, & in affectu malitiam Adulterii & Incestus.

ARTICULUS V.

De diversis actibus imperfectis luxuriæ.

ACtus imperfecti luxuriæ sunt colloquia obscena, tactus lascivi, oscula lasciva, amplexus lascivi, aspectus obscenorum; quia illa omnia ordinantur ad luxuriam.

Illi actus imperfecti exterius considerati, sunt in eadem specie, in quâ sunt personæ, à quibus & circa quas exercentur, v. g. si

D d ij

316 MORALIS CHRISTIANA.
fiant à personis solutis , pertinent ad fornicationem ; si fiant ab unâ persona conjugata , & alterâ solutâ , pertinent ad simplex adulterium ; si fiant à duabus personis , non ad invicem conjugatis , pertinent ad duplex adulterium ; & sic inductivè.

Illi actus imperfecti considerati secundum affectum , habent malitiam luxuriæ , quæ intenditur. . . . Sic tactus , oscula , &c. Facta à duabus personis solutis , intendentibus & desiderantibus personam Religiosam , habent in se malitiam reductam ad fornicationem , & malitiam reductam ad sacrilegium.

C A P U T III.

*Quod & quale peccatum sit luxuries in genere ,
& quælibet species luxurie.*

A R T I C U L U S I.

An actus venereus sit licitus in legitimo matrimonio ; & quale peccatum sit extra legitimum matrimonium.

PROPOSITIO I. Usus matrimonii si fiat ordinatè non est illicitus quin immò potest esse sanctus & meritorius.

Probatur 1°. Script. *His autem , inquit Paulus , qui matrimonio juncti sunt , præcipia non ego , sed Dominus , uxorem à viro non discedere. . . . Si acceperis uxorem , non peccasti , & si nupserit virgo , non peccavit 1. ad Cor. 7. rursus. Honorabile coniubium in omnibus , & thoros immaculatus. ad Hebr. 13.* Ergo usus

matrimonii si fiat ordinatè non est peccatum.

2º. Ex Synodo Gangrensi can. 1. Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fideli ac religiosam detestatur, aut culpabilem estimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.

3º. Ex Aug. Conjugalis concubitus generandi gratiâ non habet culpam; concupiscentiae verò satiandæ, sed tamen cum conjugi propter thori fidem, veniale habet culpam, adulterium verò sive fornicatio, lethalem habet culpam. lib. de bono conjugali cap. 6. Ergo usus matrimonii non est ex se illicitus.

4º. Ex D. Thom. Si ad actum matrimonialem virtus inducat, vel justitiae, ut debitum reddat, vel Religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius. in 4 Sentent. dist. 26. q. 1. a. 4.

5º. Rat. prima Ratio. Matrimonium, ut est officium naturæ, à Deo institutum est, juxta illud: *Masculum & fæminam creavit eos, benedixitque illis Deus, dicens: Crescite & multiplicamini.* Geneseos 2. In lege vero Evangelica Christus matrimonium erexit ad perfectionem sacramenti, ut fides docet: Ergo usus sacramenti factus juxta regulas rationis, non potest esse illicitus. Ideo tum in lege Evangelica, tum Mosäica multi fuerunt sanctissimi conjugati.

Secunda ratio. Sicut ad conservationem vitæ unius hominis ordinatur usus ciborum; ita ad conservationem totius humani generis ordinatur usus venereorum: Ergo sicuti utri cibis juxta Regulas rationis non est peccatum; ita nec uti matrimonio . . . De hoc

PROPOSITIO II. Omnis actus comple-
tus luxuriæ extra legitimum matrimonium
est peccatum mortale, tantò gravius, quanto
species luxuriæ est deformior.

In hoc enim genere peccati non datur
parvitas materiæ; ut diximus, ob effrenem
quippe concupiscentiæ imperium actus libidi-
nosi imperfecti ad perfectos trahunt; & certo
periculo exponunt; exponere autem se peri-
culo peccandi mortaliter, est peccatum mor-
tale.

Probatur 1º. Script. *Neque fornicarii, ne-
que adulteri, neque molles, neque masculorum
concubitores, regnum Dei possidebunt.* 1. ad
Corinth. cap. 6. Ergo cum luxuries excludat
à regno Cœlorum est peccatum mortale.

2º. Ex Aug. *Nomine Mæchia omnis illici-
tus concubitus, atque illorum membrorum non
legitimus usus, prohibitus debet intelligi.* lib.
2. quæst. in Exodus quæst. 71. Ergo si Mæ-
chia sit peccatum mortale; mortale erit pa-
riter peccatum omnis actus luxuriæ comple-
tus, cùm juxta phrasim scripturæ Mæchia
nuncupetur.

3º. Ex D. Tho. *Inordinatio circa emissionem
seminis, est circa vitam hominis in potentia
propinquâ: unde manifestum est, quod omnis
actus luxuriæ inordinatus est peccatum mortale
ex suo genere.* q. 15. de malo a. 11.

4º. Ratione. Omnis inordinata seminis hu-
mani effusio, etiamsi fiat modo naturali,
qualis est fornicatio, adulterium, bono na-
turæ officit; officit enim proli nascituræ,
quatenus sanctæ ejus educationi non suffi-

cienter providetur. Si repugnet bono naturæ : ergò repugnat bono universali. Si repugnat bono universali , est peccatum mortale ; quia quod est contra bonum universale , non potest esse leve peccatum.

P R O P O S I T I O III. Luxuria est tantò gravior , quantò persona exercens actum luxuriæ , debet esse à peccato remotior.

Probatur 1°. Script. Daniel. 13. Ostendit gravitatem luxuriæ duorum senum concupiscentium Susannam , modo ex ætate , modo ex conditione judicium. Dixit enim primo. *Inveterate dierum malorum . . . Judicans iudicia iusta & innocentes opprimens.* Secundo vero *semen Chanaan & non Juda :* Ergo gravior est luxuria , quo persona debet esse à peccato remotior.

2°. Ex Concil. Ancyran. can. 16. In quo pœnitentiæ publicæ addicuntur omnes peccantes luxuriosè , sed gravioribus pœnitentiis subjiciuntur senes , quàm juvenes , conjugati , quàm non conjugati : Ergò censet Concilium peccatum eò esse gravius , quòd persona debet esse ab eo peccato remotior.

3°. Ratione. Circumstantia personæ multum facit ad cognoscendam naturam peccati ; quippè luxuries in sene , enormior est , quàm in juvene ; in illo enim ratio est vegetior , concupiscentia debilior : In isto ratio infirmior , concupiscentia ardentior. Luxuries in conjugato est enormior , quàm in soluto ; quippè conjugatus remedium habet , quo extinguat libidinem , non verò solutus. Luxuries gravior est in personâ sacrâ , quàm in laïco , quia in illa est sacrilegium , minimè

verò in alio. Ergo eo est gravior luxuria; quo persona peccans debet esse ab illo peccato remotior.

consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Usus matrimonii inter conjugatos potest fieri, nedum licet sed etiam sanctè, modò sistant intra limites matrimonii. Quinam sint illi limites dicetur infra.

C O N S E C T A R I U M II. Omnis actus completus luxuriæ est peccatum mortale, tanto gravius, quantò persona debet esse à peccato remotior; & ita attentè considerandæ sunt personæ, & à quibus, & circa quas peccata carnalia committuntur.

C O N S E C T A R I U M III. Omnis actus completus luxuriæ est peccatum mortale, etiam si fiat modo naturali, gravior tamen, quatnò species luxuriæ est deformior; & ita examinandæ sunt omnes illæ species.

C O N S E C T A R I U M IV. Fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium sunt peccata mortalia; quia sunt species luxuriæ De quibus jam sigilij agim.

A R T I C U L U S I I.

De Fornicatione.

P R O P O S I T I O unica. Fornicatio, seu concubitus naturalis soluti cum soluta est peccatum mortale. Propositio pertinet ad

fidem, definita est in Clement. ad nostras de hæreticis.

Probatur 1º. Scripturā. Hoc vitium in novo Testamento prohibetur simul cum idolatria Act. 15. v. 29. *Abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Ergo cùm idolatria sit peccatum mortale, ergo & fornicatio; & eadem Scriptura ait: *Fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis*, ad Ephe. 5. v. 3. *Omnis fornicator aut immundus non habebit hereditatem in regno Christi & Dei*, ad Ephe. 5. v. 4. Immò in veteri lege fornicatio prohibita est: *Non erit meretrix de filiabus Israël*, Deut. cap. 23. v. 17. *Attende tibi ab omni fornicatione.* Tob. 4. v. 13. Ergo.

2º. Ex Concilio Viennensi ubi damnata est hæc propositio: *Mulieris osculum, cum ad hoc non inclinet natura, est mortale peccatum: actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maximè cum tentatur exercens.*

3º. Ex Aug. *Adulterium verò sive fornicatio lethalem habet culpam*, Lib. de bonn conjug cap. 6.

4º. Ex D. Thom. *Cum fornicatio sit concupitus vagus utpote præter matrimonium existens est contra bonum prolis educandæ & ideo est peccatum mortale.* 2. 2. q. 154. a. 2. Nec obstat quod per accidens contingat aliquando problem ex fornicaria copula prognatam bene educari, quin & ditari: quia de rebus judicandum est secundum ea quæ eis convenient, per se, & non secundum ea quæ eis contingunt, per accidens.

5^o. Ratione. Fornicatio est contra vitam hominis nascituri , cum sanctæ ejus educationi non sufficienter provideatur , ergo est peccatum mortale ; quia peccatum contra vitam tum nostram , tum alterius est peccatum mortale ; ideò Ecclesiastici 15. v. 3. Dicitur , qui se jungit fornicariis erit nequam.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Gravior est fornicatio promiscua , quam furtiva . . . Quia promiscuè se offerens cuilibet venienti , magis impedit generationem , quam si unius solidi se subjiceret ; quia , dum plures coeunt , unus destruit , quod alius fecerat , & proinde hæc species fornicationis , utpote magis opposita generationi , est gravior.

C O N S E C T A R I U M II. Gravior est concubinatus , quam simplex fornicatio ; quia addit supra simplicem fornicationem consuetudinem fornicationis , & retentionem concubinæ , quasi uxor esset. Concubinarii , si sint Laici excommunicandi sunt ; si sint Clerici , nisi resipiscant , suis sunt beneficiis privandi ; ita Trident. ses. 24. de refor. cap. 8.

C O N S E C T A R I U M III. Concubinarii non sunt absolvendi , nisi prius concubinas rejecerint ; quia sunt in proxima occasione peccandi ; ita jubet Trident. Statuens eos . Si concubinas non ejecerint , seque ab earum consuetudine non sejunxerint , excommunicatione serendos esse , à qua non absolvantur , donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Conc. Trid. ses. 24. cap. 8.

ARTICULUS III.

De Stupro.

PROPOSITIO unica. Stuprum, scù illicita defloratio virginis est peccatum mortale gravius simplici fornicatione.

Probatur 1°. Script. Deut. 22. v. 28. dicitur : *Si invenerit vir pueram virginem, quæ non habet sponsum & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea patri pueræ quinquaginta siclos argenti & habebit eam uxorem, qui humiliavit illam : non poterit dismittere cunctis diebus vita suæ.* Si vero virgo stuprum patiens invita fuerit desponsata ipse stuprator morietur solus, ibid. v. 25 Ergo signum est stuprum gravius esse fornicatione simplici.

Comparatione stupri cum fornicatione. Stuprum est peccatum mortale. 1°. Quia involvit malitiam fornicationis. 2°. Est peccatum gravius fornicatione ; quia supra fornicationem addit injuriam factam virginis, corruptit enim ejus integritatem virginalem. 3°. Impedit virginem à legitimo matrimonio consequendo ; eamque exponit periculo meretricii. 4°. Inuria sit insuper parentibus, qui ejus curam gerunt, patri enim dicitur : *Super luxuriosam filiam confirmā custodiam ; ne quando faciat te in opprobrium venire ini- micis.* Eccles. 42. v. 11. Ergo stuprum est peccatum mortale longe gravius fornicatione.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Stuprator gravius peccat quam simplex fornicator, *stuprum enim*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 154 a. 6.: *Superaddit simplici fornicationi specialem deformitatem in specie luxuriæ.*

An vero haec circumstantia sit necessariò confitenda, non ita certum est, multi graves authores putant non esse necessariò confitendam, si nulla in stupro intervenerit violentia, nec ex stupro nascatur obligatio restitutionis; quia inquiunt, haec deformitas stupri non addit semper supra fornicationem circumstantiam mortaliter culpabilem, tum etiam quia difficillimè sciri potest? an adolescentulæ quæ corporis sui copiam faciunt sint virgines nec ne, maximè autem inquiunt molestum esset confessariis interrogare adolescentes? an ea quæ fuit objectum morosæ declarationis sit virgo.

C O N S E C T A R I U M II. Qui violentè stuprum infert, gravius peccat; eo qui consentientem commaculat, quia stupro addit violentiam.

C O N S E C T A R I U M III. Qui fictis promissis, importunis precibus, longo temporis intervallo virginem perlicit ad peccatum, gravissimè peccat; & haec circumstantia pertinacis temptationis operienda est in confessione; quia denotat perseverantem in peccando voluntatem.

ARTICULUS IV.

De Adulterio.

PROPOSITIO unica. Adulterium, seu accessus ad alienum torum, seu coitibus cum persona non comparte, est peccatum mortale.

Probatur 1°. Scripturā. Job 31. v. 11. ait Adulterium, *nefas est, & iniquitas maxima.* Paulus vero declarat quod, *Fornicatores & adulteros judicabit Dominus*, ad Hebreos 13. v. 4. Ergo adulterium est peccatum mortale.

2°. Ex multiplici pœna contraria adulterium destinata, Adulterium Omnis lex tamquam scelus gravissimum prohibet, Adulterium vetat lex naturalis, ut patet exemplo Abimelech, sic Isaac alloquentis : *Perspicuum est quod uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? quarè imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, & induxerat super nos grande peccatum.* Præcepitque omni populo, dicens : *qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Gen. 26. v. 9. Lex Mosaïca sic habet : Lev. 20. v. 10. *Si mæchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjugi proximi sui, morte moriantur & mæchus & adultera.* Lex Evangelica non mortem temporalem, sed æternam minitatur, *Fornicatores & adulteri regnum Dei non possidebunt.* Lex Canonica, adulteris, in totum pœnitentiae locum clausit, juxta Cypria. Epis. 52. vel tan-

tum in fine vita dandam communionem decrevit. Lex civilis pari similique ratione sacrilegos nuptiarum, tanquam manifestos paricidas, insuere culo vivos, vel exurere iudicavit, ut dicit Codex Theod. Ergo adulterium vetatur gravibus poenis; ergo est peccatum mortale.

3°. Ratione. Gravitas adulterii sumi potest ex variis circumstantiis quas percurrit. Eccl 23. v. 33. Adulter vel adultera: Primo in lege altissimi incredibilis fuit: Secundo in virum suum deliquit: Tertio in adulterio fornicata est: & ex alio viro filios statuit sibi. Addamus nos, quod in lege Christiana Sacramentum matrimonii, quod est figura unionis Christi cum Ecclesia, suo peccato violavit.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Adulterium committitur, cum conjugati habent copulam cum alio, quam cum compare, etiam ante matrimonium consummatum; quià matrimonium ratum non potest solvi, nisi per ingressum in Religionem.

C O N S E C T A R I U M II. Adulterium est peccatum gravius specificè, quam simplex fornicatio; & ita haec circumstantia, ut propter varians speciem, debet necessariò declarari in confessione.

C O N S E C T A R I U M III. Adulterium est gravius, quando utraque persona peccans est ligata matrimonio, quam si altera esset soluta; quià tunc adulterium est duplex ex parte utriusque personæ.

CONSECTARIUM IV. Adulterium committit, qui tradit corpus alteri à comparte, licet compars consentiat; quià adulterium est accessus ad alienum torum; vinculum enim Sacramenti non tollitur, nisi per mortem, juxta illud Pauli: *Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege vihi.* Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, ad Rom. 7.v.2. Quapropter damnata est hæc propositio: *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium;* ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum. Idem docet Aug. lib. 22, cont Faust. cap. 3.

CONSECTARIUM V. Quandò despontati copulam habent non cum parte, cui despontati sunt, sed cum alterà, non propriè adulterium committunt; sed peccatum committunt, quod videtur ad adulterium pertinere; quià violant fidem in sponsalibus promissam.

MONITUM. Si attendatur prolis incertitudo; quià adulterium uxoris reddit problem incertam, gravius est adulterium in muliere quam in viro; sed absolutè loquendo adulterium est gravius in viro, quam in muliere; quià vir caput est mulieris, debetque vir uxori exemplo prælucere, & uti est mente fortior, ita debet esse à libidine remotior, ideo ait Aug. Tantò gravius eos, id est viros, puniri oportet, quantò magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere faminas. Lib. de adult. conjug. c. 3. 88.

ARTICULUS V.

De Sacrilegio.

PROPOSITIO unica. Sacrilegium carnale, seu luxuria, quā vel persona Deo sacra, vel locus sacer per actum venereum fœdatur, est peccatum mortale tantò gravius, quantò persona est Deo solemnius consecrata, & locus est sanctuario propinquior.

Probatur 1º. Ex comparatione sacrilegii cum fornicatione. Sacrilegium habet deformitatem fornicationis, & insuper violationem rei sacræ, ergo est peccatum mortale.

2º. Ex pœnis contra illud vitium destinatis. Sacrilegium carnale gravibus pœnis Deus in veteri lege punivit, ut patet exemplo Ophni & Phinees, Heli sistorum; de quibus dicitur: *Dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi.* 1. Reg. v. 22. Quod scelus ita arguit Heli: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo, & non audierunt vocem patris: quia voluit Dominus occidere eos.* Ibid. v. 25.

Gentiles ipsi sacrilegium carnale sæva morte punitum voluerunt, ut patet exemplo filie Vestalis corruptæ, quæ vita sepulta est.

Jus verò Canonicum Clericos lapsos in peccatum carnale à suo gradu dejicit, Monachos & moniales è monasterio eliminat, & carceri addicit: *Clericus, qui post accipitrum sacram ordinem in peccatum carnis lapsus,*

fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat. Greg. lib. 3. Epist. 26. ad Januarium, & canon: *Impudicas*, ita habet; *Impudicas*, detestabilesque personas monachorum, & monacharum, quæ abjecto proposito sanctitatis, illicitâ & sacrilegâ contagione se miscuerunt, à monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus. Quæ omnia denotant sacrilegium peccatum esse gravissimum.

Quod idem peccatum crescat, vel ratione personæ, vel ratione loci, patet quia quod persona est Deo magis sacra, & locus est sanctuario propinquior, eò major irrogatur injuria Deo totius sanctitatis fonti.

Consecaria bujus doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. In uno sacrilegio possunt esse diversæ species luxurie, ob diversas deformitates, quæ in uno & eodem actu concurrent. Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. *Sacrilegium est species luxurie secundum quod ordinatur ad alterius viii finem, & potest concurrere cum diversis luxuria speciebus.* Si enim aliquis abutatur personâ conjunctâ sibi secundum spiritualem cognationem in Baptismo & Confirmatione, commitit sacrilegium ad modum incestus; si autem abutatur virginे Deo sacrata, in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii: In quantum verò est sub spiritualis Patris curâ constituta, erit quoddam spirituale stuprum: & si violentia inferatur, erit spirituale raptus. Qui etiam secundum Leges civiles

330 MORALIS CHRISTIANA.
gravius punitur, quam alius raptus, scilicet
poena capitali.

CONSECTARIUM II. Sacrilegium gravius est, cum utraque persona est Deo sacra, quam si altera esset tantum Deo consecrata; quia in priori casu duplex consecratio violatur, in secundo unica.

CONSECTARIUM III. Gravius est sacrilegium commissum per personam ligatum voto solemnii, quam ligatam voto simplici; quia votum solemnne habet fortiorum obligacionem apud Deum, quam votum simplex, & gravius peccat, qui illud transgreditur. D. Thom. 2. 2 q. 88. a. 7 ad 2. Quamvis tamen utriusque voti transgressor peccet mortaliter, ut docet ibid, D. Thom.

CONSECTARIUM IV. Gravius est sacrilegium Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, & Monachi, quam Sacerdotis, Diaconi, vel Subdiaconi, praecise secularis; quia votum solemnne Monachi est essentialiter annexum statui Monachatus, minimè vero statui Ecclesiastico. Et ideo dicunt, quod per Ecclesiam potest dispensari in voto continentiae solemnizato per susceptionem sacri Ordinis, & non potest dispensari in voto solemnizato per professionem Religionis. Ita D. Thom. 2. 2 q. 88. a. 11. in corp.

CONSECTARIUM V. Gravissimum est sacrilegium Sacerdotis cum filia spirituali, seu cum sua poenitente commissum, cum utitur sacramento poenitentiae ad illam provocandam ad libidinem; quia, ut ait Gregorius 15. cum Sacerdos tunc sacrosanto Poenitentiae sacramento abusatur, ac pro Medicis

nā venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti medico infernalis veneficus, ex Patre spirituali proditor execrabilis animarum redditatur.

Hujusmodi Confessarii sollicitantes pœnitentes vi Decretorum & Bullarum Clementis VIII. & Pauli V. & Pii IV. & Greg. XV. ubi hujusmodi Decreta recepta sunt & vigent; Denuntiandi sunt à pœnitentibus Inquisitoribus, ubi viget Inquisitio, vel Episcopis, ubi non viget Inquisitio, adeò ut fœmina sollicitata ad luxuriem, masculus sollicitatus ad Sodomiam per suum Confessarium, vi illarum constitutionum absolvi non possint sacramentaliter, nisi priùs Confessarium sollicitantem denuntiaverint; nec tollitur illa obligatio, per hoc quod tradatur charta sollicitans extrà Confessionem, vel per hoc quod mulier ad peccatum pellecta ipsi Confessario pellicienti confiteatur, ut determinavit Alexander VII. Ast ubi hæ constitutiones, aut non vigent, aut non receptæ sunt, manet semper obligatio naturalis, quā quilibet tenetur damna reipublicæ impedire, & malefactores, si non destiterint, denuntiare per media, quæ viris prudentibus judicabuntur aptiora. Ita evincunt sequentes propositiones damnatae ab Alexandro septimo. Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam in quā ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non denuntiandus est.

Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis, est si sollicitans confiteatur.

cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere
absque onere denuntiationis.

Hinc patet meritò per sanguinem Carolum
prohibitum esse Confessariis, ne confessiones
audiant illarum personarum, cum quibus
peccaverunt, nam jus commune id non pro-
hibet, ut dicetur fusiùs; ubi de Sacramento
Confessionis.

ARTICULUS VI.

De Incestu.

PROPOSITIO unica. Incestus, seu
luxuriæ peccatum cum consanguinea,
vel affini intrà gradus prohibitos, est pec-
catum mortale gravius fornicatione.

Probatur 1°. Comparatione incestus cum
fornicatione. Incestus præter deformitatem
fornicationis importat violationem honoris,
qui parentclæ debetur; unde Aug. lib. 15:
Civit. cap. 16. *Nescio quomodo incestus huma-
næ verecundia quiddam naturale, atque lauda-
bile, ut cui debet causâ propinquitatis vere-
cundum honorem ab ea contineat.* Et Levit. 18.
v. 6. dicitur: *Omnis homo ad proximam san-
guinis sñi non accedet, ut revelet turpitudinem
ejus.* Ego Dominus. . . . Ergo est peccatum
mortale.

2° Ex pœnis incestui destinatis: Deus
maledictionem incestuosis minitatur: *Ma-
ledictus, qui dormit cum uxore pairis sui,* &
revelat operimentum lectuli ejus: & *dicit om-
nis populus,* Amen. Deuter. 27. v. 20. & D.
Paulus Corinthium incestuosum excoimmu-

nicavit i. ad Corint. & jam incestus ut plurimum est casus reservatus. Quæ omnia denotant quām grave sit crimen incestus.

Consecratio hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. In confessione aperiendus est gradus consanguinitatis, vel affinitatis; quò enim propinquior est persona consanguinea, vel affinis, eò gravius luxuriæ peccatum quod cum ea committitur.

Sic gravius est peccatum luxuriæ cum matre, quām cum sorore; major enim debetur honorificentia matri quām sorori, item maior est peccatum cum sorore, quam cum consobrina, &c. Quamvis enim omnes incestus sint ejusdem speciei ut videtur docere D. Thom. Tamen notabiliter gravior incestus cum consanguinea quām cum affini, & cum consanguinea vel affini in primò gradu quām in secundò. Ergo id explicandum est in confessione; etenim circumstantiæ notabiliter agravantes confitendæ sunt.

C O N S E C T A R I U M II. In confessione aperiendus est gradus consanguinitatis, vel affinitatis quo inducitur impedimentum matrimonio, nè, qui incestuosè peccaverunt ob illud silentium, invalidè contrahant. Consanguinitas autem prohibens matrimonium inter consanguineos, & affinitas orta ex copula licet prohibens matrimonium inter affines, olim usque ad septimum, jam verò usque ad quartum gradum solum extenditur. Ita cap. Non debet, de consanguinitate, & affinitate ubi sic habetur: *Prohibitio quoque copula con-*

jugalis quartum consanguinatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gratiâ dispensio hujusmodi prohibitio generaliter observari. Affinitas vero orta ex copula illicitâ ex Trid. ses. 24 de refor. cap. 4. usque ad secundum gradum solum extenditur, ubi sic habetur: *Synodus impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit ad eos tantum, qui in primo & secundo gradu conjunguntur restringit.*

ARTICULUS VII.

De Raptu.

PROPOSITIO unica. Raptus, seu peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentiâ ad turpem actum cum ea exercendum, est peccatum luxuriæ longè gravius fornicatione.

Probatur 1º. Comparando raptum cum simplici fornicatione. Raptus præter deformitatem fornicationis, habet deformitatem violentiæ, quæ procedit ex magnitudine concupiscentiæ, ex quâ aliquis non refugit periculo se injicere violentiæ inferendæ. D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 7. ad 2. Ergo raptus est peccatum mortale longè gravius fornicatione.

2º. Ex pœnis contrâ raptum destinatis. Raptores puellarum in lege, etiam naturæ non impuniti relictæ sunt, ut patet exemplo Sichimitarum, qui ob vim illatam Dinæ, à

filiis Jacob omnino deleti sunt, in lege Moysaïcâ: *Vir, qui despontam pueram apprehendens, concubuerit cum ea, morti addicebatur.* Deuteron. c. 22. v. 23. à fortiori, si rapiens abduxisset. Jure Canonico, raptore mulierum, si sint Clerici deponuntur; si Laici excommunicantur: *Qui rapiunt mulieres pretextu conjugii, & adjutores, ac consentientes; si clerici sunt, decidant à gradu suo; si laici, anathematizentur.* [Chalcedonense Coacil. Can. 27. idem Trid. ses. 24. de reformatione cap. 6.] Jus civile raptorem infusione liquentis plumbi plecti edicit, sive invitam rapuerit, sive volente abduxerit, ita codex Theodosianus, & Justinianus raptores capite plectendos decernit, eorumque adjutores, & fautores, quæ omnia denotant, quam grave sit crimen raptus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Qui fœminam, aut virum invitos explendæ libidinis desiderio abducunt rei sunt raptus.

C O N S E C T A R I U M II. Pœnas latas contra raptore incurruunt etiam qui puellam seductam, quamvis consentientem, insciis aut dissentientibus parentibus, vel iis, qui loco parentum sunt abducunt; leges enim contrà raptum non solum sunt in favorem puerarum, sed etiam parentum, ita tenent Conc. Aurelianense 1. Can. 2. & Cod. Theod. lib. 9. titul. 24. de Raptu.

C O N S E C T A R I U M III. Ejusdem criminis reus pariter habendus est despontatus.

qui potest celebrata sponsalia , vellet sponsam etiam volentem è paternâ domo abducere , vel ut libidinem compleret , vel ut ad perficiendum matrimonium nolentem cogeret , sed non esset raptor , si nullo ex his motivis sponsam etiam nolentem abduceret , quamvis graviter peccaret , ita D. Thom. 2. q. 154. a. 7. ad 4. *Sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquid jus in sua sponsa ; & ideo quamvis peccet , violentiam inferendo , excusat* tamen à crimine raptus. Idem tenet Petrus Papus caus. 36. q. 1. Can. Lex illa.

CAPUT IV.

- De speciebus Luxuriae contrà naturam;

ARTICULUS I.

An & quale peccatum sic actus Luxuriosus contra naturam.

PROPOSITIO unica. Omnis actus completus luxuriæ , quæ est contrà naturam , est peccatum mortale gravius & turpius quocumque peccato luxuriæ , quæ non est contrà naturam.

Probatur 1°. Script. Luxuria contra naturam peccatum est , quod nominari non licet : *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis ; turpe est & dicere , ad Ephes. 5. v. 12. Ergo est peccatum mortale.*

2°. Ex patribus. Tertullianus lib. de pudicitia vocat peccata illa : *Libidinum furias impias , quia non sunt ; delicia , sed monstra , &*

Aug.

Aug. lib. 3. Confess. cap. 8. ait : *Flagitia, quæ sunt contrā naturam, ubique ac semp̄ detestanda, atque punienda sunt.*

3^o. Ex D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 12. ad 2. *Vitia contrā naturam tantò sunt graviora sacrilegii corruptelâ, quantò ordo naturæ humane inditus, est prior & stabilior, quam quilibet alius ordo superadditus.*

4^o. Ex Ratione D. Thom. In quolibet genere pessima est principii corruptio, ex. quo alia descendunt . . . Et ideo sicut in speculatoriis error circa prima principia est gravissimus, & turpissimus, ita & in practicis, & ideo vitium contrā naturam est gravissimum & turpissimum. Ibid incorp.

5^o. Ratione. D. Augustini quæ his verbis exprimitur : *Violatur quippè ipsa societas, que cum Deo nobis est : cum eadem natura cuius ille auctor est libidinis perversitate polluitur.* Confess. lib. 3. cap. 8.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM unicum. Ex dictis sequitur, quod nollities, Sodomia imperfecta, & Sodomia perfecta, bestialitas ; sunt peccata graviora aliis peccatis luxuriæ, quæ sunt secundum natutam, de quibus sigillatum agendum.

ARTICULUS II.

De Mollitie.

PROPOSITIO unica. Mollitie planè voluntaria, vel in se, vel in causâ, est

Tom. III.

Ff

peccatum mortale; imperfectè verò volita, vel in se, vel in causā, est peccatum veniale.

Probatur 1º. Scripturā. Nequè fornicacii, nequè adulteri, nequè molles, nequè masculorum concubitores regnum Dei possidebant.

1. Cor 6. v. 9. Deindè Onam polluebat se, sciens non sibi nasci filios. Et idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret. Gen. 38. v. 9. Ergo mollicitas est peccatum mortale cum excludat à regno cœlorum.

2º. Ratione D. Thom. Actus genitalium membrorum, ex quo numquā potest sequi generatio, est vitium contra naturam; actus autem prædictorum membrorum factus exrrā commixtionem maris & fœminæ est talis, ut ex eo sequi nequeat generatio prolis; ergo est peccatum mortale gravissimum, ita q. 15. de malo art. 3.

3º. Ratione Aug. per mollicitem sit ut: Memento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extre-
mum, pene omnis acies, & quasi vigilia co-
gitationis obruatur. Lib. 14. de civit. Dei
cap. 16. Ergo cum rationem obruat quā ho-
mo debet se dirigere est peccatum mortale.

4º. Damnata est hæc propositio à Papa
& Clero Gallicano: Mollilitas jure naturæ
prohibita non est; undè si Deus eam non in-
terdixisset, sœpè esset bona, & aliquandò obli-
gatoria sub mortali; Ergo cum pollutio ju-
re naturæ prohibetur, & sit in eo genere
peccati, in quo non est paritys materia: pollutio
debet esse peccatum mortale.

consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccatum mortale est mollities Quietistarum, apud quos nihil refert, quid sensus agat, quid patiatur, modò animus Deo conjungatur; quia facta illa cum Deo adhæsio mollitiem ab intrinseco malam, licitam reddere non potest, & qui adhæret Deo, tales spurcitas non fovet, sed perhorrescit, juxta illud Pauli: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis..... Manifesta sunt opera carnis, qua sunt immunditia, impudicitia, luxuria..... Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Galat. 5. v. 16.

C O N S E C T A R I U M II. Peccatum mortale est mollities, quam sibi quis procurat, putans erroneè eam esse licitam; quia lex naturæ non potest ab adulto quoad hanc prohibitionem invincibiliter ignorari exemplum habemus hujus veritatis in Petro Damiano, lib. Gomorrhiano cap. 20. ubi dicitur, quod: *Eremitæ cuidam suggestum est per diabolum, ut quandcumque libidine titillaretur, sic semen de ritu genitalis membra egerere deberet, & tanquam phlegma de naribus projiceret, qui ob id Dæmonibus moriens vidente socio traditus est.*

C O N S E C T A R I U M III. Peccatum mortale est mollities eveniens vigilanti cum deliberato consensu illius, etiamsi intenderetur sola sanitatis causâ; quia tunc, ut pote libertà, est peccatum: *Cum autem sit ista consensio, tunc exit ex ore cordis, quod coinqui-*

nat hominem. Aug. lib. de continentia cap. 2.
 & Antoninus. 2. Parte tit. 6. cap. 5. Si in
 vigiliâ quis voluntariè se pollueret ob sanit-
 tam solum, non excusaretur a Mortali; quia
 facit direttè contrâ finem intentum à naturâ,
 qui non est a ius in emissione seminis volunta-
 ria, nisi generatio, qua per illum motum se
 qui non potest.

CONSECTARIUM IV. Peccatum mor-
 tale est mollities eveniens dormienti planè
 voluntatia, vel antecedentè in causâ, vel
 concomitantè in actu, vel consequentè in
 effectu, ita D. Thom. *Quandoque verb pre-
 cedentes cogitationes sunt cum concupiscentia &
 delectatione; & si adsit consensus, erit pecca-
 tum mortale in pollutione nocturnâ; si autem
 desit, erit veniale.* 3. Part. q. 80. a. 7. in C.

Potest tamen contingere, quod in ipsa evigila-
 tione peccatum oriatur; si quidem pollutio
 propriè delectationem placeat, quod quidem
 erit veniale peccatum, si sit ex surreptione ta-
 lis placentia, mortale autem, si sit cum delibe-
 rante consensu, & præcipue cum appetitu fu-
 turi. Ista autem placentia non facit prateri-
 tam pollutionem peccatum; quia ipsius causa non
 est, sed ipsa in se peccatum. In 4. Dist. 9:
 q. 1. a. 4. Quocunq; l. ad 1.

Et ita pollutio veniens ex causâ morta-
 litè culpabili, v. g. veniens ex ebrietate,
 ex colloquio valde in honesto, ex aspectu
 turpium, ex lectione lasciviorum, ex valde
 in honestâ corporis compositione, est pec-
 catum mortale.

Pollutio vero veniens ex causâ venialitè
 culpabili, v. g. ex lœvi excessu, vel in cibo,

vel in potu, ex colloquio venialiter in honesto, & negligentia veniali præparationis ad devotionem, est peccatum veniale, ut docet D. Thom. 3. Par. ibid.

CONSECTARIUM V. Pollutio omnino involita, vel in se, vel in causâ, nullatenus est peccatum, ita D. Thom. Corporales motus non pertinent ad meritum, vel demeritum, nisi secundum quod à voluntate quasi à principio causantur: & ideo si illi motus sint omnino involuntarii, non est peccatum, iterum idem D. Thom. 2. 2. q. 154 art. 5. In dormienda ratio non habet liberum judicium; unde id, quod agit homo dormiens, non imputatur ei ad culpam, sicut nec illud quod agit furiosus, aut amens; & ita in sequentibus casibus pollutio nullatenus est peccatum.

1^o. Quandò causatur ex malitia Dæmonis, tum per vigiliam, tum per somnum, commoventis imaginationem, & excitantis spiritus venereos.

2^o. Quandò causatur ex debilitate naturæ non valentis efformatum semen retinere.

3^o. Quandò causatur ex robore naturæ corruptum & superfluum semen expellentis.

4^o. Quandò causatur ex cogitatione speculativâ & necessariâ, putâ cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare, qualis est Doctor & Confessorius, idquè facit adhibitis prius preceptibus.

In illis casibus, si nulla sit in nobis complacentia, sed displicantia, nullum est peccatum, ut docet D. Thom. ibid. loco citata 3. parte & in 4.

MONITUM. An licitum sit appetere pollutionem involuntariam, & gaudere de illa, prout est alleviatio naturæ, res est maximè dubia; nam hoc licet orare, quod licet desiderare; tamen Ecclesia non permittit, quod Deum oremus, ut pollutio in somnis eveniat, sed è contra dicimus: Hostium què nostrum comprime, ne polluantur corpora. Itaque juxta Gersonium salubrius est: cogitationes circa rem hanc divertere, quæ habere.

ARTICULUS III.

De Sodomia imperfecta.

PROPOSITIO unica. Sodomia imperfecta, seu inordinatus concubitus, seu extra matrimonium, sive in matrimonio, quoties generatio prolis impeditur, est peccatum mortale, gravius pollutione.

Probatur 1^o. Ex comparatione Sodomie cum simplici pollutione. Sodomia præter pollutionis deformitatem, habet & comparatis scandalum & inordinati concubitus defecatum ergo est peccatum mortale.

3^o. Ex Aug. lib. 2. de adulterinis conjugiis. cap. 12. Illicite & turpiter etiam cum segnissima consumbitur, ubi prolis concepcionem difficiatur, quod faciebat Onam filius Iude, & occidit illum propter hoc Deus. Ergo Sodomia etiam imperfecta est peccatum mortale.

li missiv Confessaria bujus Doctrinæ.

C O N F E C T A R I U M I. Inordinatus concubitus inter conjugatos est turpior, quam inter non conjugatos ob injuriam factam Sacramento: *Cum vir membro mulieris non ad hoc concessio uti voluerit; turpior est uxor, si in se, quoniam si in alia fieri permiserit.* Alig. de bono conjug. cap. II.

C O N F E C T A R I U M II. Sodomia imperfecta est gravissimum crimen sit; non tam videtur esse casus reservatus ubi Sodomia reservatur.

ARTICULUS IV.

De Sodomia perfecta.

P R O P O S I T I O unica. Sodomia perfecta, seu concubitus cum personâ ejusdem sexus, est peccatum mortale gravius pollutione, & inordinato concubitu.

Probatur 1º. Ex comparatione Sodomia cum simplici pollutione, Sodomia præter deformicatem pollutionis, habet inordinatum amorem ad personam ejusdem sexus.

2º. Ex pœnis contra Sodomiam destinatis. Lex naturalis damnat illud vitium, ut patet ex Paulo sic loquente: *Fæminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contraria naturam. Similiter autem & masculi, relitto naturali usu fæminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos tarpitudinem operantes, & mercedem, quam*

oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes, ad Rom. cap. 1. v. 26. ubi Apostolus vitium illud, quasi naturali lege damnatum exhibet, & Deus in lege naturæ crimen illud igne & sulphure punivit: Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem. Geneseos. 19. v. 24.

Lex Mosaïca morti addixit. Sodomitas: *Qui dormierit cum masculo coitu fæmineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos. Levi. 20. v. 13.*

Lex Evangelica impuros illos homines à cœlorum regno privat: *Masculorum concubatores regnum Dei non possidebunt. 1. Corin. 6. v. 10.*

Lex civilis eos flammis addicit: *Hujusmodi scelus spectante populo stammis vindicibus expiabunt. Lib. 9. Codicis Theodosiani.*

Lex Canonica Clericos dejicit è Clero, & in Monasterium detrudit; Laicos vero excommunicatione plectit, ita Lateran. 3. cap. Clerici, de excessibus Prælatorum: ergo signum est Sodomiam perfectam gravissimum esse peccatum.

Consecaria hujus Doctrina

C O N S E C T A R I U M I. Gravius peccat, qui turpiter agit, quam qui turpiter patitur, ut vulgo docetur ab omnibus, sed quidquid sit de hoc.

C O N S E C T A R I U M II. Sodomia est peccatum gravius. Adulterio, Incestu, &c, ut docet Aug. lib. 1. de adulternis conjugiis ubi sic habet, *omnium horum vitiorum est pessimum, quod contra naturam sit.*

CAPUT V.

De actibus imperfectis Luxuriae.

ARTICULUS I.

An peccatum & quale peccatum sit & actus imperfecti Luxuriae.

PROPOSITIO unica. Actus imperfecti Luxuriae, v. g. morosa delectatio de rebus obscenis, aspectus libidinosi, verba & colloquia lasciva, oscula lasciva, amplexus, tactus lascivi extra matrimonium. Si hac omnia fiant cum plena deliberatione sunt peccatum mortale ejusdem speciei, in qua est actus exterior compleatus.

Probatur 1^a. Scripturā: *Omnis, qui videbit mulierem ad concupiscendum eum, jam mactatus est eam in corde suo. Mathæi 5. v. 28.* Ergo cum actus illi libidinosi comparentur cum mæchia & mæchia sit peccatum mortale, illi actus sunt peccata mortalia.

Ratione 2. Hujusmodi actus ex natura sua ordinatur ad delectationem venereum, quæ de se est peccatum mortale. Ergo sunt peccata mortalia.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Illi actus involvunt malitiam unius dum taxat speciei; si ad unam tantum speciem ordinentur; multiplicis vero, si ad speciem multiplicem ordinentur,

Sic, habent malitiam fornicationis, si tendant ad peccatum fornicationis; malitiam stupri, si tendant ad stuprum, malitiam molitiei, si tendant ad molitiem; malitiam Sodomiae, si tendant ad Sodomiam, bestialitatis, si tendant ad bestialitatem.

ARTICULUS II.

De visu libidinosa.

PROPOSITIO unica. Aspectus libidinosi sunt peccata mortalia.

Probatur 1^o. Scripturā. Jerem. Thren. 3. v. 51, ait: *Oculus meus de prædactus est animam meam*: quia ut explicat Greg. lib. 21. Mor. cap. 2. Concupiscendo visibilia in visibiles virtutes amisit D. verò Petrus, sic aruit visus impudicos: *Oculos, inquit, habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti.* 2. Petri 2. v. 14. Ergo cum visus impudici perdant animam, & diliictum incessabile attrahant visus impudici sunt peccata mortalia.

2^o. Ex Patribus Chrisostom. sic habet: *Qui studet elegantes facie inspicere, ipse præcipue fornacem sibi istius passionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoquè celeritè adducit.* Homil. 17. in Math. Tertul. Apolog. cap. 46. describens; qualis esset Christianus sui temporis sic loquitur: *Christianus salvis oculis fæminam videt, animo adversus libidinem cæcus est.* Ergo censet Christianum non esse qui in aspectu libidinoso delectatur. Aug. veritatem hanc firmat exemplo

Davidis : *De longe vidit illam*, inquit, *in qua captus est; mulier longè, libido propè*, in Psal. 40. Ideò audiendus est Job. cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis*, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Audiendus est David psal. 118. v. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* Audiendus sapiens : *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.* Eccles. 9. v. 5.

4. Ratione. Aspectus libidinosi ad libidinem illicitam provocant juxtà illud Ecclis. 9. v. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Ergo aspectus libidinosi plenè deliberati sunt peccata ex suo genere mortalia.

Consecrarium hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant mortali-
ter qui absque necessitate & rationabili cau-
sa, v. g. medendi, &c. Libidinosè intuentur
eas alterius sexus partes quæ ad libidinem
excitant tales sunt partes secretæ quas pu-
dor jubet operiri de quo Chrys. in sermone
de Joseph. *Job diabolum quidem videns non
fugit, sed mansit sicut leo viribus fidens: Vir-
gine autem visâ non fleit, neque moratus est
in contuendo sed statim secessit.* Si Virginis fa-
tiem intueri non liceat, à fortiori eas partes
quæ ardentiùs ad libidinem excitant.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant qui ci-
trà necessitatem se ipsos in partibus secretio-
nibus aspiciunt, hoc enim indecorum & tur-
pe esse natura ipsa suggestit, idque constat
ex primis parentibus qui cum cognovissent
se esse nudos consuerunt folia ficus & fece-
wiat sibi perizomata Gen. 3.

CONSECTARIUM III. Peccant qui affectu libidinoso curiosè inspiciunt vel animalia coëuntia , vel personas diversi sexus , aut indecorè nudantes se , aut aliquid turpe operantes ; hæc enim solent ad libidinem provocare & juxta Hierony. *Intuere non debet homo , quod concupisci non licet , & ut munda mens servetur , deprimendi sunt oculi , quasi quidam raptiores ad culpam.*

CONSECTARIUM IV. Peccant qui imagines turpia representantes aspiciunt retinent , vendunt , &c. hæc enim urgens est tentatio , & præsens periculum peccati , ut patet exemplo illius adolescentis de quo Terentius ait quod concitatavit se ad libidinem videns imaginem in qua jovis adulterium delineabatur.

MONITUM. Dixi aspectus libidinosos esse peccata mortalia nam juxta D. Antoni. 2. P. tit. 5. cap. 1. S. 7. A pectus faciei & partium honestarum pulchrae fœminæ in viro potest multipliciter contingere ab' que peccato ; scilicet , vel ex casu sine præmeditacione , vel ex causa rationabili , putâ ut eam noscat & ab alijs discernat , aut ut de utilibus cum ipsa loquens attentiore reddat , aut ut fucos & vanitates illius melius argere valeat , &c. Idem cum quadam proportione potest contingere in fœmina virum aspiciente. In illis casibus observanda est ista D. Aug. regula. *Oculi vestri eis jacentur in aliquam fœminarum , in nullam figantur ; quia scriptum est , abominatione est Domino desigens oculum.*

ARTICULUS III.

De Verbis obscenis.

PROPOSITIO unica. Verba impudica cum affectu libidinoso proferre, vel audire, cantica lasciva edere, aut canere, aut audire, vel legere, est peccatum mortale.

Probatur 1º. Script. *Fornicatio, aut omnis avaritia, nec nominetur in vobis, sicut dicit sanctos.* ad Eph. 5. v. 3. Ergo cum colloquia lasciva sint contra sanctitatem Christianam sunt peccata mortalia.

2º. Ex pœnitentiali Romano. *Qui per turpiloquium, vel aspectum coinqinatus est; tam non voluit peccare corporaliter, viginti dies peniteat,* cap. 23. Ergo cum verba obscena mereantur pœnitentiam canonicam, debent esse peccata mortalia.

3º. Ex Antonino parte 2. tit. 5. cap. 10. §. 8. Nulli dubium est, quod qui dicit verba turpia, & lasciva hac intentione, ut se, vel alium provocet ad luxuriam, vel mente se delectandi in locutione, & cogitatione turpium; mortaliter peccet.

4º. Ratione. *Corrumptunt bonos mores colloquia prava,* ut dicit Paulus 1. ad Corinth. cap. 15. 33. Ergo lasciva colloquia ad luxuriam trahunt; & ita sunt peccata mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant graviter omnes, qui verba lasciva proferuant, audiunt,

tum ut se , tum ut alios sollicitent ad peccandum , quod prohibet Apostolus his verbis : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* ad Eph. 4. v. 29.

CONSECTARIUM II. Peccant vulgo mortaliter qui lasciva cantica edunt , canunt , audiunt , &c. Circà quod ita monet Clemens Alexandrinus : *Amatoria quidem absint cantica ; sint autem cantica , Dei laudes.* Lib. 2. Pædagogi cap. 4.

CONSECTARIUM III. Peccant vulgo mortaliter qui lascivos libros edunt , audiunt , retinent ; 1^o. Quia libros de rebus obscenis , turpibus , impudicis , tractantes inflammados jubent Concilia Mediolanense , Turense , Burdigalense . Ergo peccant mortaliter qui eos edunt , retinent , legunt contra vetitum Conciliorum 2^o. Quia hi omnes exponunt se & exponunt alios peccandi periculo.

CONSECTARIUM IV. Peccant mortaliter qui loquuntur de peccatis lascivis , vel à se , vel ab aliis commissis ; aut loquuntur , committendis , inquam , non vituperando , sed laudando , vel excusando , in quo faciunt illud , quod execrandum dicit Scriptura : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ , & iniquus benedicitur.* Psal. 10. v. 3.

CONSECTARIUM V. Peccant mortaliter & peccato lascivis , & peccato scandali , qui coram infirmis , & ad illud peccatum propensis , de rebus lascivis sermonem habent ; tunc enim licet non sit prava intentio in proferente ; tamen juxta Antoninum per accidens potest esse peccatum mortale

TRACR. V. DE VI. ET IX. PRÆCSEP. 351
tatione scandali, seu ruinæ indè sequentis
alicujus.

CONSECTARIUM VI. Si contingat
præter intentionem talia audiri, audientes
eos sermones obscenos vitare debent, vel
saltem displicentiam mentis habere, quò
spectat illud Ecclesiastici 28. v. 28. *Sæpi*
aures tuas spinis, linguam nequam noli andire,
& ori tuo facito ostia, & seras. Ut enim op-
timè monet Ambro lib. de pœnit. cap. 14.
Libido pascitur conviviis, nutritur deliciis,
vino acceditur, ebrietate inflammatur, & pos-
*tea subjugavit, graviora sunt fomenta ver-*borum.**

ARTICULUS IV.

De tactibus, & osculis libidinosis.

PROPOSITIO unica. Tactus impudici;
oscula libidinosa inter non conjugatos
sunt peccata mortalia.

Probatur 1º. Script. *Fornicatio, & omnis*
immunditia, nec nominetur in vobis, sicut de-
cet sauctos. ad Eph 5. v. 3. Ergo cum oscula
& tactus impudici ad immunditiam perti-
neant debent censeri peccata mortalia.

2º. Ex Cypr. *Ipse concubitus, ipse comple-*
xus, ipsa confabulatio, & osculatio, & con-
jacentium duorum turpis & fœda dormitio,
quantum dedecoris & criminis confiteetur. Epist.
62. ad Pomponium: Ergo si ibi crimen sit ibi
est peccatum mortale.

3º. Ex Hierony. in vita S. Hilarionis, ubi
ait: quod *Tactus, joci, nullus, & cetera hu-*

352 MORALEIS CHRISTIANA.
jusmodi sunt morituræ virginitatis principia?
Ergo.

4°. Ex D. Thom. *Oscula & tactus*, quamvis secundum se non impeditant bonum prolixi humanæ, procedunt tamen ex libidine, quæ est radix hujusmodi impedimenti, & ex hoc habent rationem peccati mortalis. 2. 2. q. 154. a. 4. ad 2.

5°. Ratione. D. Thom. ibid. Minus est aspectus libidinosus, quam tactus, amplexus, vel osculum: sed aspectus libidinosus est peccatum mortale secundum illud Matthæi 5. Qui videbit mulierem ad concupiscentum eam, jam Mœchatus est eam in corde suo: Ergo multò magis osculum libidinosum, & alia hujusmodi sunt peccata mortalia.

6°. Sequens propositio damnata est à summo Pontifice: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.*

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Tactus, oscula extrâ matrimonium sunt peccata mortalia; licet non fiant cum ea delectatione, quæ contingit in seminis effusione, quiā ordinantur ad delectationem illam venereum.

CONSECTARIUM II. Tales actus sunt ejusdem naturæ cùm perfectis & consummatiis; idèoque exprimendæ sunt in confessione circumstantiæ, vel aggravantes, vel mutantes speciem, v. g. an tales tactus faci

suetint cùm personâ ejusdem sexus , vel diversi sexus , cùm virgine , vel cùm corruptâ , cùm solutâ , vel cùm conjugatâ .

C O N S E C T A R I U M III. Oscula , tactus , amplexus , compressiones manuum , & similia , quæ solent fieri ex levitate & petulantia , & amoris fovendi causâ , eandem videntur habere malitiam , propter periculum proximum incidendi in peccatum consummatum .

C O N S E C T A R I U M IV. Tactus , oscula , amplexus pertinent reductivè ad eam speciem , in qua est actus completus .

Sic actus illi , quibus personæ ejusdem sexus supercubantes , osculantes se , tangentes se , polluuntur , sunt actus Sodomitici ; & ubi Sodomia est casus reservatus juxta Sayrum ille casus est reservatus , juxta alios non est reservatus ; in illo dubio interrogandi sunt Episcopi , & sciendum quæ fuerit eorum mens : juxta enim regulam generalē actus quantumvis obscenus non censetur reservatus , nisi sit completus .

Sic tactus , oscula , amplexus erga virginem , reducuntur ad stuprum , erga personam solutam ad fornicationem pertinent , erga personam conjugatam ad adulterium spectant , &c .

M O N I T U M I. Dixi oscula libidinosa hoc præcepto prohiberi : multiplex enim est osculum .

1^o. Est osculum adulatorium . Tale fuit osculum quo Absalon deosculabatur populum ut eum contra patrem Davidem concitaret . Reg. cap. 15. & hoc osculum ad illud pcc.

354 MORALIS CHRISTIANA.
catum reducitur quod sibi proponit ille qui
operatur.

2°. Est osculum simulatorium. Tale fuit
osculum quo Judas deosculatus est Christum,
ut eum Judæis traderet. Matth. 26. v. g. &
tale osculum pertinet ad proditionem.

3°. Est osculum Urbanitatis. Tale fuit os-
culum quo Jacob Rachelem salutavit. Gen.
29. v. 11. *Adaquata grege, osculatus est eam,*
& elevata voce flevit, & indicavit ei quod fra-
ter esset patris sui. Et tale osculum est signum
amicitiæ. Nullumque peccatum includit.

4°. Est osculum Sanctum. Tale erat oscu-
lum quo antiqui Christiani osculabantur se,
ut pares se profiterentur, de quo Paulus ad
Rom. 16. v. 16. *Salutare, inquit, invicem in*
osculo sancto. Ostendebant enim eo modo
Christiani; inquit Grotius post Justinum &
Origenem. Omnes inter se pares esse, nam
apud Persas & apud Orientales populos, pates
os inter se jungebant; Superiores vero da-
bant manum osculandam inferioribus.

5°. Est osculum impudicum, de quo Prov.
7. v. 6. *Apprehensumve deosculabatur juve-*
nem. Istud autem osculum isto præcepto pro-
hibetur, eo quod afferat secum non delecta-
tionem merè sensualem sitam in proportione
& conformitate rei tactæ cum organo tactus;
sed habeat insuper adjunctam commotionem
spirituum generationi inservientium si non
in utroque deosculantium se, saltem in al-
tero. Adeò ut vix sine consensu in ulterio-
rem libidinem exerceatur.

CAPUT VI.

De variis fomentis lasciviae.

ARTICULUS UNICUS.

De Comœdiis & Choreis.

PROPOSITIO unica. Comœdiæ publicæ, in quibus sunt Actores & Actrices, Cantores & Cantatrices, Saltantes & Saltatrices, sunt prohibitæ, eisque interesse prohibitum est. . . . Chorea pariter, in quibus viri cum mulieribus choros ducunt sunt prohibitæ.

Probatur 1^o. Script. *Cum Saltatrice ne assiduis sis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Ecclis. cap. 9. v. 4. Utrumque autem contingit in Comœdia & Chorea, ubi auditur, & videtur, mulier pelliciens ad peccandum. Et rursus. *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exulant lusibus, tenent Tympanum & Cytharam, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos.* Quæ omnia fiunt in Comœdiis & Choreis. Sed audi poenam: *Et in puncto ad inferna descendunt.* Job. 21. v. Ergo cum in comœdiis & choreis idem & pejora fiant. Chorea, Comœdiæ sunt illicitæ, adde quod vaticinatus est Isaias: *Et dixit Dominus: pro eo quod elevatae sunt filie sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant;* quod utique exactè in Comœdiis observatur propter hoc:

*Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion,
& Dominus earum crinem nudabit.* Isaías 3.
cap. v. 16. Ergo ex Scriptura Choræ & Co-
mœdiæ sunt illicitæ.

2°. Conciliis , Concilium Laodicenum
an. 320. damnat choræas : *Non oportet , ait .*
Christianos ad nuptias euntes , vel Balare , vel
saltare , sed castè cœnare , vel prandere , sicut
competit Christianis. Conc. Afric. cap. 27.
Vocat saltationes sceleratissimas. Idem dicunt
Concilium Toletanum 3. cap. 22. Cartagi-
nense cap. 61. Cabellion. cap. 19. Comœdias
etiam damnat , Concilium Illiberitanum. can.
62. ubi ita habet : *Si pantomimi credere volue-*
rint ; placuit prius artibus suis renuntient , &
tunc demum suscipiantur ; ita ut ulterius ad ea
non revertantur , quod si facere contra inter-
dictum tentaverint , rejiciantur ab Ecclesia.
Et Concil. Arelat. can. 5. ait : *De theatricis*
& ipsis placuit , quandiu agunt , à Communio-
ne separari. Et Concil. Cartaginens. 3. can. 2.
ait : *Ab spectaculo & omnes laici prohibeantur ;*
semper enim Christianis omnibus hoc interdic-
tum est , ut ubi blasphemii sunt , non accedant.
jus etiam civile idem vetat. Cod. Theodos.
L. 15. tit. 7.

3° Ex patribus Tertullianus libro de spec-
taculis , multis probat argumentis Choræas
& Comœdias illicitas esse.

1°. Quià Comœdi sunt infames , tam jure
civili , quam Canonico ; *Cujus rei autores ,*
cum acceptissimi sint , sine nota non sunt.

2°. Quià Deus vetuit , ait enim ; *Non amat*
falsum autor veritatis ; adulterium est apud il-
lum omne , quod singitur. Et proinde vocem ;

sexus, ætates menientem; amores, iras gemitus, lacrymas asseverantem; quod utique fit in theatris, non probabit.

3º. Quià in baptismate renuntiavimus Diabolο, & pompis ejus; quæ utique in Comœdiis & Choreis splendide patent.

4º. Quià Comœdiæ & Choræ spiritum Christi extingunt: An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illuc, ubi nihil est de Deo.

5º. Quià Comœdiæ & Choræ injustos motus carent in anima, v. g. amorem impudicum, injustum odium, &c. Prædictas rationes, & plures alias disertis verbis prosequitur Tertullianus lib. de spectaculis, & cap. 33. sic concludit: Nihil est nobis dictu, visu, auditu, cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xysti vanitate.

Cyprianus Epis. 61. histriones excommunicat: Pro dilectione tua, inquit, & verecundia mutua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrione... An talis debeat communicare nobiscum; puto nec majestati divine, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fædetur.

Lactantius vero lib. 6. Divi. instit. cap. 20. Histriorum quoque impudicissimi motus, quid aliud, nisi libidines docent, & infligant... Quid de mimis loquar corruptelarum proferentibus disciplinam; qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis eruditunt ad vera.

Chrysostomus hom. 48. in Math. Multæ Choræ & saltationes homicidæ peraguntur, in quibus non jam sanctissimus præcursor interficitur.

citur, sed ipsa Christi Jesu membra jugulan-
tur. Sed quia forte dices hæc hyperbolice
dicta ab antiquis patribus, audi recentiores
etiam scholasticos, immò ipsos Paganos Phi-
losophos.

Alexand. Halensis P.4.q.48. Sic habet. *Ad il-
lud quod dicitur, quod cantus chorearum non est
malus in se; est tamèn malus ratione concur-
rentium, quæ sunt excitatio ad lasciviam,
provocatio ad libidinem, impedimentum cultus
Dei, & alia hujusmodi, hæc ille.*

Gerson parte 4. operum sermone Domini-
cæ 3. adventus ait: *Choreas ob fragilitatem
difficile sine diversis peccatis agitari, & om-
nia peccata cadere, & concurrere in Choreas.*

Franciscus Petrarcha loquens proprio ex-
perimento Dialogo 24. ait: *Choreas veneris
præludium esse; liberæ, inquit, ibi manus, li-
beri oculi, liberæ voces volant, pedum strepi-
tus, multarum cantus dissoni, & tubarum clan-
gor, concursatio & pulvis, & quæ sèpè ludis
additur, hostis pudicitiae, & amica scelerum,
nox ipsa, hæc sunt, quæ timorem, ac pudorem
pellunt hi sunt libidinum stimuli, hæc laxame-
ta licentiae.*

Ipsi Pagani choreas & theatra reproba-
runt, undè Cicero pro Murena: *Nemo sobrius
saltat, nisi forte insanit, & Seneca Epis. 7.
Nihil est iam damnosum honestis moribus, quam
in aliquo spectaculo residere; hanc enim per vo-
luptatem facilius vicia subrepunt.*

Ex Aug. præstat arare, vel fodere die Do-
minico, quam choreas ducere: Ergo ex pa-
tribus, ex Theologis, ex ipsis Paganis Phi-
losophis choræ & comœdiæ sunt illicitæ.

3'. Ratione. Prima Ratio. Mundana illa oblectamenta chorearum & comœdiarum à Diabolo processerunt; nām choreæ, in quibus viri cum mulieribus saltant, nunquam in usu fuerunt apud populum Dei, sed solum apud idololatras, apud quos is erat mos, ut in sacrificiis viri cum mulieribus choros ducerent, & sic se ad libidinem provocarent. *Judei* verò ita choros agebant, ut viri cum viris, mulieres cum mulieribus, & hoc scilicet in solemnioribus Festis, Religionis officio, potius quam delectationis studio, choros agerent; quod constat ex eo, quod Maria prophetissa Araonis soror, unà cum mulieribus cum tympanis & choris laudes Dei cecinerit ob Pharaonem projectum in mare. *Exodi* 15. Item tempore David: *Præcinebant mulieres, saltantes, atquè diceentes: percussit Saül mille, & David decem millia.* *I. Regum* 18. idem patet ex filia Jephthe, quæ venit obvia patri, choros puellarum dicens, & non virorum, lib. *Jud. cap. II.* Item filiæ Silo, saltantes & choros ducentes, non erant viris promiscue, quandò raptæ sunt à Benjamitis, sed solæ procedebant, ut patet ex lib. *jūdicum cap. 21.*

Comœdiæ pariter à Diabolo processerunt, qui primus hominibus inspiravit, ut in theatris deorum vitia coram populo exhiberent, ut sic homines non erubescerent ea vitia committere, quæ à Diis ipsis commissa palam exhibebantur.

Secunda Ratio. Non legitur sanctos viros, tum Judeos, tum Christianos, mundanis hujusmodi delectationibus induluisse; non

enim vidimus choreas in Cana Galileæ , quin immò Judæi impudica illa tripudia quasi idolatriam execrati sunt , quod innuit locus Exodi. 33. *Sedit populus manducare & bibere , & surrexerunt ludere.* Christiani verò mundanis illis pompis in baptismate renuntiant.

Tertia Ratio. Comœdiæ & choreæ sunt proximæ occasionses ad libidinem accendendam ; quippè vix fieri potest , quin ibi non sint aspectus intèr viros & mulieres , quos tamèn ità Scriptura prohibet : *Virginem ne conspicias , ne forte scandalizeris in decore illius. Proptèr speciem mulieris multi perierunt.* Ecclesiast. 9.v.5. vix fieri potest quin ibi sint mutua hominum & virorum colloquia , de quibus ità Scriptura : *Speciem mulieris alienæ multi admirati , reprobi facti sunt : colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Eccli. ibid. Sunt ibi pariter cantilenæ , & instrumenta Musica ad libidinem provocantia , juxtà illud : *Cum saltatrice ne assiduus sis , nec audias illam , ne forte pereas in efficaciâ illius.* Sunt insupèt ibi propinquiores intèr viros & mulieres accessus , qui magis contagiosi sunt , quam morsus rabidissimi canis , ut ait Hieron. quem accessum ità reprobat Scriptura: *Cum alienâ muliere ne sedeas omnino , nec accumbas cum ea super cubitum.* Eccli. I. 12.

Quarta ratio. Choreæ & Comœdiæ omnem spiritum Christianæ Religionis extinguunt.... Christiana Religio luctum , fletum inspirat. *Beati , qui lugent , &c.* Mundus gaudebit , *vos verò contristabimini....* Choræ verò & Comœdiæ nihil nisi risus & cachinnos inspirant. Christiana Religio modestiam & gravitatem

vitatem præcipit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* In Comœdiis vero Chœris nihil est, quod gravem illam modestiam sapiat.

Quinta ratio. Nemo negat Comœdias & Chœras mundanos homines habere sautores; & ideo Christianis sunt fugiendæ, juxta Scripturæ effata: *Nolite diligere mundum, neque omnia, quæ in eis sunt.* Tradidit semetipsum pro nobis, ut nos liberaret ab hoc sæculo nequam. *Totus mundus in maligno positus est.* Et rursus, *Omne, quod in mundo est, concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

Nec obstat, quod vulgo dicitur, scilicet Comœdias non ab omnibus reprobari; immò contrarium à sancto Thom doceri; quia officium histrionum, quod licitum esse fatetur Stus. Tho. 2. 2. q. 168. a. 3. ad 3. Tale debet esse, ut repræsentet Spectacula, quæ sint de rebus utilibus, & ad vitam necessariis, sicut sunt uenationes, & cœtera hujusmodi, que animum honestè distrahabunt, & quibus sine peccato potest intendi, servata discrellione debita, quantum ad conditiones personæ, & aliarum circumstantiarum, ut ipsem dicit D. Thom. in 4. d. 16. q. 4. a. 2. q. 2. Demum illustrissimus Dominus de Bossuet elegantissimum hac de re scripsit librum, in quo æquè eleganter ac solidè refutat Anonimum Doctorem, qui Comœdiam, Chœras, Theatrica spectacula, qualia exercentur nunc, licita contendebat. Tanti viri autoritas litem omnem dirimit, & damnando hanc artem, damnans dam esse sufficienter convincit.

Nec est pariter, quod dicas in Collegiis
Comœdias à junioribus Scholasticis exhibe-
ti videntibus, immo dirigenibus Sacerdotibus.

Si quæ lascivæ & obscenæ Comœdiz in
Collegiis exhibeantur, eas damnamus, eas
que scandalo esse audacter pronuntiamus,
futurumque asserimus severum judicium con-
tra illos Professores, qui Christianam gravi-
tatem non sunt æmulati in illis Gymnasticis
exercitationibus. Sed multum est discriminis
inter comicorum & Collegiorum Theatra:
Hic juvenes videntur, qui ætate juvenili &
modestia nativâ nihil nisi pudicum ingerunt.
Hic verò viti & mulieres simul permixti,
qui & gestu, & vestitu, cantu, saltu libi-
dinem inspirant. Hic juvenes theatrum consi-
cendunt, ut sese ad declamationem effor-
ment, & ad loquendum publicè, se disponant,
hic verò nihil aliud intenditur quam ut vi-
tiosi affectus foveantur, & ardenter fiant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Licitæ sunt exer-
citaciones scœnicæ quibus adolescentes in
Collegiis exerceantur ad declamationem,
modo nihil permisceatur obscenum. Quia
experienciam docet istæ exercitia non parum in-
servire ut idonei fiant juvenes ad palam &
publicè aliquando perorandum.

C O N S E C T A R I U M II. Licitæ pariter
sunt choreæ illæ, in quibus concurrentibus
causis publici gaudii viri cum viris, mulieres
cum mulieribus choros modestè ducerent:
quia non est illicitum signa dare gaudii cum
subest causa publica lætandi.

CONSECTARIUM III. Illicitæ sunt omnino comœdix illæ publicæ, in quibus actores & aëtrices in theatris exhibent res obscenæ, & licet res representatæ non sint obscenæ, tamèn illicitæ essent; quia permixtio illa virorum & mulierum declamantium aut canentium libidinem excitat, & sovet, ut monet Conc. Colon. 1549. *Quæ spectacula, etiam si de rebus piis exhiberentur, parum tamèn boni, mali vero plurimum relinquare in sanctimonialium mentibus possunt, gestis externos spectantibus, & mirantibus.*

CAPUT VII.

De usu Matrimonij.

ARTICULUS I.

De his quæ in usu Matrimonij nullatenus sunt peccata.

PROPOSITIONE unica. Actus conjuga'is est licitus, immò & meritorius, quotiès sit, vel causâ procreandi filios, vel motivo reddendi debitum conjugale comparti exigenti

Probatur 1°. Ex Script. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro, nolite fraudare ad invicem, nisi forte ex consensu, ut vacatis orationi Iterum revertimini in idipsum, ne teniet vos Sathanas:* Ergo cum reddere debitum conjugale sit actus justitiae, est licitus; immò meritorius si fiat in statu gratiæ.

2°. Ex D. Thom. *Quandò conjuges conveniunt*

Hh ij

causâ pro is procreandæ , vel ut sibi debitum reddant , quod ad fidem matrimonii pertinet , totaliter excusantur à peccato. D. Thom. in 4. dist. 31. q. 2. art. 2.

3^o. Ratione. Quia tunc actus conjugalis fit propter illum finem , ad quem ordinatus est : ergo non est peccatum , sed actus bonus. Ideo erroneum est dicere , ut ait D. Thom. esse peccatum mortale , querere delectationem in tali actu , veniale acceptare , & perfectionis odiisse , quapropter damnati sunt haeretici , qui actum conjugalem vetitum velauerunt.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Non est peccatum actum conjugalem exercere , quandò speratur generatio prolis , licet per accidens non sequatur ; quia tunc non itur contrâ finem matrimonii.

CONSECTARIUM II. Non est peccatum actum conjugalem exercere causâ vitandæ fornicationis in comparte ; quia , ut inquit D. Thom. hoc est quædam redditio debiti , quæ ad bonum fidei pertinet.

CONSECTARIUM III. Tactus venerei ad generationem vel necessarii , vel conducentes non sunt peccata inter conjuges ; quia sunt media ad generationem.

ARTICULUS II.

De his qua inter conjugatos sunt peccata tanquām venialia.

PROPOSITIO unica. Actus conjugalis, qui fit ob alium finem, quām causā generandi prolem, vel reddendi debitum, etiam si fiat ordinario concubitu, est peccatum veniale; potest fieri mortale per accidens, ut si in eo sistatur tanquām ultimo fine.

Probatur 1^o. Ex Scripturā. Paulus Apostolus ibidem ait: *Secundūm indulgentiam dico, & non secundūm imperium; quæ verba ita Aug. exponit: Quis autem jam esse peccatum neget; cum dari veniam facientibus Apostolica autoritate fateatur.* Enchirid. 68. Ergo usus matrimonii est aliquando peccatum veniale, non utique cum sit cum debitis omnibus circunstantiis, quia tunc est actus virtutis, non etiam cum sit contrā finem matrimonii quia tunc est peccatum mortale; ergo est peccatum veniale cum sit præter finem matrimonii: intrā tamen limites matrimonii.

2^o. Ex August. qui ponit illud peccatum int̄er peccata quotidiana & venialia, peccat inquit, conjugatus venialiter: *Quoties exceptio desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit.* Sermone 3. de animabus fidelium defunctorum.

3^o. Ex D. Thom. *Duobus solis modis conjuges absq̄e omni peccato convenient, scilicet;*

causâ prolis procreande, & debiti reddendi,
alijs autem semper est ibi peccatum ad minus
veniale, in 4. dis. 21. a. 2.

3°. Ratione. Sicut manducare ob solam delectationem non est peccatum mortale, sed veniale, nisi adsit alia prava circumstantia; ita actus conjugalis factus propter aliud finem quam prolis generationem, vel reddendi debitum, est peccatum veniale; quia, ut arguit Aug. *Sicut homines sibi provident manducando & bibendo, id successioni provident uxores ducendo.* Sermon. 63° de diversis cap. 14.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Tactus, & oscula extrâ actum conjugalem, etiam citrâ periculum pollutionis, sunt peccata; si fiant propter delectationem venereum extrâ usum matrimonii percipiendam sunt, inquam peccata, quia nec ad generationem, nec ad remedium concupiscentiae ordinantur; peccata tamè illa sunt tantum venialia; quia non pervertunt usum matrimonii.

C O N S E C T A R I U M II. Actus conjugalis exercitus à vetulis est peccatum; quia fit propter delectationem, sed peccatum illud est solum veniale; quia non pervertit usum matrimonii; *Licet enim non habeant vetuli caliditatem sufficientem ad generandum, habent tam' n sufficientem caliditatem ad carnalem copulam;* & idò conceditur eis matrimonium, secundum quod est remedium concupiscentiae, quamvis non competit eis, secundum

quod est officium naturæ, D. Thom. in 4. dis. 34. q. unicā a. 2. ad 3.

CONSECTARIUM III. Opus conjugale exercitum partim ob delectationem, partim ob generationem, est peccatum veniale, si queratur delectatio infrā limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quereretur, quām in coniuge, sic est veniale peccatum. D. Thom. in 4. dis. 31. q. 2. a. 3.

CONSECTARIUM IV. Opus conjugale exercitum ob solam sanitatem, est peccatum veniale; *Quia quamvis intendere sanitatis conservationem, non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitatis intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum; sicut qui ex Sacramento Baptismi tantum salutem corporalem quereret, & similitè est in proposito de actu matrimoniali.* D. Thom. ibid. in 4. dis. 31. q. 2. a. 2. ad 4.

CONSECTARIUM V. Opus conjugale non tollens omnino, sed prævertens tempora orationis, est peccatum veniale; *quiā, ut optimè ait D. Thom. Petere debitum in die festivo, non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati; unde non potest in infinitum aggravare; & idē non peccat mortaliter uxor, vel vir, si in die festo debitum petat, sed tam gravius est peccatum, si sola delectationis causā petatur, quām si propter timorem, quis sibi timet de lubrico carnis, debitum petat.* D. Thom. in 4. dist. 32. q. 1. art. 5. Quandō autem actus conjugalis totaliter avertit ab oratione, tunc videtur peccatum mortale.

CONSECTARIUM VI. In audiendis confessiōnibus, confessarius non debet cu-

riesius scrutari casus illos , in quibus solum
committitur peccatum veniale , sed sufficit ,
quod pœnitentes se accusent de tali materia
in communi , cum peccatum veniale non sit
materia necessaria pœnitentiæ.

ARTICULUS III.

De his quæ inter conjugatos sunt peccata mortalia.

PROPOSITIO unica. Toties usus ma-
trimonialis est peccatum mortale , quo-
ties , fit cum insigni nocimento tum corpo-
rali tum spirituali , vel prolis , vel partium
actum conjugalem exercentium.

Probatur. Toties peccatum est mortale in
usu matrimonii , quoties iter contrà finem ma-
trimonii ; peccata enim contrà finem virtutis
sunt mortalia , atqui tunc iter contrà finem
matrimonii , quià finis matrimonii est bo-
num prolis , & bonum contrahentium ; er-
go tunc peccatur mortaliter , cùm exerceatur
actus matrimonialis cum insigni nocimento ,
rum corporali , tum spirituali , vel prolis ,
vel conjugatorum.

Consecaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Toties actus ma-
trimonialis est peccatum mortale ob nocu-
mentum corporale proli inferendum , quo-
ties fit cum ea inordinatione , quâ , vel im-
pediatur generatio antequam fiat , v. g. si se-
men immittatur extrà vas , vel dispergitur

generatio postquam facta est, v. g. si procuratur abortus, vel proles nata insigniter debilitetur, v. g. si cum lactatur infans, frequentibus coitibus corrumpatur lac, quo nutritur: quia in illis cassibus insertur insigne nocumentum corporale proli.

C O N S E C T A R I U M II. Toties actus matrimonialis est peccatum mortale ob nocumentum spirituale proli inferendum, quoties fit cum eā inordinatione, quā impeditur ne proles nascitura baptismum recipiat, ut cum per coitum procuratur abortus fœtus animati, vel proles jam nata ex usu matrimoniali scandalum suscipit, ut cum conjugatis debitum sibi reddunt coram filiis, qui ex hoc ad libidinem inflammantur.

C O N S E C T A R I U M III. Toties actus conjugalis est peccatum mortale ob nocumentum corporale inferendum conjugatis, quoties fit cum eā intemperantiā quā, vel alterius, vel amborum conjugum sanitati notabiliter noceatur; quia ut optimè ait Cajet. v. matrimonium: *Opus generationis ordinatum à naturā ad bonum speciei sine malo individū exerceri debet... Et debitum conjugale intelligitur salvā consientiā & sanitate subjecti.*

C O N S E C T A R I U M IV. Toties actus conjugalis est peccatum mortale, quoties sit cum eo ardore & affectu, ut æquè fieret cum alio ac cum compare; quia, tunc contingit quod dicit Tobias 6. v. 17. *Sunt qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus; habet potestatem Dæmonium super eos.*

Tunc pariter evenit id de quo queritur Christus : *Qui amat uxorem suam plus quam me non est me dignus* Demum in eos conjugatos competit id quod dicit Hiero. lib. 1. contra Jovinia. cap. ultimo : *Omnis ardenter amator propriæ uxor is, adulter est*, & rursus : *Nihil sedius quam uxorem amare quasi adulteram.*

C O N S E C T A R I U M V. Toties actus conjugalis est peccatum mortale, quoties sit cum ea inordinatione ; ut nec ad generationem prolixi, nec ad remedium concupiscentiae, nec ad debitum reddendum referatur ; quia tunc conjugatus sifit in delicatione venereâ tamquam in ultimo fine, seu ut loquitur D. Thom. in 4. dis. 31. a. 3. nullum intendit bonum matrimonii : sed solam delectationem querit, *Tunc enim*, ut loquitur idem sanctus Doctor. *Voluptates meretricias vir in uxore querit quando nihil aliud in ea attendit, quam quod in meretrice auenderet,* ibidem ad 18.

C O N S E C T A R I U M IV. In audiendis confessionibus, Confessarius pœnitentibus suis nihil permittat eorum, quæ constat esse peccata mortalia : uti enim decet confessarios non curiosius scrutari ea quæ sunt tantum peccata venialia ; ita oportet non ocitanter, sed exactè examinare ea quæ in usu matrimoniali pertingunt usque ad malitiam peccati mortalis ; luxuries enim enormior est in matrimonio quam extrâ matrimonium, quippe per incontinentiam conjugatorum non sola offenditur castitas ; sed sanctitas Sacramenti violatur, & Deus severius punit in-

TRACT. V. DE VI. ET IX. PRÆCIP. 371
continentes conjugatos , quām non conjugatos , ut docet passim Aug.

ARTICULUS IV.

De his que inter conjugatos habentur , à quibusdam ut peccata mortalia , ab aliis ut venialia .

Nota 1^o. Quidquid est contra generationem , vel impediendo ne fœtus concipiatur , vel suffocando fœtum postquam conceptus est , juxta omnes est peccatum mortale ; quia tunc itur contra finem matrimonii.

Nota 2^o. Quidquid est per se conducens ad generationem est licitum , & in exigente , & in reddente : Quia nihil habet inordinatum , ita pariter omnes sentiunt.

Nota 3^o. Quidquid est præter generationem , nec conducens ad generationem , nec impidiens generationem ; sed conducens solum ad majorem voluptatem in matrimonio percipiendam est peccatum in exigente mortale , juxta aliquos ; veniale vero juxta alios , in reddente , aliquando est peccatum , aliquando non : quod ut pateat , sit.

P R O P O S I T I O I. Concubere in vase ordinario , sed *innaturaliter* , id est , non servato situ à natura instituto est peccatum mortale ; si hoc fiat sine causâ , & ex solo motivo majoris voluptatis percipiendæ , v.g. si vir subit in fæminam , & fæmina superreditur virum , quia talis modus non convenit seminis infusioni quoad virum , nec semi-

nis receptioni quoad mulierem , & sic vide-
tur impediri proli generatio intenta à na-
tura. Ita Petrus Paludanus , Henricus & alii,
ut refert D. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 20.
S. 3. Quia hoc denotat plenam adhæsi-
nem , plenumque affectum erga voluptatem
carnalem.

Dixi , quando innaturalis concubitus sit
sine causâ est peccatum mortale ; nam si fiat
cum causâ v. g. ob ægritudinem alterius pac-
tis , ob vitandum periculum abortus , &c.
tunc nullum erit peccatum , modò absit pe-
riculum pollutionis in utroque conjugi.

P R O P O S I T I O I I. Concubere inna-
turaliter in vase ordinario ; sed non servato
situ à natura instituto etiam sine causâ ; sed
solo motivo majoris voluptatis percipiendæ,
in modò non eatur contra finem matrimonii ,
qui est posse concipere , non est peccatum
mortale ; sed solum signum mortalis con-
cupiscentiæ. Ita Albertus Magnus relatus à
D. Antoni. ibidem. Sed Albertus Magnus ,
inquit , in quartum dicit quod nihil horum
quæ facit vir cum uxore in actu conjugali ,
servato debito vase , est de se mortale , sed
potest esse signum mortalis concupiscentiæ ,
quando ei non sufficit modus determinatus à
natura , sed aliud invenit , causâ delectandi se ,
cum non subest causa insirmitatis , vel alia
rationabilis.

C O N S E C T A R I U M unicum. In illa sen-
tentiarum diversitate non præcipitandum est
judicium. Sed in tribunali pœnitentiæ se-
cundùm id quod probabilius videbitur , judi-
candum est. Non temerè pronuntiandum in

usu matrimoniali, esse mortale peccatum ubi forte non est nisi veniale. Nec pariter auctoriter assertendum ibi solum esse veniale peccatum ubi forte est mortale. Hortandi sunt paenitentes ad id quod est tutius; judicandum vero secundum id quod est probabilius. Quare sit.

ARTICULUS V.

*Explicatur sigillatim quæ peccata committi sa-
leant in usu matrimonii.*

Nota quod omnia peccata quæ commit-
ti solent in usu matrimonii his duobus
versibus continentur.

*Sit modus, & finis, sine damno solve cohære.
Sit locus, & tempus, desit violatio voti.*

Singulas illas voces sequentibus paragra-
phis explicabimus.

§. I.

*De fine actus conjugalis, qui est generatio pro-
lis; qui exprimitur his verbis, sit finis.*

P R O P O S I T I O unica. *Quidquid impe-
dit conceptionem fœtus, est peccatum mor-
tale.*

Probatur 1º. Script. *Onam sciens non sibi
nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui,
simen fundebat in terram, ne liberi nascerent-
tur fratris nomine; & idcirco percussit eum
Dominus, eo quod rem detestabilem faceret.*
Gen. 38. v. 10. Ergo quod impedit generatio-

374 MORALIS CHRISTIANA.
nem prolis, est detestabile coram Deo: ergo
est peccatum mortale.

Ex Aug. 2. *Illicitè & turpiter etiā cum
legitima uxore concubitur, ubi prolis concep-
tio devitatur*, lib. 2. de adult. conj. cap. 20.

3º. Ratione, Ite contà finem principalem
matrimonii est peccatum mortale. 1º. Quia
res sacra violatur; cum matrimonium sit Sa-
cramentum. 2º. Quia nocetur proli nascitu-
ræ, impeditur enim ne ejus conceptio fiat,
vel disturbatur postquam facta est. 3º. Im-
peditur bonum universale, scilicet propaga-
tio generis humani: ergo est peccatum mor-
tale.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccatur mortali-
ter si fiat effusio seminis antè vel post coitum,
extrà vas ad generationem destinatum;
quia pervertitur generatio.

CONSECTARIUM II. Peccatur mortali-
ter si ita fiat coitus, ut membrum virile
non intret vas fœmineum, nec vas fœmi-
neum recipiat membrum virile, vel ob dis-
proportionem partium, vel ob aliam causam,
quia pervertitur generatio.

CONSECTARIUM III. Conatus mu-
lieris, quo receptum semen virile desperdi-
tur, vel statim mingendo, vel saltando, vel
aliud quid faciendo; est peccatum mortale
quia impeditur generatio, aut saltē fit con-
natus ut impediatur.

S. II.

De modo concubendi ordinario qui exprimitur his verbis, sit modus.

PROPOSITIO unica. Modus concubandi non ordinarius, sine causa, est semper peccatum vel mortale vel veniale. Mortale si sit contra finem matrimonii veniale si sit præter finem matrimonii.

Probatur 1º. Ex D: Thom in 4. dist. 32. in expositione textus: *Uſus contra naturam conjugis eſt, inquit, quando debitum vas, prætermittit, vel debitum modum institutum à natura quantum ad ſitum: & in primo ſemper eſt peccatum mortale: quia proles ſequi non potest, unde totaliuer intentio naturæ fruſtratur, ſed in ſecundo non ſemper eſt peccatum mortale, ut quidam dicunt, ſed potest eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ; quandoque etiam fine peccato potest eſſe; quando diſpoſitio corporis alium modum non patitur, aliás tantò eſt gravius quanto magis à naturali modo receditur.*

2º. Ratione. Uſus matrimonii eſt licitus quotiēs fit debito modo, totiēs mortaliter illicitus quotiēs fit contra finem matrimonii. Illicitus verò tantū venialiter quoties fit præter finem matrimonii, ergo.

Si modus concubandi fit extra vas ordinarium peccatum erit mortale, quia concubitus eſt contra finem matrimonii.

Si modus concubandi in vase ordinatio, in tantū fit exorbitans, ut impedit, ne fieri poffit conceptio, eſt peccatum pariter

mortale ; quia est contra finem principalem matrimonii.

Si modus concubandi innaturalis non impedit, ne possit fieri conceptio, ita ut posset esse generatio, si aliud non obstat; si modus ille concubandi fiat sine causa, est peccatum veniale; quia est delectatio venerea intra fines matrimonii.

Si non impedit, ne possit fieri conceptio, & fiat cum justa causa, v. g. ad vitandum abortum, vel ob aliam causam, v. g. ob indispositionem corporalem conjugatorum, nullum est peccatum, si nihil interveniat vitiosum; quia est usus matrimonii, qualis potest esse: ergo, &c.

Consecaria bujus doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Modus concubandi in quo mulier viro superponitur, si adsit probabile impedimentum noui concipendi. *Videtur, inquit Cajet.* peccatum mortale esse, aut propè; si tamen mulier possit sic concipere, noli damnare; ait idem Cajetan. v. matrimonii.

C O N S E C T A R I U M II. Modus, in quo conjugati nudos se aspicerent, solo aspectu libidinoso fruentes, sine ullo ordine ad coitum, videtur esse mortale peccatum; quia hoc, nec ad generationem inservit nec ad scandam concupiscentiam prodest.

C O N S E C T A R I U M III. Modus, in quo conjugati tactibus venereis ita insisterent, ut sine ordine ad coitum illa superflua voluptate potirentur, videtur esse peccatum mor-

tale; quia hoc, nec ad generationem, nec ad temperandam concupiscentiam inservit, sed periculum pollutionis inducit.

C O N S E C T A R I U M IV. Modus, in quo conjugati, fellationem, ut vocant, exercent, dum alter in alterius os linguam immittit, aut alter alterius artus linguam lambit, ut vehementiorem percipiat libidinem.

Si hoc fiat extra actum conjugalem, vel sine ordine ad actum conjugalem, peccatum est haud dubie mortale quia tunc ultimatae ficitur in illa inordinata voluptate.

Si verò hoc fiat, vel in actu conjugali, vel in ordine ad ipsum, quale peccatum sit, non ausim determinare, unum scio fædam illam libidinem ab ipsis paganis vituperari; tales enim vocat *Martialis*, lib. II. Epig. 61. *Lingua maritos, & ore machos.*

Et Minucius Felix in Octavio vocat: *Homines malæ linguae, etiamsi tacerent, quos prius te desit impudicitiae sue, quam pudescit probetas.* *Qui medios viros lambunt, libidinose ore inguinibus inhærescunt ... Hæc & hujusmodi propudia non licet nec audire.* Ergo si infanda sint scelerá in non conjugatis, sunt magis infanda in maritatis, propter injuriam illatum sacramento.

S. III.

De damno inferendo, vel proli jam concepte, sed pondum natæ, vel proli jam natæ. vel conjugatis quod exprimitur his verbis, sine danno.

P R O P O S I T I O unica. **Quoties usus** max
I i iij

matrimonii damnum infert notabile, vel proli-
natæ, aut nascituræ, aut ipsis conjugatis, est
peccatum mortale.

Probatur Scripturâ. 1º. Violatur illud præ-
ceptum : *Non occides.*

2º. Violatur amor ille, quem conjugati
debent sibi invicem, & proli: *Diliges prox-
imum tuum sicut te ipsum*

3º. Ratione. Sicut usus ciborum non de-
bet esse cum nocimento nostri, aut aliorum;
itâ nec usus matrimonii, & sicut usus cibo-
rum est peccatum mortale quando notabili-
ter nocet vel menti, vel corpori itâ & usus ma-
trimonii.

Consecaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccatum morta-
le est coitus cum grida, si fiat cum pericu-
lo abortus; quia nocetur proli conceptæ:
Uti enim terra jam sata aratro non scinditur,
ne semen pereat; itâ ad gravidas mulieres non
debet fieri accessus, ne fœtus jam conceptus pe-
reat. Clemens Alexand. lib. 2. Pedag. cap. 10,
si tamen exerceatur coitus sine periculo abor-
tus, & in remedium concupiscentiæ, non est
peccatum mortale.

C O N S E C T A R I U M II. Peccatum mor-
tale est coitus cum lactante, si fiat cum in-
genti præjudicio prolis natæ, si ei aliter non
provideatur, est peccatum in petente. & non
in reddente; quia debent petens potius con-
tinere, quam alteri nocere. Si tamen non
possit aliter sedare concupiscentiam, debet
potius uti congressu, quam uxi: *Melius eis*

*enim nubere, quam ubi, & interim oportet
infanti lactato providere.*

CONSECTARIUM III. Peccatum mortale est coitus cum fatuā, aut furiosā; quia tunc imminet periculum proli concipiendæ.

CONSECTARIUM IV. Peccatum mortale est coitus, in quo conjugati ardentes, aut frequentiores, quam par est, sibi vitam minuunt, aut ægritudines contrahunt; quia sicut peccat graviter, qui insigniter sanitati nocet per cibum, ita & mortaliter peccat, qui eidem sanitati maximè nocet per coitum.

CONSECTARIUM V. Juxta Scotum, Lyranum, Sotum, Estium, &c. Coitus tempore menstrui fluxus videtur esse in exigente peccatum mortale; quia juxta Scripturam Lev. cap. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruali, interficiuntur ambo de medio populi sui:* Pœna autem mortis denotat peccatum mortale: quia juxta Hyeron infantes ex illo actu concepti: *Nascuntur leprosi & elephantici.* Nullum vero est peccatum in redditente, si nullum nocumentum inferendum sit proli, & vitetur, corruptio exigentis debitum conjugale.

Juxta Cajetanum, Navarrum, Alfonsum à Castro, &c. Coitus tempore fluxus menstrui est solum peccatum veniale propter indecentiam actus; quia præceptum Scripturæ est ceremoniale, si spectetur immundicitia; est vero naturale, si spectetur nocumentum prolis. Ego autem consului peritissimos medicos, & quibus didisci coitum tempore menstrui nullatenus nocere proli & proinde. Si

§. IV.

*De debito conjugali reddendo, quod ex-
primitur hac voce, solve.*

PROPOSITIO I. Totiès conjugati pec-
cant mortaliter quotiès sibi injustè denegant
debitum, precipue cum periculum adest cor-
ruptionis in compare.

Probatur 1°. Ex Scriptura: *Vir uxori de-
bitum reddat, similiter & uxor viro.* 1. ad
Corinth. 7. Ergo conjugati peccant contra
justitiam quotiès sibi denegant debitum con-
jugale: ergo mortaliter.

2°. Ex Aug. *Debent sibi conjugati commis-
cendi fidem, non solum liberorum procreando-
rum causâ, verum etiam infirmitatis excipiendae,
ad illicitos concubitus evitandos, mutuam
quodam modo servitutem.* lib. de bono conjug.
cap. 6. Ergo peccant mortaliter quotiès abs-
que causâ sibi denegant debitum conjugale.

3°. Ratione. Conjugati denegantes sibi de-
bitum sinè causâ, peccant. 1°. Contra secun-
darium finem Sacramenti, quo fit ut matri-
monium sit remedium concupiscentiæ.
2°. Contra charitatem quam sibi mutuò de-
bent conjugati alter alterius onera ferentes.
3°. Peccant contrà justitiam: ergo peccant
mortaliter.

consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccatum mortale est reddere se impotentem ad debitum conjugale , vel frequentibus pollutionibus in se ipso , vel frequentibus coitibus cum alio , quam cum com parte , vel ebrietate , aut indiscretâ intemperantiâ .

CONSECTARIUM II. Peccatum mortale est denegare debitum conjugale , cum petitur justè , vel ad prolem generandam , vel ad vitandam incontinentiam , vel etià ad delectationem venereum intra fines matrimonii percipiendam .

PROPOSITIO II. Totiès , deneganda est in usu matrimoniali , comparti copia sui corporis , quotiès id quod exigitur fieri nequit sine peccato mortali .

Probatur . Promissum de re ex se bona quæ per accidens fit illicita , non ligat quandiu manet illicita ; quia promissio non potest esse vinculum iniquitatis ; ergo promissio inter conjugatos tradendi sibi mutuò corpus suum non ligat , quando illa traditio fieri nequit sine peccato ; ergo deneganda est comparti copia corporis sui , quotiès exigitur id quod fieri nequit sine peccato mortali .

Dixi sine peccato mortali , quia in usu matrimoniali vitanda sunt omnino , quæ sunt peccata mortalia ; quæ vero sunt tantum peccata venialia , secundum Indulgentiam non curiosius examinantur ; sed permituntur , ut evitentur majores corruptiones .

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Totiēs in usu matrimoniali deneganda est conparti copia sui corporis , quotiēs alter conjugum uti voluerit aliquo ex illis modis in quibus peccatur mortaliter ; quia pars conjugata quæ in his circunstantiis daret copiam sui corporis , fieret conscientia peccati mortalis quod ab alio committeretur ; quia juxta Paulum : *Digni sunt morte , non solum qui faciunt , sed etiam qui consentiunt facientibus.* ad Rom. 1.

C O N S E C T A R I U M II. Totiēs in usu matrimoniali deneganda est conparti copia sui corporis , quotiēs copula carnalis est illicita ratione impedimenti , vel supervenientis , vel post matrimonium cogniti , vel ratione dubii de validitate Sacramenti ; quia aliàs pars quæ in illis circunstantiis ficeret copiam sui corporis , fieret particeps peccati mortalis , quod per illicitam copulam committeretur.

Et ita ex affinitate & cognitione spirituali super veniente , negandum est debitum conjugale ; nec exercendus est actus conjugalis ab eo qui dubitat de validitate matrimonii.

Sic , si alter conjugum commisit incestum in primō & secundō gradu , quo incestu inducitur affinitas : pars rea non poterit petere debitum conjugale ; quia , ut ait Glossa , in Can. *Nosse* 30. q. 1. *Statim ipso facto perditum est jus exigendi :* Pars verò innocens cognito incestu non potest reddere debitum ; quia , ut ait Glossa , ibidem : *Alter non habet jus petendi.*

Poterit tamen pars innocens petere debitum ; quia , ut ait Innocentius 3. cap. *Discretiōnem* , de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ , vel sponsæ : *Affinitas . . . Ei non debet officere , quæ hujusmodi , in quitatis particeps non existit , cum suo iure non debeat sine sua culpa privari.*

Sic , si inter conjugatos superveniat cognatio spiritualis quæ oritur inter conjuges , quando unus ex eis est minister , vel patrinus in ministerio baptismi , vel confirmationis filii communis , vel filii alterutrius ex conjugibus : tunc enim juxta jura conjuges nequeunt sibi debitum conjugale reddere.

Si , tamen pater baptisat puerum in articulo mortis , tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte : neque pariter si fiat ignoranter ignorantia inculpabili , si vero id fiat malitiosè ; qui est in culpa , perdit jus exigendi debitum ; non vero pars innocens ita D. Thom. in q. dis. 42. quæs. 1. a. 1. in c.

PROPOSITIO III. Toties conjugatus potest non reddere debitum conjugale , quoties , aut qui petit cecidit à jure exigendi , aut is à quo petitur causam habet non reddendi.

Probarur. Quilibet potest absque peccato uti iure suo ergo toties debitum conjugale potest negari quoties is qui petit cecidit à jure petendi & quoties is à quo petitur causam habet non reddendi.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Debitum conju-

gale potest denegari ei cui lapsus est in adulterium quia adulterer perdit jus exigendi debitum.

C O N S E C T A R I U M II. Debitum conjugale potest denegare ea pars cui insigniter nocet reddere debitum conjugale, quia redditio debiti canjugalis intelligi debet salvâ individui consistentiâ ut loquitur D. Thom.

P R O P O S I T I O IV. Etsi non sit peccatum denegare debitum conjugale; cum petitur in justè, vel ob adulterium commissum à parte quæ exigit debitum, vel ob nocumentum corporale inferendum parti quæ potest reddere debitum; tamen in praxi debet illud reddi, modò pars rogata illud possit reddere sine peccato, & sine gravi periculo mortis subeundæ, aut ægritudinis contrahendæ; præcipue cum adest periculum corruptionis in parte exigente; & per redditionem debiti speratur conversio partis exigentis.

Probatur 1º. Scripturâ: *Unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat, uxor autem timet virum suum*, ad Ephes. 5. v. 33. Ergò amor conjugalis exigit, ut una quæque pars conjugata juri suo libenter cedat, ut compartem suam ad meliorem frugem sensim adducat; mulier id faciat ex reverentia, quam debet viro, vir vero ex amore, quem debet uxori.

2º. Ex Aug. *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier...* Non sibi alteriusrum negent: ne per hoc incident in damna biles corruptelas, tentante satanâ, propter incontinentiam, vel amborum, vel cuiusquam corrum.

torum. De bono conjugali cap. 6. Ergo licet alter possit denegare debitum ex justitia, debet concedere ex charitate, ut compartem suam Deo lucrifaciat.

3^o. Ratione. Conjugati ex D. Paulo ita debent saluti æternæ invigilare, ut unusquisque suæ compartis salutem æternam, quantum potest procuret: ergo si potest eam procurare reddendo debitum conjugale, debet id facere ex charitate, quamvis non teneatur id facere ex justitiâ, nam si debeat saluti extraneorum insistere, à fortiori saluti compartis.

Consecratio hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Si mulier lapsa in adulterium, det signa pœnitentiæ, debet pars innocens eam recipere, eique culpani condonare, & petenti debitum reddere, sic Christus pepercit mulieri adulteræ, & Ecclesiam sponsam numquam deseret. Si vero mulier nolit pœnitere; quia vir caput est mulieris, tenetur mediis, quibus poterit, eam avertere à peccato.

CONSECTARIUM II. Si vir labatur in adulterium, & det signa pœnitentiæ, debet mulier ei debitum non denegare.

CONSECTARIUM III. Si vir, aut mulier, etiam jus habens denegandi usum conjugalem, possit concedendo debitum, compartem vel ab incontinentiâ, vel ab ebrietate, aut alio quocumque vitio, abstrahere, decet ut debitum conjugale reddat; sic enim Domino lucratur compartem.

CONSECTARIUM IV. Si mulier, ex usu conjugali non nisi levem aliquam insimitatem corporalem subitura sit, decet ut viro reddat debitum conjugale; sic enim comprehendit sibi magis devincit, & Domino lucratur: *Hortandi sunt*, inquit Greg. *conjuges, ut ea, in quibus sibi aliquando displicant, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem salvent.* Pastoralis parte 3. admonitione 28.

§. V.

De mutua conjugatorum obligatione cohabitandi simul quæ exprimitur hac voce, cohære.

PROPOSITO unica. Conjugati exceptis causis legitimi divorcii, debent simul, quantum possunt, cohærere & habitatione & thoro.

Probatur 1^o. Scripturā: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacatis orationi; & iterum revertimini in id ipsum, ne teniet vos Satanás propter incontinentiam vestram.* 1. ad Corinth. 7. Ergo conjugati tenentur simul cohærere.

2^o. Conjugium exigit mutuam illam cohærentiam, ut alter conjux alteri sit adiutorium: ergo debent simul quoad thorum & habitationem cohærere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM IV. Si vir alid se

transferat ex causâ non turpi & ad longum tempus, & velit uxorem secum habere, uxor tenetur eum sequi, nisi gravissimum periculum animæ vel corporis indè manifestè sequeretur; quia *Vir caput est mulieris*, ad eum pertinet statuere de loco & modo habitacionis: sic Sara sequebatur Abrahamum peregrinantem.

CONSECTARIUM II. Si uxor non possit honestè virum sequi, potest ad tempus ab illo abesse: sic uxores non sequuntur maritos in bello, ut patet exemplo uxoris Viræ.

2. Reg. cap. I. v. 9.

§. VI.

De loco in quo debitum conjugale reddendum est quod exprimitur his verbis, sic locus.

PROPOSITIO unica. Conjugati debent sibi mutuo debitum conjugale reddere juxta regulas honestatis; & proinde in locis abditis.

Probatur 1^o. Script. *Honorabile connubium in omnibus, & thoros immaculatus, ad Hæbr. 13. v 4.* Ergo oportet ut in actu conjugali nihil fiat contra honestatem.

2^o. Ex Clemente Alexand. lib. 2. stramatum, cap. 10. *Non immodestè se se ac intemperanter gerere oportet; sed verecundia tanquam lux rationis in animo includenda.*

3^o. Ratione. Oportet reddere debitum inquit D. Thomas, salva debita honestate, quæ in talibus exigitur: ergo non oportet, quod palam & in publico debitum reddatur.

Consecrari hujus Doctrine.

C O N S E C T A R I U M I. Non licet exigere, immò neque reddere debitum conjugale, neque in publico, neque coram his qui possent provocari ad libidinem: quia abstinentium est ab operibus etiam licitis, quæ sunt aliis scandalo: quando uti possumus iure nostro, alio tempore magis convenienti. Talis usus matrimonialis est peccatum mortale, non ratione sui, sed ratione scandali.

C O N S E C T A R I U M II. Non licet exigere immò neque reddere debitum conjugale in loco sacro; quia id repugnat sanctitati loci: de quo ita D. Antoninus 3. P. tit. 1. cap. 21. *Sive ergo habeatur aliis locus, sive non possit haberi aliis locus ad hoc, certum est quod non licet petere; sed nec reddere tenetur alter illud quod reddi non potest sine irreverentia loci sacri; nam propter hoc indiget reconciliatione, secundum Joannem Andream, quantum est ex natura facti, licet per accidens, si est occultum, non indigeat reconciliatione, quod etiam ponit hostiensis.* Tunc usus matrimonialis est peccatum mortale juxta Antoninum, non ratione sui sed ob irreligionem & irreverentiam erga locum sacram.

§. VII.

De tempore in quo debet reddi debitum conjugale quod exprimitur his verbis, sit tempus.

P R O P O S I T I O unica. Nullum est tem-

pus , quo in rigore conjugati non debeant sibi reddere debitum conjugale , sicuti nullum est tempus , quo non teneat solvere , quod alteri debeo ; tamen ex decentia horandi sunt conjugati , ut ex mutuo consensu contineant se interdum , certisque temporibus.

Consecaria hujus Doctrinæ

C O N S E C T A R I U M I. Bonum est continere , tempore jejunii : *Sanctificate jejunium , inquit Scriptura , egrediatur sponsus debilis suo , & sponsa de thalamo suo.* Joel. 2. 15. ita censet Origenes homilia 10. in Levitic. Chrysost. lib. de Virg. cap. 30.31 Amb. serm. 26. de tempore.

C O N S E C T A R I U M II. Bonum est ut conjugati , contineant se temporibus orationi destinatis quales sunt dies festivi solemniores : *Nolite frandare invicem , inquit Scriptura , nisi forte ex consensu , ut vacetis orationi.* 1. ad Corin. 7. deinde diebus festivis non licet vacare servilibus , quiā servilia avertunt mentem à Deo ; opus autem conjugale magis avertit ab oratione quam opus servile : ergo decet ut conjugati diebus festivis ab ope- re conjugali abstineant.

Demum Hæbrei legem recepturi abstinuerunt tribus diebus à mulieribus , & panes propositionis non licebat comedere nisi iis , qui se continuerant ; Christianos ergo decet esse continentes . & cum legem Dei auditui sunt , & cum Christi corpus debent reci- pere .

599 MORALIS CHRISTIANA.

Dixi, decet ut conjugati diebus festis se se contineant; nam, ut optimè ait Cajet. §. matrim. Peccat mortaliter conjugatus negans debitum etiam si dies Pasche fuerit, in quo debeat communicare. Quia communio non dispensat communicantem ne id efficiat ad quod tenetur ex justitia.

§. VIII.

*De obligatione servandi votum quæ exprimuntur
bis verbis, desitve obligatio voti.*

Nota quod ibi non est quæstio de voto solenni castitatis, sed de voto simplici; quia votum solenne castitatis elicium ante matrimonium reddit matrimonium nullum; elicium vero post matrimonium nullam obligationem inducit; sed quæstio est de voto simplici, quod ante matrimonium, vel post matrimonium elicium est.

PROPOSITIO unica. Conjugatus teneatur quantum in eo est observare votum simplex castitatis quod elicuit, sive illud ante matrimonium, sive post matrimonium elicerit.

Probatur. Votum etiam simplex obligat ut diximus ubi de voto: ergo conjugatus teneatur quantum in eo est observare votum simplex, quod elicuit sive ante, sive post matrimonium illud elicuerit.

Consecularia hujus Doctrinae.

CONSECULARIUM, I, Qui ligatus ve-

to simplici castitatis perpetua, sine dispensatione, validè quidem sed illicite contrahit matrimonium, tenetur in eo, in quo potest observare votum, & ita numquam potest petere debitum; sed solum potest reddere, unde si velit petere, deber à superiore dispensari, sic docet D. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæst. 2. ad 4. ubi sic habet: *Quia conjugatus ex matrimonio vinculo non obligatus ad petendum debitum; ideo ligatur voto, non potest petere debitum sine peccato;* *Quia quo ad hoc est ligatus voto:* *Quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per copulam præcedentem.* Et si ejus compars moriatur, tenetur, inquit D. Bonaventura, omnino, id est per totam vitam, continere, in 4. dis. 38. a. 2. q. 1..

CONSECTARIUM II. Qui post matrimonium consummatum elicit votum simplex perpetua castitatis non potest debitum conjugale petere; quia quoad hoc potuit se ligare, cum in ejus potestate sit abstinere à petendo debito. Sed tenetur reddere, quia non est in ejus potestate non reddere, ita Concil. Lateran. 3. cap. *Quidam de conversatione conjugorum, promisit quis,* inquit Concil. *Se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat:* & ideo quod ad hoc votum tenuit; non reddere autem non erat in ejus, sed in mulieris potestate. Idem habetur cap. *Placuit, eodem titulo ubi istud effertur principium:* *Quod votum eatenus est obligatorium quatenus dovens potest se obligare.*

CONSECTARIUM III. Qui ligatus, aut voto non nubendi, aut voto intrandi Religionem, aut voto suscipiendo Ordinem Sa-

erum , contrahit matrimonium validè quidem , sed illicitè contrahit , peccat consummando matrimonium ; quia violat votum ; sed consummato semel matrimonio , potest & petere & reddere debitum conjugale , quia inquit Abulensis in cap. 27. Levi. q. 6. si ligatus tali voto Contraxerit , & consummaverit per copulam , dissolutum est votum : iamen est imponenda pænitentia transgressorì secundum arbitrium confessoris .

Idem docet Cajetanus verbo *matrimonium* & communiter omnes Theologi : Ille , inquit , qui vovit ingredi & perseverare in religione ; vel suscipere ordinem sacrum , vel non nubere : Et postea absque dispensatione uxorem duxit , potest post consummatum matrimonium petere debitum ab uxore : quia vovum ejus est de affirmatione , scilicet de assumendo statu religionis , aut Subdiaconatus au coelibatus . Et non est de castitate nisi per viam sequelæ . Id est qui vovit castitatem ad semper & pro semper tenetur continere se quantum in ipso est ; qui vero vovet religionem , cœlibatum & Subdiaconatum , non vovet castitatem , sed vovet statum in quo servatur castitas , tenetur quidem ex vi voti illum statum quem vovit ingredi ; sed ex vi voti non tenetur servare castitatem , ideo si fornicetur peccat quidem peccato luxuriæ , sed non peccato sacrilegii ; & si semel votum suum violaverit , potest absque novo peccato & reddere & petere debitum conjugale .

CONSECTARIUM IV. Qui post consummatum matrimonium elicit votum simplex intrandi religionem , vel suscipiendo or-

dinem sacrum, vel servandi cœlibatum post mortem suæ compartis; potest & reddere & exigere debitum conjugale, quia non tenetur ad castitatem donec statum illum amplexus fuerit, & tenebitur statum illum amplecti cum poterit, scilicet post mortem compartis.

CONSECTARIUM V. Qui post matrimonium ratum & consummatum vovit castitatem cum consensu compartis non potest nec petere, nec reddere debitum conjugale. Primo non potest petere quia voto cecidit à jure petendi debitum, non potest reddere quia compars per consensum cecidit à jure exigendi, ita habetur Can. manifestum 33. q. 5. ubi sic habetur: *Si quilibet eorum alteram à jure suo absolverit, ad præteritam servitutem ipsum revocare non poterit.*

CONSECTARIUM VI. Si ambo conjugati post matrimonium ratum & consummatum ex mutuo consensu perpetuam castitatem voveant numquam poterunt aut petere, aut reddere debitum conjugale; quia ex vi voti & consensus mutui privantur utroque jure, scilicet vi voti privantur jure petendi, vi consensus privantur jure reddendi debitum conjugale, id expressè docet Aug. relatus Can. quod Deo 33. q. 5. ubi sic habet: *Quod Deo parò consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis; à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem, Ecditiam ab eoquitur; instantissime persevera: ad quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat.*

CONSECTARIUM VII. Si ambo conjugati post matrimonium ratum non con-

summatum voeant religionem, non possunt consummare matrimonium, sed debent, quam citius poterunt, intrare religionem, ut adimplant votum. Si verò consumment peccant graviter consummando matrimonium; quia ponunt obicem voto exequendo; sed consummato semel matrimonio possunt & petere & reddere debitum conjugale; quia votum intrandi religionem non privat jure reddendi & exigendi debitum conjugale.

C O N S E C T A R I U M VIII. Si ambo conjugati communi consensu pactum ineant de non petendo, nec reddendo debitum durante pacto neuter potest petere, vel reddere debitum, quia vi pacti eterque cessit juri suo; sed si communi consensu rescindant pactum, redeunt ad primavæ jura, quia ut ait Chrisost. *Omnis r̄s per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* cap. Omnis de regulis juris.

ARTICULUS VI.

Quibus remediis possint conjugati vitare peccata, quæ committi solent in usu matrimonii.

P R O P O S I T I O unica. Ad vitandam incontinentiam quæ vulgo reperitur in usu matrimonii, conjugati hujusmodi remedia adhibere possunt.

1°. Debent pium aliquem finem sibi proponere, v. g. intendere possunt alterum ex istis tribus, scilicet, *vel procreare prolem, in honorem Dei, vel reddere debitum, compatri exigenti, vel reperire remedium concupiscentiae.*

Ex Scripturā. Finis primarius matrimonii est generatio liberorum, juxta illud: *crescite, & multiplicamini.* Geneseos 1. v. 28, finis secundarius est remedium concupiscentiæ: *Propriè fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.* Et alter finis justitiae est, ut conjugati sibi invicem debitum reddant: *Nolite fraudare invicem:* Ergo conjugati debent unum ex ipsis finibus sibi proponere in actu conjugali. Si velint vitare peccata quæ in usu matrimoniali committuntur, idem docent Patres: *Propagatio liberorum ipsa est prima & naturalis & legitima causa nuptiarum.* Aug. lib. 2 de adulter. conjug. cap. 12. Matrimonium fuit in populo Dei aliquando legis obsequium; nunc est infirmitatis remedium. Aug. lib. de bono viduit. cap. 8.

2^o. Debent sibi proponere exemplum eorum qui sancte vixerunt in matrimonio, v. g. possunt sibi proponere exemplum Tobiae dicentis: *Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Tob. 8. v. 9.

3^o. Conjugati debent à Deo precibus petere prolem sanctam, exemplo Annæ, quæ à Deo impetravit Samuelem; exemplo Elizabeth & Zachariæ, qui à Deo impetrarunt Joannem-Baptistam; nam sanctorum filiorum procreatio à Deo est, juxta illud Evgæ: *Possedi virum per Deum.* Gen. 4. & juxta illud Davidis: *Ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* Psal. 126. v. 4.

4^o. Demum decet ut conjugati diebus ses-

tis & diebus jejunii contineant se se ut vaccent orationi. *Abstinete vos*, inquit Paulus ad Corinths. *ut vacatis orationi*, idem passim docent Sancti Patres Aug. Sic habet Canon. Quibuscumque 53 q. 4. *Cum dies natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt . . . Ante plures dies . . . A propriis uxoribus abstine-*te. Quod ita debet intelligi, juxta D. Bonavent. in 4. dist. 32. a. 3. q. 2. in corp. Debitum conjugale reddi potest illis diebus sine omni culpa; dum tamen reddatur cum displicentiâ, & dolore; peti autem non potest sine culpa.

CAPUT VIII.

De excessu, tum in cibo, tum in potu.

Excessus tum in cibo, tum in potu ita affinis est luxuriei, ut unum vitium vix sine altero reperias. Ideò Paulus ebrietates comedationes cum impudicitia semper consociat, & Christus ipse rememorans ingluviem eorum hominum qui Noëmi temporibus vixerunt, & vaticinans vitia corum hominum qui in fine mundi victuri sunt, ait, *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nupti tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noë in Arcam*, & Matth. c 24. v. 38. Indicans intemperantiam inter & luxuriem fatalem quamdam intercedere necessitudinem, cum ergo tanta sit inter luxuriem & intemperantiam connexio, congruus ordo postulat, ut qui egimus de luxurie, jam de cibi potusque intemperantia

intemperantia agamus, & statuamus qualis
debeat esse apud Christianos & cibi, & potus
usus.

ARTICULUS L

An licitus, vel illicitus sit cibi & potus usus.

PROPOSITIO I. Non illicitus, quin
immò imperatus est is ciborum, & potus
usus, qui ad vitam sustentandam est necessa-
rius, solusque excessus est culpabilis.

Probatur 1°. Script. In statu innocentiae
Adamo interdictus est usus arboris scientiae
boni, ac mali: & imperatus usus arboris vi-
tæ, juxta illud, *Ex omni ligno Paradisi co-
mede, de ligno autem scientiae boni, & mali
ne comedas.* Gen. c. 2. v. 16. statim post pec-
catum usus fructuum terræ propriis manibus
excultæ permittitur, juxta illud, *In sudore
vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. c. 3. v. 19.
Statim post diluvium permittitur usus nedum
fructuum, sed etiam animalium viventium:
juxta illud. *Omne quod moveatur & vivit, erit
vobis in cibum; quasi olera virentia tradidit
vobis omnia.* Gen. c. 9. v. 3. Ergo non illicitus,
quin immò imperatus est moderatus ci-
borum & potus usus solusque excessus est
vituperabilis.

2°. Ex Greg. lib. 30. Morali c. 13. ubi sic
habetur. *Neque enim cibus, sed appetitus, id est
excessus, in vitio est, unde & laudiores cibos
plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores
non sine reatu conscientiae degustamus.* *Esaïa
primum per lenticulam perdidit: & Elias in*

eremo per virtutem spiritus carnes edendo servavit.

3°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 148. art. 1. *Gula est immoderata in cibo & potu delectatio. Ergo usus moderatus, tum cibi, tum potus non potest esse peccatum.*

4° Ratione. Quod necessarium est ad vitam sustentandam non potest esse peccatum. Atqui usus, tum cibi, tum potus est necessarius ad vitam sustentandam; ut quilibet experitur. Ergo usus, tum cibi, tum potus non est peccatum, nisi ratione excessus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Non illicitus, quin immò religiosus potest esse, tam cibi, tum potus usus quem soli sumimus; modò refectione illa fiat juxta regulas virtutis. De quo ita Aug. in Psal. 45. *Bene agis si quod manducas & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparacionemque membrorum gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia, & cibus tuus & potus tuus laudat Deum: Si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgitas; quamta sitibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat.*

C O N S E C T A R I U M II. Non illicitus, sed religiosus potest esse cibi & potus usus, quem cum aliis in honestis conviviis sumimus: videmus enim piissimos viros varia convivia celebrasse. Abraham enim sub formâ humanâ, Angelis apparentibus fecit convivium. Gen. c. 28. Isaac convivium fecit

Abimelech & Ochozach & Phicol & post cibum,
& potum surgentes manè juraverunt sibi mu-
tuò Gen. 26. v. 30. & de filiis Job dicitur ,
Ibant filii ejus . & faciebant convivia per domos
unusquisque in die suo. Job 1. v. 4. Demum
ipsemet Christus pluribus conviviis interesse
non dignatus est.

ARTICULUS II.

*Quandonam illicitus sit cibi & potus usus ,
quem sive privatim , sive cum aliis sumimus.*

PROPOSITIO I. Toties illicitus est
cibi potusve usus , sive in privatis refec-
tionibus , sive in conviviis sumptus , quoties
non servatur ordo rationis , vel quoad sub-
stantiam ciborum , ut cum fercula appetuntur
laudiora quam convenient statui , vel quoad
quantitatem ut cum plus cibi sumitur , quam
ratio requirit , vel quoad qualitatem , ut cum
nimia curiositas adhibetur in praeparandis cibis
ad satisfaciendum cupiditati ; vel ratione
modi , ut quando non habetur ratio decori
quod in sumendo cibo observari debet ; vel
ratione temporis cum vel saepius quam par-
est , vel cum tempore quo non oportet cibis
sumendis indulgetur.

Probatur 1°. Ex D. Greg. lib. 30. Morali.
novæ editionis c. 18. ubi sic habetur , *Quin-
que modis nos gulæ vitium tentat. Aliquando
namque indigentiae tempora prævenit : aliquan-
do verò tempus non prævenit : Sed laudiores ci-
bos querit : Aliquando quælibet quæ sumenda
sint , præparari accuratijs appetit , aliquando*

autem & qualitati ciborum & temporis congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderate refectionis excedit, nonnumquam vero & objectius est quod desiderat: & tamen ipso aestimatur immensi desiderii deterius peccat. Et haec continentur in hoc versu.

Præprozere, laute, nimis, ardenter, studiosè.

2º. Ratione. Toties peccatur, quoties in usu temporalium non servatur ordo rationis; atqui in usu ciborum predictis in casibus non servatur ordo rationis, ergo tunc peccatur.

Consecaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant qui in refectione utuntur cibis, vel potibus prohibitis, quia tunc non servatur ordo rationis quoad substantiam ciborum.

Sic peccant qui utuntur cibo, vel potu quibus nocetur sanitati, quia jus naturale vetat ea quibus nocetur sanitati.

Sic peccant qui utuntur cibo, vel potu interdictis lege positiva v. g. Catholici qui utuntur cibis ab Ecclesia prohibitis.

Sic peccavit Adamus cibum vetitum manducans, de quo Tertull. lib. de Jejuniis c. 3. Facilius ventri quam Deo cessit, paulo potius quam præcepto annuit, salutem gula vendidit manducavit denique, & periiit. Teneo igitur à primordio homicidam gulam.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant qui cibo, vel potus plus æquor indulgent; quia tunc non servatur ordo rationis quoad quantitatem, tales fuerunt Sodomitæ excedentes

in panis quantitate. *Hæc fuit, inquit Scriptura, iniquitas Sodomæ sororis tuæ saturitas panis & abundantia.*

C O N S E C T A R I U M III. Peccant qui lautiores quam par est quærunt cibos, variaque excogitant ciborum condimenta, talis fuit intemperantia Hebræorum, qui despicio manna carnes petierunt, Exod. 16. Hæc fuit pariter filiorum Heli ingluvies, quibus, cum non placerent carnes coctæ in altari Domini, crudas extorquebant à populo, ut eas juxta concupiscentiam suam condirent. 1 Reg. cap. 2.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant qui ardenter quam par est cibis & potibus inhiant, quia non servant ordinem rationis quoad modum. Talis fuit intemperantia Esaü quæ pulmentum lenticulare adeo ardenter expetiit, ut primogenita sua cibi edulio vendiderit.

C O N S E C T A R I U M V. Peccant qui vel crebrius, quam par est cibos sumunt, vel refectiones protendunt, vel tempus earum præveniunt. Talis fuit culpa eorum de quibus dicit Isaïas. *Væ qui surgitis manè ad ebrietatem settandam & potandum usque ad vesperam, ut vino æfuetis.*

P R O P O S I T I O II. Toties excessus in potu, vel cibo est peccatum mortale, quoties per illum excessum violatur, vel charitas erga Deum (ut cum statuitur ultimus finis in tali delectatione) vel cum violatur charitas erga nosmetipos, ut cum per talem excessum nocetur notabiliter sanitati, vel ratio obruitur, vel cum violatur charitas erga proximum, ut cum per talem excessum

scandalum sumus proximo, vel demum cum per illum excessum præceptum aliquod Ecclesiæ violatur.

Probatur. Toties peccatum est mortale, quoties laeditur virtus ad salutem omnino necessaria, ut diximus in primo tomo ubi de peccato mortali & veniali. Ergo excessus in cibo & potu toties erit peccatum mortale, quoties insigniter ladetur aliqua ex prædictis virtutibus.

consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant mortaliiter qui ita sunt addicti ciborum delectationi, ut in ea ultimò sistant, quia sunt hē de quibus dicit Paulus: *Quārum Deus venter est.* Hoc autem cognoscitur, inquit Cajetanus. *Quod homo nob̄ delectationem in comedendo non curat transgredi præceptum Dei, aut Ecclesie... ut si propter hoc furetur, aut contemnat jejunare, &c.* Verb. gula.

CONSECTARIUM II. Peccant mortaliiter qui ita sunt addicti delectationi in cibo & potu, ut malint potius insigniter nomine sanitati corporis, quam ab ea temperare. De hoc ita Cajetanus V. Gulæ. *Quandoque gula grande peccatum est: ut cum delectatio eibi alicet ad comedendum usque ad vomitum; aut alia inconvenientia & similiter cum inducit ad alia peccata, putat ad nūnium sumpsum vel ad nocendum propriæ sanitati, & ad quæcumque alia peccata: quæ secundum se sunt judicanda quanta sunt.* Ideò merito à pluribus Academiis damnata est sequens propositio. *Non nisi veniale*

est etiam absque utilitate cibo & potu usque ad vomitum se ingurgitare , nisi ex bujusmedio vomitibus gravia valciudini incommoda oriantur.

C O N S E C T A R I U M III. Peccant mortaliiter peccato intemperantiæ , simul & inobedientiæ qui excedentes vel in potu , vel in cibo præcepta infringunt Ecclesiastica v. g. manducam carnes diebus abstinentiæ , pluribus utuntur refectionibus diebus jejunii ; quia modum temperantiæ excedunt & præcepta Ecclesiastica contemnunt. De hoc ita D. Thom. 2. 2. q. 148. art 2. Si ergo , inquit , inordiaatio concupiscentiæ accipitur in gula secundum aversionem à fine ultimo , sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit quando dilectioni gulae inhæret homo tanquam sui propter quem Deum conuenit , paratus faciet contrà præcepta Dei agere , ut delectiones bujusmodi affequatur.

C O N S E C T A R I U M IV. Peccant mortaliiter qui excedentes in potu , vel cibo aliis sunt scandalum , provocando eos ad potum vel cibum excedentem : quia in causa sunt cur alii excedant. De hoc ita Aug. serm de tempore alias 232. iam in appendice 295. Qui amico suo nimium propinando in anima efficiunt inimicus , & corpus ejus debilitare , & animam probatur occidere. Melius erat , ut ex illo quod una die plus eum accipere coegerit quam expedit , per duos aut tres dies ipsum amicum ad suum convivium revocaret . . . Aut certè quod est melius , quidquid nimis potu perditura erat gula , pauperibus daretur in eleemosynam ; ut & caro rationabiliter bibendo reficeretur.

404 MORALIS CHRISTIANA.
retur, & per misericordiam pauperum animo redemptio præparetur.

CONSECTARIUM V. De ebrietate in particulari. Ebrietas voluntaria quoties rationem absorbet est peccatum mortale. Secundus si sit involuntaria. Scriptura enim dicit, *Cui uæ? cuius patri uæ? cui rixa? cui fovea?* cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis. Prov. cap. 23. v. 29. & Isaïas c. 5. v. 22. *Væ qui potentes estis ad bibendum.* Et Paulus I. ad Corin. c. 6 v. 10. *Neque fornicarii... neque ebriosi regnum Dei possidebunt,* & D. Thom. 2. 2. q. 150. a. 2. *Ebrietas est peccatum mortale;* quia homo volens & sciens privat se usu rationis, quo secundum virtutem operatur & peccata declinat.

Sed ebrietas involuntaria non est peccatum, quia nullum peccatum potest esse involuntarium.

Sic qui semel inebriatur voluntariè peccat mortaliter, quia, ut loquitur D. Thom. Magis vult ebrietatem incurrire quam à potu abstinere.

Sed gravius peccat qui ex consuetudine inebriatur, quia peccatum aggravatur ex consuetudine, ut diximus ubi de habitu vitioso voluntario. *Affiduias,* inquit D. Thom. 2. 2 q. 150. a. 2. ad 1. facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse quod homo assidue inebrietur, quin sciens ac volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.

Sic peccat mortaliter cujuslibet sortis vir qui inebriatur , sed gravius si sit Clericus quam si sit Laicus , si sit persona publica , quam si sit persona privata. Peccatum enim crescit ex circumstancia personæ.

Ebrietas Clericis specialiter prohibetur : dicit enim Paulus i. ad Timoth. c. 3. v. 2. oportet Episcopum irreprehensibilem esse ... non vinoventum ... Diaconos non multo vino deditos. Et Concilium Agatense can. 41. Ante omnia Clericis vitetur ebrietas , quæ omnius vitiorum fomes ; ac nutrix est. Quem ebrium suisse constituerit , ut ordo patitur , aut triginta dierum spacio communione statuimus submoven- dum , aut corporali subdendum supplicio. Si enim Levitis Araonicis dictum est , Livot. c. 10. v. 9. Vinum & omne quod inebriare potest non bibetis tu & filii ius , quando intrabitis tabernaculum testimonii , ne moriamini ; quanto potiori jure sobrios decet esse Clericos , qui Evangelicum ingrediuntur tabernaculum. Et si Nasaræi à vino & omni quod inebriare potest abstinebant numer. c. 6. & Rechabitæ , teste Jerem. c. 3. ut obedirent Patri Jonadab à vino temperabant ; quanto potiori ratione decet Clericos in usu vini non excedere.

Mulieribus juvenibus & magnatibus pariter strictius prohibetur ebrietas , quia ipsis maximè convenit sobrietas , ut docet D. Thom. Sobrietas , inquit , maximè requiri- tur in juvenibus & mulieribus , quia in ju- venibus viget concupiscentia delectabilis , propter fervorem etatis : in mulieribus autem non est sufficiens robur mentis ad hoc quod con- cupiscentiis resistat. Unde Apostolus i. ad

Timoth. c. 3. v. Mulieres similiter pudi-
cas, sobrias; & ad Titum c. 2. ait, Anus
similiter... non multo vino servientes...
Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.

Et D. Thom. ibidem ait, *Alio verò modo
magis sobrietas requiritur in aliquibus, utpote
magis necessaria ad propriam operationem ipso-
rum. Vinum autem immoderatè sumptum preci-
pue impedit usum rationis, & ideo senibus in
quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditio-
nem, & Episcopis, seu quibuslibet Ecclesie mi-
nistris, qui mente devota debent spiritualibus
officiis insistere, & regibus, qui per sapientiam
debent populum subditum gubernare, specialiter
sobrietas indicitur.* Ideò Apostolus ad Titum
c. 2. ait, hortare senes, ut sobrii sint, &
de Regibus & judicibus dicitur Prov. c. 31. v.
4. *Noli regibus dare vinum: quia nullum se-
cretum est ubi regnat ebrietas: & ne forte bi-
bant & obliviscantur judiciorum & iudicent cau-
sam filiorum pauperis.*

ARTICULUS III.

*Quandonam licitus, vel illicitus sit convivio-
rum usus.*

PROPOSITIO unica. Toties licitus est
conviviorum usus, quoties aut ad augen-
dam erga Deum Religionem, aut fovendam
inter homines societatem conducit.

Probatur 1°. Script. Sacrificia Judæorum
non tam erant sacrificia quàm convivia, ut
patet ex Agno Pascali aliisque victimis Deo
oblatis. Sacrificium Christianorum non so-

sūm est sacrificium, sed etiam convivium in quo unum corpus omnes efficimur, qui de uno pane participamus ergo convivia duplēcēt habent finēt, scilicet augere Religionem erga Deum & fovere societatem inter homines: Ergo toties licita convivia quoties ad unum ex illis finib⁹ conducunt, illicita verò si ad neutrum ex illis finib⁹ ordinantur.

2º Rat. Homines ad duplēcem communitatēm societatemque nati sunt; alteram quæ sit hominibus cum Deo, alteram quæ sit inter ipsos homines; atqui nihil aptius acomodatiusque esse potest ad utramque societatem fovendam quam convivia. si quā decet sanctitate fiant: Deo ob cibos acceptos simul cummunes gratias rependendo & societatem cum iis quibus convescimur nutriendo. Unde convivia Christianorum aut Agapes aut Eucharistia vocantur, Agapes; quia in his mutua fidelium fovetur concordia. Eucharistia verò quia in his gratiæ Deo redduntur. Ergo toties licitus est conviviorum usus quoties fiunt, vel ad augendam erga Deum Religionem, vel nutritandam cum hominibus societatem.

CONSECTARIUM unicūm. Toties vītiosa sunt hominum convivia quoties in conviviis alud intenditur quam incrementum aut Religionis aut societatis humanæ, quia hic duplex tantum est conviviorum finis.

Sic vituperanda sunt eorum convivia qui in conviviis hoc unum querunt, ut lautè comedant, ut liberaliter potent; qui modò ventrem impletant palato indulgeant sensibusque placeant cæterorum omnium obliviscuntur de quibus Isaías 5. v. 12. cythara &


CITATDANT

Lyra, & Tympanum & in vinum in convivis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis, de quibus pariter Petrus 2. Epis. cap. 1. v. 13. Deliciis effluentes, in conviviis suis luxuriantes.

Sic demum vituperanda sunt convivia eorum hominum, qui in epulis suis, vel fastum querunt: ut Assuerus. Esther cap. 1. vel vindictam contra inimicos suos: ut Absalon qui Amnon fratrem in convivio occidendum iussit, vel irreligionem ut Balthazar, qui vas sacriss in convivio abusus est, &c.

Qui plura & quidem egregia de conviviis scire voluerit consulat Guillelmum Stuchium in opere quod edidit de antiquitatibus convivialibus.

Post sextum præceptum *non mæchaberis*, sequitur septimum *Præceptum non furtum facies*. Sed quia istius præcepti explicatio omnia quæ ad justitiam tum distributivam tum commutativam pertinent complectitur, ideo ejus expositionem ad sequentem Tomum remittimus, Tomumque tertium concludemus sequenti tractatu.



TRACTATUS SEXTUS,

De octavo Præcepto.

OCTAVUM Præceptum his verbis exprimitur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* Exodi. 20. v. 16. Hoc præceptum duo facit; unum jubet, & aliud vetat. Jubet ut veritatem sectemur in communi colloquio, in judiciis, in pactis, in doctrina. Vetat ut omne mendacium suagiamus.

Jubet insuper, ut famam tum nostram, tum proximi illibatam servemus. Verat vero, ne tantisper eam labefactemus. Itaque agemus de veritatis amore, & de odio mendacii, de cura boni nominis, & de fuga diffamationis.

CAPUT PRIMUM.

De veritatis amore.

ARTICULUS I.

Quando oporteat veritatem occultare aut manifestare.

Nota 1^o. Quod veracitas est virtus quæ homo se talem exhibet exterius qualis est interius.

40 MORALIS CHRISTIANA

Nota 2^o. Quod loquela & silentium maximam prudentiam postulant ; quia juxta Scripturam : *Tempus est tacendi , tempus est loquendi.* Tenemur veritatem tacere, dum nocet, manifestare, dum potest. Liberum vero nobis est veritatem indifferentem, aut manifestare aut occultare, ideo quo pacto gerere nos oporteat in veritatis manifestatione , autocultatione sequentibus propositionibus expediemus.

PROPOSITIO I. Homo non tenetur semper omnem veritatem præcognitam alteri manifestare ; sed potest eam aliquando sapienter occulere , scilicet , quoties jus habet eam occultandi.

Probatur 1^o. Ex Script. Totum spiritum suum profert stolidus : sapiens differt , & reservat in posterum. Proverb. 29. v. 13. Ergo sapientis est veritatem aliquando occultare.

2^o. Ex August. Verum occultavit Dominus cum discipulis nondum idoneis dixit : Multa habeo vobis dicere , sed nunc non potestis portare illa ; Et Apostolus cum ait : Non potui loqui vobis quasi spiritualibus , sed quasi carnalibus : Unde manifestum est non esse culpandum verum aliquando tacere : falsum autem dicere non videtur concessum esse perfidis , super hæc verba : Perdes omnes qui loquuntur mendacium Psal. 5. v. 6. ergo , &c.

3^o. Ratione. Homo est Domini sua cogitationis exteriū exprimendæ : ergo non tenetur eam omnibus manifestare , sed tantum , quando judicat prudenter eam esse manifestandam. Manifestare autem veritatem

TRACT. VI. DE VIII. PRÆCIP. 411
præcognitam, est actus positivus, ut dicunt: ergo non est in omni casu exercendus; quia præcepta affirmativa non obligant, *ad semper & pro semper*, sed solum quoties ordo virtutis exigit.

Consecaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Quilibet homo potest in scientiis naturalibus ea quæ labore suo cognovit; sibi secreta reservare, & iisdem pro libito uti; quia jus habet utendi iis quæ invenit studio suo. Sic Philosophus, Mathematicus, Medicus, &c. possunt sibi solis reservare secreta, quæ studio suo invenierunt, nec tenentur ea publici juris facere; nisi ita exigeret bonum universale; ita egisse videtur Jacob, dum non manifestavit Laban arcana quo sibi fœtus nascebantur unicolores, vel discolores, qui ut pactionem injustam Laban præcaveret. Ita omnia temperavit, ut & ipse sui laboris fructum acciperet, & Laban non penitus spoliaretur, inquit Hieron. in quest. Hebraica; secretum autem illud suisse naturale contendit Hyeronimus, ibidem.

CONSECTARIUM II. Quilibet homo potest ea occultare, quæ manifestata aut sibi, aut suis damnum aliquod positivè inducerent, aut lucrum aliquod impeditent; quia quilibet habet jus præcavendi quod sibi videtur nocitum.

Sic in bello, ea quæ ad impugnandos inimicos parantur sunt eis occulta. Unde inter cætera documenta rei militaris, hoc

412 MORALIS CHRISTIANA:
præcipue ponitur de occultandis consiliis,
inquit D. Thom. ne ad hostes perveniant.
2. 2. q. 40. a. 3. Ideo Josué occultavit
insidias quas paraverat contra urben Hay.

Sic in mercandi exercitio, non tenetur
quis mercium vel penuriam vel abundantiam
quam folus cognitam habet, aliis pa-
refacere, sed potest ea notitiâ uti, ut mer-
ces emat, quas scit brevi raras fore, aut
eas vendat, quas novit brevi abundantes
fore.

CONSECTARIUM III. Quilibet ho-
mo potest reticere veritatem, quoties ipse-
met aut majus aut æquale damnum patere-
tur ex loquela, quam proximus ex silentio;
quia ordo caritatis non exigit, ut magis
mememus proximum quam nos ipsos.

Sic Abraham loquens de Sara partem ve-
xi dixit, scilicet, *soror mea est*, & partent
tacuit, scilicet quod conjux ejus esset, Gene.
20. v. 2. & 12. simile quid fecit Samuël 1.
Reg. cap. 16. v. 5. ad duo venerat, scilicet
ad ungendum David & ad sacrificandum,
unctionem tacuit, & sacrificium declaravit:
Ad immolandum Domino veni. Idem præsti-
tit Jeremias, dum totum colloquium, quera
habuerat cum Sedechia tacuit, Jerem. 33.
v. 24.

CONSECTARIUM IV. Quilibet ho-
mo potest etiam in donis supernaturalibus
ea occultare, quorum manifestatio non ju-
dicatur aliis necessaria, ideo ait David Psal.
38. v. 3. *Obmutui, & humiliatus sum, & plui*
à bonis.

PROPOSITIO II. Homo tenetur præ-

TRACT. VI. DE VIII. PRÆCEPTI. 473

cognitam veritatem toties occultare , quo-
ties ex veritatis manifestatione honor Dei
& utilitas proximi contrariè substrahen-
tentur.

Probatur 1°. Ex Script. *Multa habeo , in-*
quit Christus , vobis dicere , sed non potestis
portare modo. Quasi diceret ; sed illa vobis
non manifesto , quia honor Dei & utilitas
vestra id modo non postulant.

2°. Ex Gregorio Magno. *Laudandi sunt*
simplices , quod studeant nunquam falsa dice-
re ; sed admonendi sunt , ut noverint non nun-
quam vera reticere , sicut enim semper dicen-
tem falsitas lœdit : ita non nunquam quibus-
dam audita veritas nocuit Sic ut falla-
ciam semper utiliter vitant : ita veritatem sem-
per utiliter proferant. Pastor parte 3. admon.
12. Ergo toties veritas debet occultari , quo-
ties manifestata potest nocere.

3°. Ratione. Homo nihil potest agere ,
quod honori Dei vel utilitati proximi con-
trarietur ; quia præceptum istud , divinum
honorem non retardabis , utilitatem proximi
non impedes , est negativum obligans ad
semper & pro semper ; ergo oportet toties
veritatem occultare , quoties ex ejus mani-
festatione sequeretur , vel diminutio hono-
ris , vel diminutio utilitatis proximi.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Veritas est occul-
tanda ; quoties prævidetur deridenda ab au-
dientibus ; quia ita exigit honor Dei , ideo
Christus ita Apostolos præmonuit : *Nolite*

414 MORALIS CHRISTIANA

dare factum canibus , neque mittatis Margaritas vebras ante porcos : Idque exemplo suo ostendit , tacuit enim , coram Herode , à quo veritatem spretum iri præviderat.

C O N S E C T A R I U M II. Veritas est occultanda , quoties excedit captum audientium , quia hoc exigit utilitas proximi , cui noceret circa veritates excedentes instrui : *Altiora te ne quæsieris.* Sic doctrinam suam temperabat Christus , qui dicebat discipulis : *Multa habeo vobis dicere , sed non potestis portare modo.* Joan. 16. v. 12.

C O N S E C T A R I U M III. Veritas est occultanda , quoties ex veritatis manifestatione tumultus prævidetur secuturus , quia hoc exigit , aut honor Dei , aut utilitas proximi , de quo ita D. Thom. Si turbatio infidelium quia in de confessione fidei manifesta , absque aliquâ utilitate fidei vel fidelium non est laudabile in tali casu fidem publicè confiteri . 2. 2. q. 3. a. 2. ad 3.

C O N S E C T A R I U M IV. Veritas est occultanda , quoties ex veritatis manifestatione secutura est injusta denigratio famæ proximi ; quia charitas erga proximum exigit ut ejus famam curemus , de hoc ita sapiens : *Remove à te os pravum , & detrahentia labia sint procul à te.* Proverb cap 4. v. 24.

C O N S E C T A R I U M V. Veritas est occultanda , quoties ex veritatis manifestatione sequeretur revelatio secreti naturalis , cum hanc revelationem non jubet vel bonum publicum , vel præjudicium tertii ; quia fidelitas erga proximum postulat , ut arana commissa occultemus : *Qui ambulat fraudu-*

lenter, revelat arcana, qui autem fidelis est animi celat amici omnissimum, inquit Sapiens, Proverb. II. v. 13 & cap. 25. v. 9. Secretum extraneo ne reveles.

PROPOSITIO III. Homo toties teneatur veritatem præcognitam manifestare quoties id exigit ordo virtutis, seu ita postulant honor Dei promovendus, & utilitas proximo procuranda.

Probatur 1°. Script. ad Eph. 4. v. 12, Veritatem, inquit Paulus facientes in charitate, crescimus in illo per omnia. v. 25. propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Ergo veritas est manifestanda quoties id exigit ordo charitatis seu virtutis

2°. Ex Chrysostomo: Veritatis proditor non solum ille habetur, qui transgrediens veritatem, palam mendacium pro veritate loquitur; sed etiam ille, qui non liberè pronuntiat veritatem quam liberè pronuntiare oportet aut non liberè veritatem defendit; in Math. homil. 25.

3°. Ratione. Tunc præcepta affirmativa urgent, quando ita exigit ordo virtutis; ordo autem virtutis est, ut honor Dei promoveatur, & utilitas proximi procuretur: ergo tunc manifestanda est veritas, cum ita postulant honor Dei promovendus, & utilitas proximi procuranda.

Consecaria hujus Doctrinæ?

CONSECTARIUM I. Manifestanda est

veritas , quoties per veritatis manifestatio-
nem virtus incrementum accipit , aut per ejus
occultationem virtus daimnum patitur ; quia
ita exigit ordo virtutis , & ita non occul-
tanda , sed è contra manifestanda veritas est ,
cum per veritatis manifestationem docenda
est fides , erigenda spes , fovenda charitas ,
defendenda religio , conservanda justitia ,
aut aliquid explicandum quod ad Evange-
lium pertineat exemplum hujus zeli habe-
mus in Paulo dicente : *Non erubesco Evan-
gelium* , ad Rom. i. v. 16. & rursus : *Væ
mibi , si non Evangelisavero i. Cori. 9. v. 16.*

C O N S E C T A R I U M II. Manifestanda est
veritas quoties debita legitimis superiori-
bus obedientia manifestationem præcipit ve-
ritatis , & occultationem veritatis vetat ;
quia ita exigit ordo virtutis , & ita non oc-
cultanda . sed è contra manifestanda veritas
est , cum ita jubet superior Ecclesiasticus
vel politicus , vel domesticus , non propter
privatum sui commodum , sed propter bo-
num commune , quapropter lapidatus est
Acham ; quia iustus à legitimo superiore
Josué scilicet , *veritatem* , Reip. necessariam
noluit promptè aperire , sed peccatum suum
tunc solum confessus est , quando fors super
ipsum cecidit . Jos. 7.

C O N S E C T A R I U M III. Manifestanda est
veritas quoties bonum publicum , vel Ec-
clesie , vel Reip. manifestationem veritatis
exigunt , & reticentiam veritatis prohibent.
Et ita manifestanda est disseminatio occul-
torum errorum contra fidem , machinatio
secula contra religionem , manifestanda ,

œculta proditio contra principem : sic Cusai remanit cum Absalon , ut machinationes Absalonis contra David proderet . 2. Reg. 17.

CONSECTARIUM IV. Manifestanda est veritas quoties ex manifestatione veritatis secutura est liberatio innocentis , ex reticentiâ verò secutura est injusta condemnatio illius ; sic Daniel innocentiam Susannæ contra duos calumniatores ostendit , Daniel 13.

CONSECTARIUM V. Manifestanda est veritas quoties circa veritatem interrogamur ; secundum ordinem juris , vel in foro interiori per confessarium , vel in foro contentioso per judicem , tum politicum , tum Ecclesiasticum ; quia ita exigit ordo virtutis ; & ita isti tenentur dicere veritatem .

1°. Pœnitens cum interrogatur à confessario circa ea , quæ ad bonum spirituale ipsius conducunt .

2°. Reus , cum interrogatur à judice secundum ordinem juris , scilicet cum adest semiplena probatio .

3°. Testes , cum interrogantur circa ea , de quibus debent testimonium ferre .

PROPOSITIO IV. Quoties homo vult aliis suos conceptus , vel verbo , vel facto manifestare , ita debet esse sincerus , & candidus ut nihil agat , aut dicat contra veritatem .

Probatur 1°. Scriptura : *Veritatem tantum & pacem diligite* , ait Zach. 8. v. 19. Propter quod , inquit Paulus , *d̄ponentes mendacium , loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo , quoniam sumus invicem membra* , ad Eph. 4. v. 25. Ergo homo ita sincerus esse debet ut nunquam lœdat veritatem .

2°. Ex Lactantio : *Est enim nefas eum, idest Christianum, qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem; atque ab ipsa, quam sequitur veritate discedere.... Nec aliquando committet, ut lingua interpres animi assensu & cogitatione discordet.* lib. 6. cap. 18.

3°. Ratione. D. Thom. *Dicendum, quod quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo alteri debet id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestibus; & ideo virtus veritatis aliquando attendit rationem debiti.* 2. 2. q. 109. a. 3. ad 1. & ita cum homo alteri vult suos conceptus manifestare, ita debet esse sincerus & candidus, ut nihil agat contra veritatem.

Consectaria hujus Doctrinae.

Homo tenetur in omnibus, præcipue in sequentibus casibus veritatem sectari.

1°. In communibus colloquis sive de rebus necessariis, sive de rebus indifferentibus loquatur, alias periret omnis colloquiorum fiducia.

2°. In omnibus actibus forensibus, sive sententiam pronuntiet, ut judex; sive testimonium ferat, ut testis; sive aggrediatur, ut actor; sive se defendat, ut reus; quia alias periret omnino justitia, si in foro liceret mendaciis proximum opprimere.

3°. In omnibus pactis & conventionibus, quibus ineuntur contractus ultrò citroque

obligatorii ; quia aliás periret omnino commercium , si contrahentibus liceret se se mutuis dolis decipere

4º. In docendi exercitio ; quia aliás magis noceret , quām prodesset , docendi exercitium , si licitum esset Doctoribus discipulos falsa edocere.

In prædictis casibus tantus esse debet sinceritatis amor , ut & ab æquivocatione & restrictione mentali abstinentur sit , quod ut magis pateat , sit.

ARTICULUS II.

De æquivocatione & restrictione mentali.

A Equivocatio generatim est pravus usus terminorum , qui destinantur ad exprimendos mentis conceptus .

Equivocatio est duplex , verbalis , & mentalis.

Equivocatio verbalis fit , cum verba ambigua sumuntur in uno sensu à proferente , & in alio sensu ab audiente , intentione fallendi audientem ; ut si de gente Gallus interrogatus , an sit gallus , nec ne ? respondeat se non esse Gallum , id est pullum gallinaceum .

Equivocatio mentalis est , cum verba , quæ unum & simplicem sensum patiuntur , per tacitam restrictionem aut reservationem in mente factam commutantur à loquente in sensum plane diversum ; ut si Sacerdos interrogatus an sit Sacerdos ? respondeat se non esse Sacerdotem , subintelligendo Jovis , aut Balæam , aut alterius falsi Dei ; intor-

rogatus , an sit Rex in urbe , respondeat ; ita est , subintelligendo in sui imagine.

PROPOSITIO I. Quando verba sunt clara , & non ambigua , tum in se , tum ratione circumstantiarum , & quivocationes verbales , & restrictiones mentales sunt illicitæ.

Probatur 1º. Script. *Qui sophistice loquitur odibiis est.* Eccles. 37. v. 23. quippe , ut ait August in Enchir. cap. 17. usque adeo rationa is natura refutat falsitatem , & quantum potest devitat errorem , ut falsi nolint etiam quicunque amant fallere.

2º. Ex Aug. *Verba propterea sunt instituta , non per quæ invicem homines fallant , sed per quæ in alterius quisque notiā cogitationes suas perferat , verbis ergo uti ad fallaciam ; uti fit in æquivocatione & restrictione mentali : Non ad quæ constituta sunt peccatum est.* in Enchi. cap. 22

3º. Ex Fromacio anno 400. *Dominus inter juramentum & loqueland nostram nullam vult esse distantiam ; quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam : ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium.* Can. juramenti hæc causa : ergo sicuti perjurium est peccatum , ita æquivocatio & restrictio mentalis.

4º. Ex Clero Galli. *Æquivocatio & restrictio excusari non possunt exemplo aliqui-
jus sancti ; tum quia , ut ait Aug. lib. contra Mendac. cap. 9. Non omnia quæ à sanctis , vel justis viris legimus facti , transferre debemus in mores.* Tum quia damnata est ista propositio à Clero Gallicano anno 1700.

Patriarchæ,

Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli ipse Christus; nedum viri iusti & sancti æquivocationibus, sive amphiboliis, & restrictionibus mentalibus usi sunt.

5°. Ratione. Expressio facta cum æquivocatione verbali & restrictione mentali. 1°. Opponitur enuntiationis fini, qui est manifestare quod habemus in mente. 2°. Provenit ex intentione fallendi, cum opinionem veritati contrariam alterius animo nitatur ingenerare. 3°. Omnem inter homines societatem dissolvit, cum permissa æquivocatione & restrictione futuri simus semper inscii, an homines ita sentiant, ut loquuntur: ergo & æquivocatio verbalis & restrictio mentalis sunt peccata.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Non est utendum æquivocatione vel restrictione cùm nulla subest causâ, nisi sola voluntas, vel recreatio; quia damnata est hæc propositio ab Innocentio XI & Clero Gallicano: Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod reverâ fecit, intelligendo intrâ se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus. Ergo per æquivocationem & restrictionem committitur semper mendacium, & si interveniat juramentum committitur perjurium ut definit Papa & Gallicani præfules.

CONSECTARIUM II. Non est utendum æquivocatione, vel restrictione mentali cùm subest sola utilitas, vel corporis curandi, vel honoris tuendi, vel rei familiaris conservandæ; quia damnata est sequens propositio: *Causa justa utendi his amphiboliis est, quoties id necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quælibet alium altum virtutis, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

CONSECTARIUM III. Non est utendum æquivocatione, vel restrictione mentali, cùm à nobis exigitur juramentum autoritate publicâ; quia damnata est sequens propositio: *Qui, mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cùm restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

CONSECTARIUM IV. Non est etiam utendum æquivocatione, vel restrictione mentali cùm interrogamur à legitimo superiore, etiam extra rigorem juris, & non exacto à nobis juramento; quia si in communi colloquio non liceat proximum æquivocationibus & restrictionibus fallere, à fortiori nec superiorem.

PROPOSITIO II. Quando verba sunt, aut in se ipsis, aut ex circunstantiis ambigua, tunc proferens potest ea sumere in uno sensu obvio, licet audiens ea receptatus sit in alio sensu obvio diverso ab eo in quo lu-

muntur à proferente, modò proferens justam causam habeat reticendi eam veritatem quæ occultatur audienti.

Probatur 1º. Script. Hæc vox, soror; juxta orientales in sensu obvio duo significat, & eam quæ ex eodem patre, vel eadem matre nata est, & eam, quæ nobis aliqua cognatione juncta est. At aham dicens Saræ: *Dis obsecro, quod soror mea sis,* non est mentitus, juxta Aug. Enchyri. cap. 17. licet Abraham sumeret hanc vocem, soror, in uno sensu, audientes in alio: ergò absque mendacio possumus sumere verbum ambiguum in uno sensu obvio, licet audiens sit accepturus in alio.

2º. Ex Aug. lib. contrà mendacium cap. 17. in istis duobus casibus non est mendacium: *Sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum;* sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi, quod genu figuratorum, vel dictorum, vel factorum abundat in Prophetis; Ergò non sum mendax, et si verum taceam, & quamvis utar vocibus ambiguis diversa significantibus, et si sumam ea verba ambiguæ in uno sensu, & is cui loquor in alio.

3º. Ratione. Quando verba sunt ambiguæ, & in usu hominum diversa significant, potest eis quilibet uti juxta significationem obviam & sibi oportunam, jus enim habet: sicut quando res est publica, potest cā uti juxta utilitatem sibi oportunam, & convenientem, v. g. sitiens utitur aquis ad bibendum, dum alius eisdem utitur ad lavandum corpus: Ergò & potest proferens uti termino juxta unam significationem obviam, dum audiens

fumit eumdem terminum juxta aliam significationem obyiam.

Sic Athanasius interrogatus à satellitibus, an inde longè abesset Athanasius, respondit eum non longè abesse; & ita illos contrarium cursum tenentes effugit. Athanasius sumebat vocem illam longè in uno sensu, satellites verò in alio.

Sic Elisæus interrogatus à Syriæ milibus, an hæc esset civitas, in qua erat Elisæus, Dixit ad eos: Non est hæc via neque ista est civitas sequimini me, & ostendam vobis virum quem queritis. Duxit ergò eos in Samariam. 4. Reg. 6. v. 19. Hæc integra phrasis sumebatur in uno sensu ab Elisæo, in alio verò à militibus non habentibus jus interrogandi.

P R O P O S I T I O III. Quando verba sunt ambigua, aut in scipisis, aut in circunstatiis, tunc proferens debet ea sumere in eosensu, in quo audiens ea recepturus est, si interveniant vel conventio vel juramentum, vel proferens teneatur impedire aut ex charitate, aut ex justitia, ne proximus decipiatur per hæc verba ambigua.

Probatur 1^o. Script. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum*, Lev. 19. v. 11. Id est, ut exponit Menochius, non negabitis veritatem in deposito, credito, aliove quovis contractu aut debito. Ergò non licet uti verbis ambiguis in alio sensu, quam sumantur ab audiente. Cum intervenit vel simplex conventio, vel conventio juramento firmata, vel obligatio impediendi ne proximus verbis ambiguis decipiatur.

2. Ceterum, si in iure de mandatis et ceteris

2^o. Ex Aug. lib. de conflictu vitiorum & virtutum cap. 19. can. *Nec artificiose, ubi sic habetur: Nec artificiose mendacio, nec simpli- ci verbo oportet decipere quemquam: quia quo- libet artis modo mentiatur, os quod mentitur, occidit animam.* Ergo non licet artificiose uti verbis ambiguis ad decipiendum proximum in praedictis casibus.

3^o. Ratione. Quoties intervenit vel con- ventio simplex, vel conventio juramento firmata, vel obligatio impediendi ne proximus verbis nostris decipiatur; tories proximus justè præsumit nos ad mentem ipsius interrogantis responsuros. Ergo in illis casibus non licet uti verbis ambiguis sumendo ea in uno sensu dum proximus sumit in alio.

C O N S E C T A R I U M unicum. Nunquam licet contrahere cum æquivocatione, jurare cum æquivocatione, docere cum æquivocatione, testari cum æquivocatione, quia in his casibus omnis ambiguitas fugienda est.

P R O P O S I T I O IV. Quando jocosè lo- quimur, & jocus noster audientibus obvius est, tunc possimus sumere verba contrà sen- sum obyium sine mendacii vitio.

Probatur 1^o. Script. Joseph absque menda- cio juxta interpretes ironice & jocosè allo- quebatur fratres suos: *cur sic agere voluistis? an ignoratis, quod non sit similis mei in au- gurandi scientiâ.* Genes. 44 v. 15. Ergo licet absque peccato aliquando jocosè loqui exem- plo Joseph. Quod si contenderet quis Jo- sephi esse mentitum, tunc factum illud non esset imitandum.

2^o. Ex Aug. *Cum autem, que non sint,*
Na iij

426 MORALIS CHRISTIANA;
ianquam joco dicuntur, non deputantur men-
dacia, in lib. quest. Gene. cap. 44, q. 145.

3° Ratione. Tunc non est mendacium,
quando audiens ex modo loquendi intelligit
nos aliter sentire quam loquimur.

CONSECTARIUM unicum. Cum ad-
vertimus his quae jocosè dicimus, proximum
nostrum decipi, statim corrigendum est sermo,
noster; vetat enim charitas ut proximum
nostrum decipi permittamus.

CAPUT I.

De Mendacio.

ARTICULUS I.

'An mendacium sit semper illicitum.'

Mendacium est vitium, quo homo aliter
se exhibet exterius, quam sit inter-
ius.

PROPOSITIO unica. Mendacium sem-
per & in omni casu est peccatum.

Probatur 1°. Script. Mendacium fugies,
Exod. cap. 23. v. 7. non mensemini, nec de-
cipiet unusquisque proximum suum, Lxxi. 19.
v. 11. Propter quod deponentes mendacium,
loquimini veritatem unusquisque cum proximo
sua. Eph. 4. v. 25. Nolite mentiri invicem.
Coloss. cap. 3. v. 9. Ergo mendacium est se-
per & in omni casu prohibitum.

2° Ex lactantio ann. 217. Nunquam mentien-
dum est, quia semper nocet, aut fallit. Epit c. 6.

3° Ex Aug. Elucet itaque discussis omnibus.

nibil aliud illa testimonia scripturarum monere, nisi nunquam esse omnini mentiendum. Lib. de Men. cap. 24.

4°. Ratione. Mendacium multas includit deformitates.

1°. Nocet mentienti; quia spoliat mendacem omni autoritate & fide, & inhabilem reddit ad officia, tum christiana, tum civilia: *Melior est pauper, inquit Scriptura quam vir mendax*. Prov. 19. v. 22.

2°. Proximo non parum officit; quia eunt falsitate imbuit; falsitas enim est malum mentis, veritas autem è contra est bonum mentis.

3°. Reipublicæ obest; quia bonum Reip. consistit in mutuo hominum commercio, quod itaque tollitur, si mutuis nos mendaciis decipiamus, & aliter quam sentimus mente, verbis loquamur.

Consecutaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M. I. Simulatio, adulatio, hypocrisis, jactantia sunt peccata; quia vel sunt mendacia, vel includunt mendacium. Non sunt tamen æqualis deformitatis; quia non æqualiter offendunt Deum, nec æqualiter proximo, vel Reipublicæ nocent.

Mendacium, jocosum, officiosum, & perniciosum sunt peccata; quia ex Augustino & D. Thom, sunt species mendacii. Non tamen æqualis sunt deformitatis; quia non æqualiter offendunt Deum, nec æqualiter nocent vel proximo, vel Reipublicæ.

428 MORALIS CHRISTIANA.

Mendacium jocosum est illud , quod nulli nocet , sed delectandi causâ dicitur ; & hoc est peccatum veniale , inquit Cajet verbo mendacium : tale fuit mendacium Sarx negantis se risisse.

Mendacium officiosum est illud , quod si nè ullius injuriæ dicitur , ut alicui pro sit ; & hoc est peccatum veniale , ait Cajet . Tale fuit mendacium obstetricum Ægyptiarum , quæ mentiebantur Pharaoni , ut infantulos Judæorum conservarent . Exod . cap . 1 . v . 11 . Item mendacium , quo Rahab exploratores liberavit , dicens : Cum porta clauderetur in tenebris , & illi pariter exierunt , persequimini citò , & comprehendetis eos . Josue cap . 2 . v . 5 .

Mendacium perniciosum est illud quod injuriousum , aut nocivum est , aut Deo , aut homini ; & hoc est mortale ex suo genere , ita Cajet . Tale fuit mendacium Diaboli tentantis primos parentes . Dixit autem serpens ad mulierem ; nequaquam morte moriemini . Genes . 3 . v . 4 .

C O N S E C T A R I U M II. Simulatio est peccatum ; quia est mendacium consistens vel in facto solum , vel in facto simul & verbo , quibus exterius exprimitur aliquid aliter , quam sit in mente . Simulationem Scriptura ita vituperat : Simulator ore decipit amicum suum , justi autem liberabuntur scientia . Proverb . 11 . v . 9 . Talis fuit simulatio Absalon qui finxit iter in Hebron , ut sacrificaret Domino , & tamen mente meditabatur concitare populum in patrem David . 1 . Reg . 15 . v . 6 .

C O N S E C T A R I U M III. Hypocrisia est

peccatum; quia est mendacium consistens vel in facto solum, vel in facto simul & verbo, fingendo exterius sanctitatem fictam & simulatam: quippe hypocrisis est mendacium, quo quis simular personam justi vel justioris, à quo nos deterret Scriptura dicens: *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum.* Eccle. 1. v. 37. & Christus: *Væ vobis, hypocritæ* Talis erat hypocrisis Pharisæorum, qui festucam in aliis videbant, & in se trabem non attendebant; qui quod erat de foris mundabant, minimè vero quod intus erat. Lucæ 6. v. 41.

C O N S E C T A R I U M IV. Adulatio est peccatum; quia est mendacium partim in facto, partim in verbo consistens, quo excedimus in laude, vel complacentia erga proximum. De hoc ita Scriptura: *Melius est à sapiente corrigi, quam flulatorum adulazione decipi.* Eccle. 7. v. 6. Talis fuit adulatio Iudæorum erga Herodem. *Populus autem acclamat: Dei voces, & non hominis.* Act. 12. v. 22.

C O N S E C T A R I U M V. Jactantia est peccatum; quia est species mendacii quā quis jactat & extollit se suprà id, quod habet. *Laudet te alienus & non os tuum, extraneus, & non labia tua:* ait Sapiens Proverb. 27. v. 1. Talis fuit jactantia Goliath contrà David. 1. Reg. 17. v. 8.

C O N S E C T A R I U M VI. Ironia est peccatum; quia est species mendacii, quo quis affingit sibi defectus, quos non habet, vel negat de se dotes, quas habet. *Est qui ne- quiter se humiliat, interiora ejus plena sunt dolo,* ait Eccle. 19. v. 23. *Cum humiliatis-*

causâ mentiris, inquit Aug. *Si non eras peccator, antequâm mentireris, mentiendo efficeris...* nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas. Serim. de verbis Domini 182. aliâs 29.

CONSECTARIUM VII. Nulla est occasio, in qua mentiri liceat, ut vel nobis, vel proximo bona, vel spiritualia, vel temporalia conferamus. Aug. lib. contra Mendacium 29. Sicuti non est furandum ad dandam elemosynam; *Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, ideo dicit Eccle. cap. 7. v. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona.*

Et ita non licet mentiri.

1º. Pro conservanda vitâ hominis breviter morituri v. g. moriturus est pater agrotans, si ei annuntietur mors filii defuncti, dicendo contrâ veritatem, filius tuus non est mortuus. Aug ibid. cap. 18.

2º. Pro conservanda vitâ innocentis iniqûe conquisiti ad mortem; sed dicendum, nec prodam, nec mentiar Aug ibid. cap. 13.

3º. Pro conservanda pudicitiâ involuntariè perdenda; quia castitas mentis quæ servatur illæsa per veritatem, est præstantior, quam castitas corporis, si servetur intacta per mendacium Aug ibid. cap. 7.

4º. Pro æternâ salute alicujus procurandâ v. g. ut obtineam per mendacium licentiam baptizandi puerum sine baptismo moritum; sicuti non est moechandum ut baptizetur infans, ita nec mentiendum Aug ibidem cap. 20. *Ad sempiternam vero salutem nullus dusendus est opitulante mendacio.*

5^o. Pro detegendis hæreticis Ecclesiam de-
vastaturis , vel devastantibus . Sicuti non li-
cet castitatem perdere , ut detegas hæreti-
cum ; ita nec veritatem Aug ibid. cap 7.

6^o Pro detractione reparanda ; si detraxeris ,
detegendo crimen verum , sed occultum , non
potes dicere te mentitum ; quia mendacium
est malum , ita D. Tho. 2. 2. q 62. a 2. ad 2.
Potest aliquis famam alicui auferre . Verum
dicendo , sed injustè , purè cum aliquis prodit
crimen alterius contra ordinem debitum , &
tunc tenetur ad restitutionem famæ , quantum
potest , sine mendacio tamen , ut pote quod di-
cat se male dixisse . vel quod injustè diffama-
verit.

ARTICULUS II.

Quandonam mendacium sit peccatum mortale?

PROPOSITIO unica. Toties menda-
cium est peccatum mortale , quoties op-
ponitur non solum veritati , sed insuper
contrariatur virtuti ad salutem absolutè ne-
cessariæ , v. g. fidei , spei , charitati , justi-
tiaz , religioni , bono publico ; vel si menda-
cium cum scandalo , aut juramento conjun-
gatur.

Probatur 1^o. Script. Perdes omnes , qui lo-
quuntur mendacium. Psal. 5. v. 7. scilicet per-
niciosum , ut explicat Aug. in istum Psal.
Omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno
ardenti & sulphure , quod est mors secunda. Apoc.
21. v. 8. Ergo cum mendacium perniciosum
mortem æternam mereatur , debet esse pecca-
tum mortale.

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 110. a. 4. in corp. ait Mendacium, quod non solum opponitur virtui veritatis, sed etiam virtuti fidei, & Religionis. Idem dic de aliis virtutibus ad salutem omnino necessariis, hoc mendacium est gravissimum & mortale.

3°. Ratione. Toties actus legi disformis peccatum est mortale, quoties opponitur mediis ad salutem obtainendam simpliciter necessariis; quia grave peccatum est praeccludere sibi viam regni caelstis: Ergo mendacium erit mortale, quoties opponetur predictis virtutibus, quae sunt ad salutem consequendam omnino requisita.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Mendacium contrarium fidei, cuius veritatem aliquis tali mendacio occultat, vel corrumpit, ut loquitur D. Thom. est mortale; quia opponitur virtuti Theologicæ.

Sic docere aliquid contra fidem, est peccatum mortale. Tale est mendacium eorum, qui haereticorum perversa dogmata disseminant.

Sic docere aliquid contra bonos mores est peccatum mortale. Tale est mendacium Caſuſtatum, qui ex privatis affectibus, vel severiore, vel laxiore doctrinam tradunt, contrà illud Scripturæ: *Vae qui dicitis bonum malum & malum bonum.* Isaiæ 5. v. 20.

C O N S E C T A R I U M II. Mendacium contrarium spei, quo quis vel desperationem, vel presumptionem inducit, est peccatum mortale,

mortale; quia opponitur virtuti Theologicæ. Tale est mendacium eorum, qui falso asserunt Deum non parciturum pœnitentibus, quia est justus, aut non punitur impenitentes, quia est misericors.

CONSECTARIUM III. Mendacium contrarium charitati, vel erga Deum, vel erga proximum, quo Deus vel proximus injuriam gravem patitur, est peccatum ex suo genere mortale; quia opponitur virtuti Theologicæ.

Sic in sequentibus actibus mendacium est peccatum mortale.

1º Adulatio contra charitatem Dei, quæ virtutum laudatur probitas vero vituperatur, de quo ita Psalmista: *Laudatur peccator in desideriis anime sue, & iniquus benedicitur.* Talis erat adulatio Judæorum Christi Religionem insectantium, ut adularentur Cæsari: *Hi omnes, id est Christiani, aiebant, contra decretum Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Jesum.* Act. 17. v. 7.

2º Hypocrisis contraria charitati erga Deum, quæ vera pietas spemitur, & species virtutis ambitur, quæ homo intendit esse malum, & simulat se esse bonum, de qua ita Paulus: *Sunt quidam habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes & hos devitam.*

2. Tim. 3. v. 5. Talis erat hypocrisis Phariseorum qui decimabant; *Mentam & anetum, relinquentes, quæ graviora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.* Matth. 23. v. 23.

3º Adulatio contraria charitati erga proximum, quæ palpatur proximus, ut ei noceatur; à quo nos ita dehortatur Sapiens:

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Prover. 27. v. 6. Talis erat adulatio Saülis erga Davidem, qui ut ei noceret cum blanditiis eum alloquebatur.

4°. Hypocrisis contraria charitati erga proximum, quā affectatur pietas, ut noceatur proximo, & paretur via ad officia civilia, vel Beneficia Ecclesiastica, de quibus hypocritis ita Bernard. *Intus Herodes, foris Joannes*: Tales illi quos ita Christus alloquitur: *Vae vobis hypocrite, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis iudicium.* Math. 23. v. 14.

5°. Jactantia injuriosa Deo, quā quis se se extollit contra Deum, talis fuit jactantia Regis Tyrii dicentis: *Deus ego sum.* Ezech. 28. v. 2.

6°. Jactantia insultans proximo. Talis fuit Jactantia Pharisæi: *Non sum sicuti cæteri hominum, velut etiam hic publicanus.* Lucæ. 18. v. 11.

7° Jactantia perniciosa virtuti, quā quis jactat & peccata quæ fecit, & quod peius est peccata, quæ non fecit. Talis erat jactantia Augustini nondum baptisati; qui de peccatis quæ non commiserat gloriabatur.

C O N S E C T A R I U M IV. Mendacium contrarium religioni, quo vel negatur vera religio, vel falsa simulatur est peccatum mortale; quia opponitur virtuti ad salutem simpliciter necessariæ. *Primum est capitale mendacium longèque fugiendum, quod fu in Doctrina Religionis, ad quod mendacium nulla conditione debet quisquam adduci,* inquit Aug. de mendacio. cap. 14.

Sic peccant letaliter.

1^o. Qui negant veram religionem. Talis fuit Petrus , qui ter Christum negavit , sed ad galli cantum resipuit.

2^o. Qui simulant falsam religionem , in tuis veram retinendo. Tales erant qui suadebant Eleazaro seni , ut simularet edere carnem porcinam.

3^o. Qui prædicant falsam religionem , ut faciunt politici , ut se accommodent regum populorumque genio. Tales erant falsi Prophetæ de quibus Jeremias . cap. 5. v. 31. *Prophetæ Prophetabant mendacium , & Sacerdotes applaudebant manibus suis , & populus meus dilexit talia.*

4^o. Qui ventitant falsa ad religionem pertinientia , ut faciunt , qui falsa prædicant miracula qui factas proponunt indulgentias , qui falsas exponunt reliquias. Tales sunt illi qui libros Apocryphos scripserunt , quasi religio egeret mendaciis.

C O N S E C T A R I U M V. Mendacium contrarium justitiae , quo nocetur notabiliter proximo vel quoad vitam , vel quoad honorem , vel quoad bona temporalia , est peccatum mortale ; quia est contra virtutem ad salutem absolutè necessariam.

Sic mendaces peccant mortaliter in sequentibus casibus.

1^o. Si noceant vitæ corporeali. Tale fuit mendacium sennum Susannam adulterio accusantium , lex enim adulteram morti addicebat : *Si mæchatus quis fuerit cum uxore alterius , & adulterium perpetraverit cum conjugi proximi sui , morte moriantur & mæchus ei adultera.* Lev. 20. v. 10. Oo ij

438 MORALIS CHRISTIANA

2°. Si noceant vitæ spirituali , v. g. si proximum ad peccandum mortaliter suo mendacio allicitant. Tale fuit mendacium Pseudo-Prophetæ , de quo 3. Reg. 13. v. 18. Ait illi : *Ego Propheta sum similis tui , & angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens : reduc eum in domum tuam , ut comedat panem & bibat aquam & se sellit eum.*

3°. Si noceant bonis temporalibus proximi , ut si auferant à proximo , v. g. hæreditatem , beneficium , &c. Tale fuit mendacium Rachelis abscondentis idola patris sui , in sententia eorum qui volunt Rachelem verum furum commississe auferendo idola patris : *Ne irascatur meus Dominus , quod coram te consurgere nequeo : quia juxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi : sic delusa sollicitudo quærentis est.* Genes. 31. v. 35.

4°. Si noceant honori proximi , injustè diffamando. Tale fuit mendacium uxoris Putipharis di entis de Joseph : *Ingressus est ad me , ut coiret tecum.* Genes. 39 v. 14.

CONSECTARIUM VI. Mendacium oppositum publicæ fidei , quo fides publica læditur ; est peccatum mortale , præcipue cum res deducta est , aut deduci potest ad forum contentiosum ; quia publica illâ falsitate insigniter nocetur bono publico , quod fieri nequit absque peccato mortali ; insuper mendacium hoc solet vocari crimen falsi , quod in utroque jure punitur severis pœnis , quod indicat peccatum esse mortale .

MONITUM. Fit autem crimen falsi tribus modis.

1°. Per dictum ; ut si testis falsum depo-

nat, uti fecerunt viri diabolici, qui dixerunt falsum testimonium contra Nabot, imponendo ei blasphemiam. 3. Reg. cap. 21. v. 13. vel si testis verum supprimat, uti fecerunt duo falsi testes contra Christum, dicentes hic dixit: *Possum destruere templum hoc, & post triduum redificare illud* Math. 26. v. 61. Si quidem reticebant, quod Christus de templo corporis sui, non de templo Jerusalem loqueretur: *Vterque enim reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit.* Aug. can. Falsidicus.

2°. Per scriptum; ut si quis falsa confingat instrumenta, aut falsis utatur; item si quis vera instrumenta adversæ parti profutura sine causâ abscondat, aut supprimat; quia illud mendacium est contra fidem publicam, de quo ita capitulare, lib. 7 cap. 196. Qui falsa principum scripta detulerint, ut falsarii puniantur: *Tam ille qui subripit instrumentum, quam qui adversario parem advocationis copiam subtrahit, iniquam ostendit a se litem soveri, & cap: pervenis, extra de cogendis testibus, & ita non licet perditis primævis instrumentis, similia confingere.*

Ubi nota quod instrumentum potest esse falsum, vel in substantia vel in circunstantiis: in substantia, ut si Titius scribatur hæres Ioco Sempronii: in circunstantiis, ut si tempus pro tempore ponatur, quod Gallicè solet dici, *antidate*; aut si locus pro loco ponatur.

3°. Per factum, ut si quis monetam adulterinam cudat; si aurum vel argentum corruptat; si pondera vel mensuras minuat; si

sigillum falsum apponat ; si duobus in solidum rem eamdem vendat , in quibus omnibus casibus mendacium est peccatum mortale , quia publicæ fidei opponitur .

C O N S E C T A R I U M VII. Mendacium quod fit à personâ publicâ , cui ex officio incumbit veritatem tueri , est peccatum mortale , etiam si non sit alicui privato noxiū , ita D. Thom. *Quia tenentur veritatem conservare ex suo officio in iudicio & doctrina , contra quæ si mentianur , erit mendacium , quod est mortale.* 2. 2. q. 110. a. 4. ad 5.

Et sic non excusantur à mortali Doctores , Theologi , Prædicatores , Judices , qui veritatem eis depositam tueri negligunt , eamque vel occultant erubescentes Evangelium , vel corrumplunt adulterantes verbum Dei .

Et sic non excusantur à mortali magistri , qui ex negligentia insigniter culpabili , vel ex odio veritatis : vel ex timore mundano , falsas opiniones docent : *Circa ea , que pertinent ad perfectionem scientiæ , & informationem morum , ut loquitur D. Thom. Minime verò si falsa opinio ex mendacio genera ta sit circa aliquid de quo non referat , utrum sit , vel aliter cognoscatur.* 2. 2. q. 110. a. 4. in C.

C O N S E C T A R I U M VIII. Mendacium quocumque juramento firmatum est peccatum mortale ; importat enim contemptum Dei ; & sic non excusantur à peccato mortali .

Notarius falsitatem aliquam inserens in instrumento publico , etiam consentienti-

bus partibus : quia juravit se ab omni falsitate temperaturum , & quia vitæ, aut saltem honoris periculum subit, si coram judice accusetur & falsitatis convincatur. Exponere autem se lubenter tali periculo est peccatum mortale.

2º. Ministri justitiae , v. g. Advocati, Procuratores , Scribæ , Judices , Testes ; quia hæ vulgo jurant se nihil contra veritatem acturos.

C O N S E C T A R I U M IX. Mendacium quocumque cum gravi scandalo conjunctum , est peccatum mortale ; sic mendacium, inquit D. Thom. *Erit etiam peccatum mortale, dum scilicet aliquis non vereitur propter scandalum publicè mentiri.* 2. 2. q. 110. a. 4. in corp. Tale est mendacium publicum Episcopi , Sacerdotis , Religiosi : qui quocumque in casu mentiri non erubescunt ; per hoc enim dignitatem suam maximè deprimunt ; de quo Gregor. Papa VII. ad Alphons. Hispaniæ Reg. *Mendacium, inquit, in Sacerdotiis quasi sacrilegium conjicias.*

C O N S E C T A R I U M X. Mendacium quocumque conjunctum cum intentione mortaliter culpabili est peccatum mortale. Tale est mendacium etiam leve , vel officiosum, & jocosum, dictum intentione mœchandi, surandi, &c. Ut supra diximus ubi distinctione inter peccatum mortale & veniale.

ARTICULUS III.

Quando mendacium sit peccatum veniale, solum-

PROPOSITIO unica. Toties mendacium est solum peccatum veniale, quoties vel est indeliberatio ex parte dicentis vel non est insigne nocumentum in persona, contra quam dicitur mendacium, vel non est in dicente animus fallendi; quia tunc non interveniunt requisita ad peccatum mortale. De hoc ita Cajetanus verbo mendacium: Potest autem mendacium efficere, ut non pertingat ad peccati mortalis perfectionem tripliciter; vel propter imperfectionem actus ex parte dicentis, ut in primis motibus contingit, propter non deliberare consentire; vel propter imperfectionem actus ex parte documenti, ut in minimis contingit; vel propter imperfectionem ex parte formæ, ut contingit in detractione non animo detrahendi & similibus, ita quod mentiens in materia perniciosa, putâ in scientiis, non animo nocendi alicui, sed ex loquacitate, non putans inde aliquem notare, & concipere falsam doctrinam, quia non formaliter dicit perniciosum, non peccat mortaliter, nisi documentum sit adeò notabile, ut peccatum rebeat in naturam sua formæ, id est fiat perniciosum.

CAPUT III.

De fama & honore.

Fama est existimatio, quam habemus de aliquo ob ejus probitatem; quia vera fama innititur probitati, & Deo, & hominibus cognitæ, juxta illud Pauli: *Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* 2 ad Corin. cap. 8. v. 21.

Honor est protestatio alteri exhibita ob virtutem & excellentiam illius: quia virtus & excellentia merentur honorem, juxta illud Pauli ad Rom. 2. v. 10. *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum.* Diminutio famæ dicitur diffamatio. Diminutio honoris dicitur contumelia. Agemus 1^o. de curâ conservandi famam. 2^o. De fugâ diffamationis. Postea verò de curâ conservandi honorem, & de fugâ contumeliarum.

Fama absolutè spectata acquiritur probitatis exercicio; deperditur vitio.

Fama spectata prout est in mente cogitantis, conservatur; dum de nobis, vel de proximo benè sentimus; minuitur verò, cum malè, vel de nobis, vel de proximo sentimus.

Fama spectata, prout est in auribus audentium, conservatur, dum de nobis, vel de proximo rectè loquimur. minuitur verò, cum de nobis, vel de proximo malè habemus.

ARTICULUS I.

Quæ sit obligatio conservandi propriam famam,

PROPOSITIO I. Quælibet persona publica tenetur propriam famam ex lege justitiae conservare, & injustam infamiam repellere.

Probatur 1º. Paulus 1. ad Timor. 3. v. 2. ait: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Et v. 7. *Oportet autem illum testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli;* & ad Tit. 2. v. 15. *Nemo te contemnat:* Atqui hæc exigunt ut Prælatus sit bonæ famæ: Ergo tenetur bonam famam summo studio tueri, & quia persona publica non est sui commodi, sed aliorum, ejus pariter fama non est sua sed aliorum; Ergo ex justitia tenetur eam illibatam servare.

2º. Ex D. Thom. *Illi quibus incumbit ex officio vel statu perfectionis, aliorum salutis providere peccant, nisi infamiam propriam juxta posse repellant.* Quodlib. 10. art. 13. int. corp.

3º. Ratione. Persona publica debet singulari curâ tueri id omne quod est necessarium ad gloriam Dei & hominum salutem promovendam; quia ad id præcipuè statuitur persona publica: Atqui bona fama ad id est omnino necessaria, ut patet: Ergo persona publica debet singulari curâ famam tueri, non eo fine, ut in eâ famâ sibi complaceat: hoc enim malum est, sed ut gloriam Dei pro-

moveat, & ut aliis, vel exemplo vel, opera magis prodeesse possit. Sic Paulus ait ad Gal. I. v. 24. *Ecclesiæ Iudeorum in me clarificabant Deum.* & I. ad Thessal. I. v. 7. eos laudat, *Quod forma facti sint omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia.*

Consecutarium hujus Doctrinæ.

Hi qui subjiciuntur, debent speciali curâ propriam famam tueri.

1º. Prælati omnes spirituales. 2º. Prælati omnes civiles. 3º. Prælati omnes domestici, quia omnibus, sed præcipue Prælatis dictum est *curam habe de bono nomine.*

PROPOSITIO II. Quilibet etiam privatus tenetur propriam famam conservare motivo charitatis, quoties bonum Dei & utilitas proximi id exigunt; minimè verò motivo cupiditatis, quando id solum suadet inanis gloriæ desiderium.

Probatur 1º. Script. *Curam habe de bono nomine.* Eccle. 41 v. 15. *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorifacent Deum in die visitationis.* I. Petri 2. v. 12 Ergo privati tenentur famam suam conservare.

2º. Ex D. Tho. *Fama non est necessaria homini propter se ipsum, sed propter proximum edificandum, & Deum honorandum.* Appetere famam propter proximum, vel propter Deum, charitas est: *Appetere verò propter se ipsum, ad inanem gloriam pertinet.* Quodli. 10. a. 13.

in corp. Ergo ex charitate tenemur famam nostram illibatam servare.

3^o. Ratione. Homo tenetur gerere curam bonorum temporalium; quia etsi sit illorum Dominus, non ita est Dominus, ut possit pro libito ea dilapidare, sed eis uti debet in gloriam Dei, in utilitatem, tum sui, tum proximi. Ergo & tenetur curam gerere propriæ famæ; quia *melius est nomen bonum quam dinitiæ multæ*, Prov. 22, v. 1. Ergo privatus quilibet tenetur propriam famam curare in gloriam, & in utilitatem spiritualem, tum sui, tum proximi.

Consectaria hujus Doctrinae

CONSECTARIUM I. Debemus ambire gloriam, quæ in probitate consistat: *Qui gloriatur, inquit Paulus, in Domino gloriatur.* 1. Cor. cap. 1. v. 31. æmulamini charismata meliora. 1. Cor. cap. 12. v. 31.

CONSECTARIUM II. Debemus spernere gloriam quam pravi homines volunt sicutam esse in vitio: *Quid, inquit David, gloria ris in malitia, qui potens es in iniuitate.* Psal. 51. v. 3. & Isaïas 3. v. 9. objurgat eos qui peccata sua sicut Sodoma prædicaverunt.

CONSECTARIUM III. Debemus proximo subtrahere omnem occasionem diffamandi nos; quia non subtrahere hanc occasionem esset scandalum actuum, inquit D. Tho. quodlib. 10. a. 13.

CONSECTARIUM IV. Debemus linguis detrahentium compescere eo modo, quo debemus impedire furta, scilicet non alio modo,

modo, quām quo tenemur saluti proximi prōvidere. D. Tho. ibid.

C O N S E C T A R I U M V. Debemus probitatem exterius exercere, non ex hypocrisi, ut laudemur, sed ex charitate, ut ædificetur proximus, & laudetur Deus: *vos estis lux mundi*, inquit Christus, *luceat lux vestra coram hominibus*, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 5. v. 16.

M O N I T U M. Ex D. Thom. Licet privato homini pati detrimentum famæ suæ, modò illud non vergat in præjudicium aliorum, quia tunc privatus non positivè influit in sui ipsius diffamationem. Si-
cūt licet privato lacerbito pati sui ipsius vulnerationem, aut occisionem, nunquam verò licet se ipsum vulnerare aut occidere. *Sed arbitrii est*, inquit D. Tho. *detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.* 2. 2. q. 73. a. 4. ad 1. & ideo in hoc potest commendari, quod patienter proprias detractiones sustineat. D. Thom. ibid.

ARTICULUS II.

Quām strictè prohibeatur diffamare se ipsum.

P R O P O S I T I O unica. Nu'lli privato ho-
mini, à fortiori publico, licet se ipsum diffamare, vel imponendo sibi falsum crimen, vel extra rigorem juris, crimen verum, sed occultum manifestando.

Probatur 1º. Script. *Non loquitis contra proximum falsum testimonium.* Exod 20. v. 16.

445 MORALIS CHRISTIANA.

Ergo neque contra te ipsum ; quia debemus nos plus quam proximum diligere.

2°. Ex Aug. Prohibetur quemquam adversum se falso testari , sicuti adversus proximum ; quemadmodum alio praecepto , non occides , una & proximi homicidium & proprium prohibetur. 1. de Civit. Dei 20. v. 20. & rursus , Qui fidens conscientiae suæ , negligit famam suam crudelis est. Aug. ad fratres in eremo serm. 51.

3°. Ratione. Homo etiam privatus multò plus debet famam suam diligere , quam famam proximi ; quia amor bene ordinatus incipit à se ipso : Atqui non possumus alios diffamare : Ergo multò minus nosmetipos.

Homo etiam privatus non ita est Dominus suæ famæ , ut possit eam pro libito prodigere sed debet eam prudenter conservare ; quia si ita non fecerit , Deus autor famæ nostræ , Ecclesia custos ejusdem nostræ famæ , proximus nostræ famæ imitator , ex nostri diffamatione injuriam sustinet : Ideo dicit Aug. de bono vidui. cap. 22. Nobis enim necessaria est vita nostra , aliis fama nostra ; conscientiam bonam nobis debemus , bonam famam proximo ; Ergo non licet privato homini , à fortiori publico , se ipsum diffamare ; quia persona diffamata ad omnia munia inutilis est.

Consecratio hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Homo privatus diffamando se in materia gravi peccat mortaliter juxta Cajet ; quia non est Dominus suæ famæ : juxta Soto peccat solum veniali-

ter, quia etsi juxta ipsum sit Dominus suæ famæ, non tamen potest eam pro libito prodigere.

C O N S E C T A R I U M II. Homo privatus etiam juxta Soto peccat mortaliter diffamando se ipsum, si interveniat aliqua circumstantia, quæ mortaliter aggravet sui ipsius diffamationem, putè si id faciat cum sequentibns circumstantiis. 1°. Si turpitudinem suam jactitet, quia laudare se ob peccatum suum est ingens flagitium. 2°. Si infanda crima occulta manifestet, quia dum crimen suum publicum facit, scandalum patrit, nisi ex confessione publica tam ardens appareret pœnitentia, tam sincera humilitas, ut criminis manifestatio ædificationem potius quam scandalum pateret. 3°. Si in judicio publico id faciat, etiam ob metum tormentorum; quia sicuti metus non excusat à voluntariâ occisione sui, ita nec à sui ipsius diffamatione. 4°. Si se ipsum diffameret calumniando se, quia mendacium est perniciosum. 5°. Si se ipsum diffameret committendo perjurium; quia perjurium est peccatum mortale.

C O N S E C T A R I U M III. Homo privatus diffamando se peccat multò gravius, si ejus diffamatio perget in præjudicium tertii, quia tunc jus nullum habet supra suam famam cum fama aliorum conjunctam. Sic pater familias peccaret graviter, si crimen suum occultum publicum faceret, ex quo toti suæ familie ingens damnum enasceretur. Sic peccaret reus, qui complices occultos extra casus in jure expressos judici manifestaret. Quinam

CONSECTARIUM IV. Persona publica diffamando se ipsam multò graviùs peccat quām persona privata; quia ejus diffamatio sēmper nocet bono publico. Sic Episcopus, Curatus, Religiosus, Magistratus diffamando se multò graviùs peccant, quām si essent personæ privatæ; quia hæc diffamatio nocet, vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ.

ARTICULUS III.

Quæ sit obligatio conservandi famam proximi.

PROPOSITIO unica. Persona privata, à fortiori publica, debet gerere curam famæ proximi, & se se injustæ ejus diffamatiæ opponere, quantum potest.

Probatur 1°. Scripturæ. *Super argentum & aurum gratia bona.* Prov. 22, v. 1. Sed tene-
mur curare bona temporalia proximi: ergo
à fortiori ejus famam.

2°. Ex Aug. *Multò misericordius operantur erga animis infirmorum, qui famæ bone servorum Dei consulunt, quām erga corpora egenitium, qui panem esurientibus frangunt,* lib. de opere Monachali. cap. 22.

3°. Ratione. Bona fama proximi inservit multū ad pietatem promovendam: ergo & ex lege, quā tenemur pietateni promovere, tenemur & bonam proximi famam conservare.

CONSECTARIUM I. Quilibet tenetur bene sentire de proximo, omnem suspicio-
nem, omne dubium, omne judicium tem-

carium longè à mente abjecere , quibus labefactari possit fama proximi.

CONSECTARIUM II. Quilibet tenetur rectè loqui de proximo , vitans omnem detractionem , omnem calumniam , quibus denigrari possit fama proximi.

ARTICULUS IV.

De prohibitione diffamandi proximum.

Quam strictè prohibetur diffamare proximum.

PROPOSITIO unica. Omnis actio , quā insigniter diffamatur proximus , est peccatum ex suo genere mortale tantò gravius , quantò atrocior est diffamatio.

Probatur 1º. Script. Actio nocens vitæ temporali proximi est peccatum mortale , quia est contra illud : *Non occides* , actio nocens bonis temporalibus proximi est peccatum mortale ; quia est contra illud : *Non suraberis* : ergo actio nocens insigniter famæ proximi est peccatum mortale ; quia est contra illud : *Non loqueris contra proximum falsum testimonium*.

2º. Ex D^r Thont. Auferre alicui famam valde grave est ; quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior , per cuius defectum homo impeditur à multis bene agendis , & ideo detraction , & proinde diffamatio , per se loquendo , est peccatum mortale. 2. 2. q. 73. art. 2.

3º. Ratione. Quod pacem perturbat , ius-

40. MORALIS CHRISTIANA.

titiam & charitatem violat, est peccatum mortale; quia actio hæc opponitur virtutibus maximè necessariis: atqui diffamatio pacem perturbat; nemo enim æquo animo patitur societatem illius, quem improbum suspicatur: charitatem violat, quia alteri facimus quod nobis nollemus fieri: justitiam laedit, quia alienum bonum, famam scilicet violat: ergo diffamatio est ex suo genere peccatum mortale. Tantò gravius quanto atrocior diffamatio; quippe sicuti furti peccatum crescit juxta nocumentum illatum bonis temporalibus, ita & diffamatio crescit juxta nocumentum illatum famæ.

CONSECTARIUM I. Diffamatio interior quæ fit per dubia, suspiciones, & judicia temeraria contra probitatem proximi, etiamsi non aliis manifestentur est peccatum; quia per hoc proximus apud nos diffamat.

2°. Diffamatio exterior, quæ fit per detractionem & calumniam, est peccatum; quia per hæc proximum apud alios exterius diffamamus.

CAPUT IV.

*De diffamatione proximi apud nos interius
facta per suspicções , per dubia , &
judicia temeraria.*

ARTICULUS I.

*Quale peccatum sint suspicções , dubia , &
judicia temeraria facta contra probitatem
proximi.*

PROPOSITIO unica. Diffamatio interrior , quā proximus apud nos ipsos injūdē diffamamus , est peccatum mortale , si interveniat plena deliberatio ex parte agentis , & gravitas ex parte rei , circa quam proximus apud nos diffamatur .

Probatur. Ex dictis duo requiruntur ad peccatum mortale . 1° Deliberatio ex parte agentis . 2° Gravitas ex parte objecti : ergo toties diffamatio etiam interior erit peccatum mortale , quoties hæc duo includit .

Consectaria hujus Doctrinæ.

Nota. Dubium est hæsitatio intellectus in neutram partem inclinans .

CONSECTARIUM I. Qui sine fundamento dubitat de probitate proximi , etiam in materia gravi , peccat quidem , sed non mortaliter ; peccat , quia non licet dubitate de probitate proximi : *Charitas enim non cogitat malum.* Non peccat mortaliter , quia

dubium non importat plenum assensum.

Nota. Suspicio est inclinatio intellectus; in unam partem, potius quam in aliam propendens.

C O N S E C T A R I U M II. Qui ex levibus indiciis malam de proximo habet suspicione, etiam in materia gravi, peccat quidem, sed non mortaliter.

Peccat, quia suspicio est actus voluntarius à recta ratione dissonans, non enim debemus indiciis levibus suspicari malum de proximo: ideo Paulus recenset suspicionem malam inter peccata: *Ex pugnis verborum oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae.* 1. Tim. 6. v. 4.

Non peccat mortaliter, quia suspicio non est plenum, sed inchoatum judicium, suspicio ambiguatem quandam importat, judicium vero plenam determinationem: *Suspicio*, inquit D. Thom. *est quid imperfectum in genere judicii; & ideo est imperfectus mortuus, atque ideo non est mortale ex genere suo; quamvis si fiat ex odio, erit aliquando mortale.* Quodlib. 12. q. 22. a. 2.

Nota. Judicium diffamans proximum est assensus firmus, malum aliquod affingens proximo.

C O N S E C T A R I U M III. Qui male judicat de proximo peccat mortaliter, si diffamet in materia gravi, venialiter vero, si diffamet in materia levi.

Peccat mortaliter, si diffamet in materia gravi; quia adsunt omnia requisita ad peccatum mortale, scilicet plenus consensus, & materiae gravitas; *Cum aliquis pro certe*

malitiam alterius estimat, inquit D. Thomas, ex levibus indicis, & hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. 2.2 q. 60. a 3. in C.

Peccat vero venialiter, si diffamet, judicando male in materia levi; quia levitas materiae excusat à peccato mortali.

Nota. Judicium usurpatum diffamans proximum, est illud, quod fit ab eo, qui non habet autoritatem.

CONSTRUCTARIUM IV. Judicium usurpatum diffamans proximum apud nosmetippos, judicando circa ea, quæ Deus prohibuit à nobis judicari, est peccatum mortale; quia est contrà justitiam, & contrà veritatem Christi: *Nolite judicare, ut non iudicemini.* Math. c. 6. v. 1. *Noite condemnare, & non condemnabimini.* Matth. 6. v. 3. Tale est judicium, quo judicamus de statu æternō, quem quis habiturus est post mortem; illud enim ad solum Christum pertinet, & post judicium universale patebit. De quo judicio ita Paulus: *Nolite judicare ante tempus, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* 1. Cor. 4. v. 5. Tale est judicium, quo de interna intentione proximi judicamus; hoc enim ad solum Deum pertinet juxta illud: *Scutans corda & renes Deus* Tale est judicium, quo personam proximi in his, in quibus non nobis subjicitur judicamus: *Tu quis es,* inquit Paulus, *qui judicas alienum servum? Dominus suo stat, aut cadit,* ad Rom. 14. v. 4. *Tu quis es, qui judicas proximum?* inquit Jacobus. 4. v. 13.

Nota. Judicium temerarium diffamans proximum est illud, quod fit sine fundamento.

CONSECTARIUM V. Judicium temerarium, quo quis sine sufficienti fundamento affingit proximo aliquem defectum moralem, diffamans proximum, est peccatum mortale, quia sine sufficienti causa despicit proximum in corde suo. Judicium temerarium in re gravi est peccatum mortale, ait D. Thoni. Tale est judicium, quo judicamus aliquem peccatorem esse, quia exterius punitur à Deo; uti amici Job, qui judicarunt Job incidisse in aliquod grave peccatum, quia manus Dei affligebat ipsum. Uti Gentiles, qui judicarunt Paulum esse homicidam, quia videbant viperam ex ejus manu pendentem. Act. 28.

Tale est Judicium, quo judicamus proximum talem esse, qualis nobis exhibetur ab ejus accusatoribus, uti fecit Putiphar, qui Joseph Patriarcham detrusit in carcerem, credulus nimium verbis mulieris, quæ Joseph accusaverat. Genes. 39.

Tale est Judicium, quo ex actu exteriori, vel bono, vel indifferenti, vel venialiter culpabili, intentionem longè scelestiorem affingimus proximo; v. g. opera exterius bona asserimus fieri hypocrisi; opera indifferentia dicimus fieri pravo motivo; opera venialiter mala, v. g. motus indeliberatos iræ & impatientiæ, &c. in obstinatum animum refundimus. Tale est Judicium stulti, de quo Eccle. 10. v. 3. dicitur: *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos estimat.*

Nota. Judicium malitiosum est illud, quod provenit ex pravo affectu.

C O N S E C T A R I U M VI. Judicium malitiosum infamans proximum ex pravo affectu, est peccatum mortale, si materia sit gravis, & pravus affectus pertingat usque ad malitiam mortaliter culpabilem; quia interveniunt duo requisita ad peccatum mortale, scilicet malitia agentis, & gravitas materiae.

Tale est Judicium illius, qui alicui vitio deditus idem vitium affingit proximo.

Tale est Judicium illius, qui affectus odio, invidia contra proximum, ea virtus affingit proximo, quæ optaret ab ipso committi.

ARTICULUS II.

*De circunstantiis aggravantibus diffamationem
interiorēm factam per suspicionem, dubium
& Judicium injustum.*

P R O P O S I T I O unica. Gravitas suspicio-
nis, dubii, & Judicii injusti crescit, vel
decrescit ex triplici capite.

1°. Ex qualitate signorum, quibus suspi-
cio, dubium, & Judicium fundantur, quia
hæc signa augent vel minuant temeritatem
in dubitante suspicante, & judicante.

2°. Ex pravitate cordis inclinantis ad sus-
picionem, dubium, & judicium; quia juxta
affectum bonum, vel malum, graviora sunt, vel
leviora suspicio, dubium, & judicium injustum.

3°. Ex gravitate peccati. quod per suspi-
cionem dubium, & judicium temerarium
affingitur proximo; quia juxta illam gravita-
tem diffamatio crescit.

Sic gravius peccat, qui vel judicat, vel suspicatur, vel dubitat sine ullo fundamento, quam qui idem praestat cum levi fundamento.

Sic gravius peccat, qui dubit, suspicatur, judicat ex odio, ex invidia, quam qui idem praestat ex levitate.

Sic gravius peccat, qui temerariè suspicando, dubitando, judicando, affingit proximo peccatum mortale, quam qui affingit peccatum veniale.

ARTICULUS III.

De casibus, in quibus sine peccato possumus de proximo dubitare, suspicari & judicare.

PROPOSITIO unica. Dubium, suspicio, judicium sunt sine peccato, si sunt non animo diffamandi proximum, sed animo præcavendi mala, quæ nobis, aut aliis possent accidere.

Probatur r^o. Script. Christus jubet, ut fratrem peccantem arguamus. Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Jubet Deus, ut subditos puniamus, maleficos non patieris vivere. Exod. 22. v. 18. Paulus monet, ut non communicemus operibus instructuosis: *Nolite communicare operibus instructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Ad Ephes. cap. 5. v. 11. Joannes vetat, ut non credamus omni spiritui: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* I. Joan. cap. 4. v. 1. Ergo quilibet potest sine peccato dubitare, suspicari, & judicare, non

non animo diffamandi , sed animo præca-
vendi.

2º. Ratione. Actus quo personas scelestas
fugimus , quo sceleratos improbamus , diffe-
minantes prava dogmata rejicimus , non est
malus ; sed est actus prudentiæ : Ergo licet
prudenter dubitare , suspicari , & judicare ,
animo præcavendi mala , & non animo diffa-
mandi proximum .

consecataria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Licet examinare
& judicare juxta regulas veritatis & pruden-
tiæ , exteriora omnia proximi , quæ veram
famam nec augent , nec minuunt ; qui à id
nullatenus diffamat , & ita licet examinare &
judicare , an proximus sit dives , vel pau-
per ; robustus , vel debilis ; ignarus , vel doc-
tus ; acutus , vel tardus ingenio ; ægrorus ,
an sanus , &c.

C O N S E C T A R I U M II. Hæ cautiones ad-
hibendæ sunt , dum de proximo judicamus .

1º. Privatus debet in judicando de perso-
nis , præmittere sui ipsius considerationem :
Hypocrita , ejice primum trabem de oculo tuo ,
& iunc videbis ejicere festucam de oculo fratris
tui. Math cap. 7. v. 5. alias juxtà Paulum
non meretur excusationem , qui damnat ia-
lio , quod in se ipso non damnat : Propter
quid inexcusabilis es , ô homo omnis qui judi-
cas : in quo enim judicas alterum , te ipsum
condemnas ; eadem enim agis quæ judicas , ad
Rom. 2. v. 1.

2º. Debet maturam rei præmittere con-
Tom. III,

Qq

derationem ad imitationem ipsius Dei, qui
judicaturus Sodomitas ait. *Descendam & vi-
debo.* Gen. 18. v. 21.

3º. Debet res tales judicare, quales sunt ;
malas debet habere ut malas ; bonas , ut bo-
nas ; indifferentes , ut indifferentes juxta il-
lud Joan. *Nolite judicare secundum faciem,*
sed justum judicium judicate. cap. 7. v. 24.

4º. Res dubiæ & ambiguæ semper sunt in
benigniorem partem interpretandæ. Ità D.
Aug. *Hoc loco , nolite judicare ut non judice-
mini : nihil aliud nobis præcipi existimo , nisi*
ut ea facta , quæ dubium est quo animo fiant ,
in meliorem partem interpretemur. De sermone
Domini in monte lib. 2. cap. 18. quia , ut
inquit D. Thom. *Melius est , ut aliquis fre-
quenter fallatur , habens bonam opinionem de
aliquo , quam ut varius fallatur , habens ma-
lam opinionem de aliquo.* 2. 2. q. 60. a. 4.

5º. Nunquam pravitas , quæ in facto ex-
teriori , vel in externâ specie personæ appa-
ret , debet attribui intentioni interius in
corde latenti ; quia / ut optimè monet Ber-
nardus) si non possumus excusare actionem ,
debemus excusare intentionem ; & quia , ut
ait Cajetanus , *Judicium verum est licium ,*
*judicium personarum quoad interius est illici-
tum.*

CAPUT V.

*De diffamatione exteriori, quā per calumniam
& detractionem, proximum apud alios
diffamamus.*

ARTICULUS I.

Quale peccatum sit diffamatio exterior.

PROPOSITIO unica. Diffamatio exterior, quā proximum apud alios diffamamus, calumniando, vel detrahendo est peccatum ex suo genere mortale, si adsit deliberatio ex parte agentis, & gravitas materiæ ex parte rei, circa quam fit diffamatio.

Probatur. Ex dictis supra duo requiruntur ad peccatum mortale. 1°. Deliberatio ex parte agentis. 2°. Gravitas ex parte objecti: Ergo si in diffamatione exterius factâ hæc duo repertiantur, diffamatio illa exterior erit peccatum mortale. Dux autem sunt species exterioris diffamationis, scilicet calumnia & detractio quæ his versibus continentur.

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudat ve-
missè.*

ARTICULUS II.

De calumnia.

CAlumnia est impositio falsi malitiosè, & scienter facta.

Qq ij

460 MORALIS CHRISTIANA.

PROPOSITIO unica. Calumnia est peccatum mortale, si adsit gravitas materiae, & plena deliberatio.

Probatur 1^o. Script. Non eris criminator, nec susurro in populo. Ego Dominus. Levit. 19. v. 16. Quā emphasi denotatur criminationem. Ingens esse peccatum, quod divinam vindicatam accelereret.

2^o. Ex Concilio Arelatensi primo. ann. 314. can. 14. De his, qui falso accusant fratres suos placuit eos usque ad exitum vita non communicare: Ergo est peccatum mortale, quia hæc pœnitentia solis letalibus peccatis infligebatur.

3^o. Ratione. Calumnia in materia gravi multum infamat proximum: Ergo est peccatum mortale. Fit autem calumnia quatuor modis. 1. Imponendo malum. 2. Augendo malum. 3. Negando bonum. 4. Minuendo bonum.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Explicans vocem istam imponens. Peccat mortaliter qui imponebit crimen falsum proximo, quocumque motivo id faciat, sive motivo inhonorandi proximum, ut fecerunt senes Susannam accusantes adulterii. Daniel. 13. Sive motivo falsam accusationem depellendi, ut faciunt vulgo qui defendunt se contra falsos testes aut accusatores. 1. Quia nunquam licet calumniari, cum calumnia sit natura sua malum. 2. Quia non sunt facienda mala ut veniant bona. 3. Quia Paulus ita jubet: Be-

TRACT. VI. DE VIII. PRÆCIP. 462

nedicite per sequentibus vos , & nolite maledicere. 4. Quia debemus Christum imitari , qui cum malediceretur , non maledicbat , cun pateretur , non comminabatur ; tradebat autem judicanti se iustè. I. Petr. 2. 5. Quia damnata est sequens propositio : Non peccat mortaliter qui imponit falsum crimen alicui , ut suam justitiam & honorem defendat.

CONSECTARIUM I I. Explicans dictio nem istam augens. Peccat mortaliter , augens , id est qui auget insigniter crimen commissum à proximo , quo cumque motivo au geat ; quia quantum ad illas circunstātēs , quibus aggravat malum à proximo commis sum , est verè calumniator. Talis fuit calumnia eorum , qui aggravantes Absalonis factum , non unum Ammonem occisum , sed omnes fratres ab illo trucidatos Davidi nunti arunt.

CONSECTARIUM III. Explicans dictio nes istas qui negat. Peccat mortaliter , qui negat bonum factum à proximo , si eā negatione intendat nocere famae proximi ; quia non minus est calumniator , qui negat probitatem proximi , quam qui ei affingit vitium. Tales fuere Pharisæi qui dicebant : *Hic non ejicit Dæmones, nisi in Beëlzebub Prin cipe Dæmoniorum.* Math. 12. v. 24.

CONSECTARIUM IV. Explicans dictio nem istam aut minuit. Peccat mortaliter , qui in re gravi minuit bonum factum à proximo , quia quantum ad illud bonum , quod minuit , est verè calumniator. Talis fuit ca lumnia illius Archisinagogi , de quo loquitur Lucas , qui cum ydisset quid Jesus Sabbato

curasse mulierem quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo & erat inclinata, nec omnino poterat sursùm respicere, dicens turbae, *Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, & non in die Sabbati.* His verbis volens minare miraculum Christi.

ARTICULUS II.

De detractione.

Detractio est injusta manifestatio criminis veri, sed occulti facta animo demgrandi proximum.

P R O P O S I T I O unica. Detractio est peccatum mortale, si adsit plena deliberatio, & materiae gravitas.

Probatur 1^o. Script. *Abominatio hominum detractores.* Prov. 24. v. 9. *Nolite detrahere alterutrum fratres mei.* Jacob. 4. v. 11. Et ergo cum detractio reddat nos abominandos, debet esse peccatum mortale.

2^o. Ex lib. de salutaribus documentis cap. 26. In appendice Augustini tom. 6. ubi sic habetur. *Detrahentis & audientis, utrisque essa mortis est animae detractio & ut brevius concludam, detractor & libens auditor Diabolum portat in lingua.* ergo detractio cum sit mors animae & sedes Diaboli, est peccatum mortale, & ibidem cap. 32. *Detractio fornicatio est animae:* Ergo est peccatum mortale sicut fornicatio.

3^o. Ratione. Detractio in materia gravi multum diffamat proximum, quippe mani-

festat ejus crimen occultum: Ergo est peccatum mortale. Fit autem detractio quatuor modis. 1. Manifestando malum occultum. 2. Occultando bonum quod necessarium est manifestari. 3. Bonum vertendo in malam intentionem. 4. Laudando segniter bonum proximi, cum laudari necessaria est.

consecutaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Explicans dictio-
nem istam *manifestans*. Peccat mortaliter mani-
festans, id est qui sine causa manifestat malum
proximi in his circumstantiis, in quibus nocet
famæ proximi, sive sit primus, qui malum illud
aperit, sive malum illud ab alio iam manifesta-
tum, aliis manifestet; quia per hoc multum de-
trahit famæ proximi. Talis fuit actio Hebrei
qui homicidium à Moysè occulte, immò au-
toritate Dei commissum, publicum fecit,
dicens: *Quis te constituit principem & judi-
caren super nos; num occidere me vis, sicut he-
rit occidisti Ægyptium* Exod. 2. v. 14.

Eiusdem detractionis rei sunt.

1. Qui narrant amico injuriam sibi factam,
ut consolationem accipiant, quia à Deo &
non ab amico oportet consolationem expec-
tare, uti faciebat David: *In me psallebant
qui bibeant vinum; ego autem orabam.* Psal.
68. v. 16.

2°. Qui ex Levitate, aut loquacitate nar-
rant, quæ possunt lœdere famam proximi;
quia linguam retinere oportet: *Si quis in
verbo non offendit: hic perfectus est vir.* Jacob.
3. v. 2.

3. Qui laudat in uno genere, & vituperat in alio, v. g. qui dicit proximum esse quidem liberalem, sed tamen impudicum. Hæc laus verum est vituperium: *Molliti sunt sermones super oleum & ipsi sunt jacula*, inquit Psalmista.

4. Qui uni soli narrat crimen occultum; quia aliquando gravius est denigrari apud unum, quam apud multos.

5. Qui accusatus de crimine vero & sufficienter convictus, ita audacter negat, ut accusator & testes calumniatores habeantur. Hactenus Sylvius.

6. Qui sine causa manifestat crimen publicum, ibi & apud eos, apud quos non erat delatum; quia tali manifestatione nocet famæ proximi: licet enim homo publicè diffamatus, non habeat jus tuendi famam, ubi publica est ejus diffamatio, habet tamen jus eam conservandi, & ibi & apud eos, apud quos diffamatio non pervenit. Ita Sylvius. Hæc diffamatio est longè gravior, quando parentes rei diffamantur; quia tunc nocetur parentibus innocuis, qui habent jus conservandi famam. Hæc diffamatio est etiam longè gravior, quando publicè diffamatus per sanctitatem & pœnitentiam famam priorem recuperaverat.

C O N S E C T A R I U M II. Explicans voces istas, *in mala vertens*. Peccat mortaliter, *in mala vertens*, id est, qui in re gravi bonum opus proximi in pravam intentionem detorquet; quia & nocet famæ proximi, & sine causa malè de proximo judicat.

Talis erat detractio Core, Datham, &

Abiron, qui populi Judaici exitum ab Ægypto detorquebant in pravam libidinem dominandi, quā & Moysem & Aaronem detineri mentiebantur: *Numquid, inquietabat, parvum est tibi, quid eduxisti nos de terra, quæ latte & melle manabat, ut educeres in deserto, nisi dominatus fueris nostri.* Num. 16. v. 13.

C O N S E C T A R I U M III. Explicans voices istas, qui tacet aut minuit bonum proximi. Peccat qui in re gravi bonum opus proximi, aut tacet, cum necessum est, ut manifestetur; aut illud idem opus bonum minuit; quia eo silentio nocet famæ proximi. Talis erat detractio Judæorum Paulum insectantium, & bona ejus opera, aut occultantium aut minuentium.

ARTICULUS III.

D e c i r c u n s t a n t i i s , t u m a u g e n t i b u s , t u m m i n u e n t i b u s d i f f a m a t i o n e m e x t e r i o r e m p r o x i m i .

P R O P O S I T I O unica. Omnis diffamatio exterior, crescit, vel decrescit juxta circumstantias exteriores.

Probatur ex dictis in primo tomo. Omne peccatum exteriū crescit per circumstantias exteriores: Ergo diffamatio exterior debet per illas circumstantias crescere, vel decrescere. Percurruntur illæ circumstantiæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Ex circumstantia quis. Diffamatio est cō gravior, quod dignos

est persona diffamans, aut quod dignior est persona diffamata; quia quod persona diffamans est dignior, eodem majorem meretur fidem, & quod dignior est persona diffamata, eodem vilius deprimitur.

Sic Episcopus diffamans magis peccat, quam Religiosus; Religiosus, quam simplex Sacerdos; simplex Sacerdos, magis quam Laicus; Magistratus, magis quam plebeius.

Sic gravius peccat, qui diffamat Episcopum, quam Religiosum; Religiosum quam simplicem Sacerdotem; Sacerdotem quam Laicum; nobilem quam plebeium. Ita nos a magnatum detractione dehortatur scriptura: *Diis non detrahes.* Exod. 22. v. Et David: *Nolite tangere Christos meos.* Psal. 104. In penam hujus detractionis exhibet nobis scriptura Mariam lepram infectam, eodem quod contra Moysen murmurasset.

Sic gravius peccat, qui diffamat communitatem, quam singularem personam, & inter communitates gravius est diffamare communitem Religiosam; quam Ecclesiasticam, Ecclesiasticam, quam civilem.

CONSENTARIUM II. Ex circumstantia quid. Diffamatio eodem est gravior, quod materia, in qua sit diffamatio est gravior; quia per hoc ejus fama magis labefactatur.

Sic gravius peccat, qui diffamat de peccato mortali, quam de veniali, & inter peccata mortalia gravius peccat, qui diffamat de peccato quod nedum coram Deo, sed etiam coram hominibus turpe habetur, quam de eo, quod solum coram Deo exosum est.

Sic gravius peccat, qui diffamat de peccato, quod directe statui personæ opponitur, quam de peccato quod ejus statui non opponitur; v. g. gravius est dicere de judice, quod venalem habeat justitiam, quam dicere quod sit superbus; gravius de Sacerdote dicere, quod sit impudicus, quam dicere quod sit avarus; gravius dicere de Nobili, quod sit proditor patriæ, quam quod sit proculus.

CONSECTARIUM III. Ex circumstantia ubi. Diffamatio eò est gravior, quod est magis publica, quia quod est magis publica, eò apud plures fama labefactatur.

Sic gravius est diffamare in foro coram multis, quam domi coram paucis.

CONSECTARIUM IV. Ex circumstantia quibus auxiliis. Diffamatio eò est gravior, quod plura secum trahit nocimenta; nam diffamatio semper nocet famæ, sed aliquando nocet aliis bonis.

1. Vitæ corporali, ut si innocens damnetur morti ob diffamationem injustam.

2. Vitæ spirituali, ut si innocens ob diffamationem arceatur ab aliquo statu, in quo saluti æternæ posset facilius vacare, v. g. Clericus arceatur ab ordinibus, virgo à Monasterio.

3. Bonis fortunæ, ut si quis ob diffamationem privetur hereditate debita, vel dignitate aliquâ, aut Ecclesiasticâ, aut civili.

4. Bono publico, ut si ob diffamationem, respublica privetur magistratu pio & erudito, Ecclesia privetur clero bonæ frugis, & optimæ spei.

CONSECTARIUM V. Ex circumstantia

cur. Diffamatio èò est gravior, quò intentio diffamantis est pejor, & malignior, quia maiorem includit malitiam.

Sic graviùs peccat qui diffamat ex odio & invidiā, quām qui diffamat ex levitate & loquacitate, qui intendit honorem simul, & vitam, & fortunam auferre, quām qui intendit soli famæ nocere. De quo ita D. Tho. 2. 2. q. 72. a. 2. in corp. *In peccatis verborum maximè considerandum videtur, ex quo affectus aliquis verba proferat.*

CONSECTARIUM VI. Ex circumstantia *quemodo.* Diffamatio èò est gravior, quò modus diffamandi est magis voluntarius; quia denotat animum nocendi magis obstinatum.

Sic graviùs peccat, qui diffamat animo liberato, quām qui diffamat leviter & imprudenter.

CONSECTARIUM VII. Ex circumstantia *quando.* Diffamatio èò est gravior, quò est diuturnior; quia magis nocet.

Sic diffamatio coram loquacibus est gravior, quām coram cordatis; quia isti tacent, illi verò diffaminationem aliis promulgant.

Sic diffamatio scriptis facta est gravior, quām diffamatio solis verbis expressa; quia scripta maneat, verba verò volant.

ARTICULUS IV.

De casibus, in quibus sine peccato possumus peccatum proximi manifestare.

PROPOSITIO unica. Non peccat, qui prudenter patescit malum proximi, vel occultum.

occultum, vel publicum; si talis manifestatio fiat ob utilitatem publicam, vel privatam.

Probatur 1^o. Script. Christus Matth. 18. v. 16. Jubet ut post fraternalm correctionem adhibitam, sic procedamus. Si te non audierit, adhibe tecum abhuc unum, vel duos; ut in ore duorum vel trium testium sit omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Ergo Christus jubet ut prudenter peccata proximi manifestemus, quando hæc manifestatio privata, vel publica potest esse utilis.

2^o. Ex D. Thom. Si verba, per quæ fama alterius minuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitum circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detraction. 2. 2. q. 73. a. 2. in corp.

3^o. Ratione. Quod sit in bonum publicum multorum, aut in bonum privatum alicuius, non est peccatum, nec potest dici detraction; quia hoc non sit animo denigrandi proximum: Ergo manifestatio peccatorum proximi propter utilitatem publicam, vel privatam, non est peccatum, nec vera detraction.

Consecaria bujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I Non peccant qui manifestant peccata proximi ob utilitatem publicam, quales sunt.

1^o. Qui ex zelo fidei manifestat hereticum, ne latius sorpat heres, ut fecit Petrus Alexandrinus, qui prænuntiavit, quanta mala Arius Ecclesiæ causaturus erat.

2^o. Qui ex zelo charitatis manifestat peccatorem, cuius prava vita alios corrumperet;

& ita impedit ne virus illud latius serpat. Ita fecit Basilius, qui pravum Juliani apostatæ animum iis quibus cum ille vitiosus adolescentis studebat, aperuit.

3°. Qui ex zelo Religionis manifestat impedimenta matrimonii, & per hoc impedit ne partes inhabiles invalide matrimonium contrahant. Ita fieri precipit Ecclesia.

4°. Qui ex zelo pro Ecclesia manifestat indignitatem clerici, ut impedit, ne indignus recipiatur in Clero.

5°. Qui ex zelo pro Republica manifestat indignitatem laici, ut impedit, ne indignus ad magistraturam admittatur.

6°. Qui ex zelo Justitiae, cum non adest spes resipiscentiae, accusat reum coram judice, & efficit ut puniantur illi, qui nos turbant.

7°. Qui ex amore veritatis historicæ narrat communia facta hominum, bella, homicidia, surta, & alia hujusmodi; quia fides historica non sinit ea reticeri, qualia vidiimus enarrari in Historia sacra. Sed infanda & turpia facta reticenda sunt; ut Moyses reticuit crimen perfidum, quo filii Jacob fuere accusati à Joseph coram patre suo.

CONSECTARIUM II. Non peccant qui ob utilitatem privatam manifestant malum proximi; quales sunt.

1°. Qui ex zelo charitatis consulit quo ~~ga~~ corrigendus est, qui peccavit. Basil. Rog. Brov. interrog. 25.

2°. Qui ex zelo charitatis moner, notat & peccatorem, ne quis cum eo commisceatur. Ita Paulus præmonuit Timoth. dicens: Ale-

Xander ærarius multa mala ostendit, quem
& tu devita, valde enim restitit verbis nostris.

3°. Qui juxta regulas amicitiae præmonet
amicum, ne hominem vitiosum introducat in
domum suam, eumve hospitio recipiat, ne
hominem infidelem in servum conducat, ne
fæminam rixosam in uxorem accipiat, ne ho-
mini loquaci arcum suum committat, &c.

4°. Qui servando moderamen inculpatæ
tutelæ, manifestat crimen proximi, ut suam
innocentiam tueatur, v. g. falsò accusatus
manifestat verum crimen accusatoris; judicis,
&c. Si talis manifestatio inserviat ad ejus de-
fensionem, minimè verò si ad hoc nihil con-
ducat. Procurator, Advocatus possunt pro
clientibus facere, quidquid ipsis clientibus
permittitur.

C O N S E C T A R I U M III. Non peccat qui
aperit peccatum proximi ob spiritualem utili-
tatem, vel illius, qui peccavit, vel illius, cui
manifestatur peccatum; quia hæc manifes-
tatio non sit animo proximum denigrandi.

C A P U T VI.

De honore proximis exhibendo.

DIXIMUS supra, quod honor Religiosus
debeat Deo, sanctis, & rebus sacris;
diximus pariter, quod honor quidam specia-
lis debeat patribus, magistratibus, & seni-
bus. Jam dicturi sumus quod honor quidam
communis omnibus debeat.

ARTICULUS I.

Quis honor debeatur proximo.

PROPOSITIO unica. Quilibet homo tenetur exhibere alteri homini honorem aliquem majorem, vel minorem juxta excellentiam, quam habet, qui honorandus est.

Probatur 1^o. Script. *Honore invicem prævenientes.* ad Rom. 12. *Omnes honorate.* 1. Pet. 2. Ergo quilibet debet proximo honorem aliquem exhibere.

2^o. Ex D. Thom. *In quolibet reperitur aliquid, ex quo potest aliquis eum superiorem reputare,* secundum illud ad Philip. 2^o. in humilitate superiores invicem arbitrantes: & secundum hoc etiam omnes se invicem debent honore prævenire, 2. 2. q. 103. a. 2. ad 3. Ergo quilibet debet proximo aliquem honorem exhibere.

3^o Ratione Honor est protestatio quedam de excellentia bonitatis alicujus: atqui nullus est homo, cui non insit aliqua excellentia, exceptis damnatis obstinatis in malo, qui ob talem obstinationem merentur non honorem, sed contemptum: Ergo nullus est, cui non debeamus honorem aliquem impendere.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Quilibet homo etiam gentilis meretur aliquem honorem, quia ad imaginem Dei conditus est, & haec imago non opinione delectur per infidelitatem.

ita inquit D. Thom. *Cuilibet habenti imaginem Dei est exhibendus honor, nisi sit confirmatus in malo.* in 3. Sen. dist. 9. q. 2. a. 3. in C.

C O N S E C T A R I U M II. *Quilibet homo Christianus majorem honorem meretur quam gentilis; quia nescit habet imaginem Dei in se acceptam à creatione, sed insuper habet characterem Christi; designatur enim, ut domesticus Dei per baptismum, ut miles Christi per confirmationem, ut praefectus Ecclesiae, si sit in aliquo ordine constitutus.*

C O N S E C T A R I U M III. *Quilibet homo virtuosus meretur etiam majorem honorem, quam Gentilis, quam purus Christianus; quia majoren habet excellentiam, quam Gentilis, quam simplex Christianus.*

C O N S E C T A R I U M IV. *Omnis persona publica, etiamsi vitiosa, meretur honorem, non ratione peccati, quo inficitur, quia vitium meretur vituperium, sed ratione dignitatis, quam obtinet; de quo ita D. Thom. Persona gerit typum, & locum, non sui ipsius, sed alterius, scilicet Christi in Ecclesia, & Republicæ, ut Dominus in secularibus dignitatibus, & sic valor ejus non computatur secundum personam, sed secundum cum, cuius loco præsidet.... Et ita ei honor exhibendus est, non propter se, sed propter cum, cuius locum obtinet; sicut adoratio imaginis reservatur ad propria. quodlib. 8. a. 7.*

ARTICULUS II.

De diminutione honoris, qui debetur proximo.

Honor debitus proximo minuitur per contumeliam, convitium, & improperium.

Nota 1. Contumelia est actio, quā proximo præsenti manifestatur defectus culpæ.

Nota 2. Convitium est actio, quā proximo præsenti manifestatur defectus culpæ & pœnæ.

Nota 3. Improperium est actio, quā proximo præsenti manifestatur ejus indigentia & minoratio.

PROPOSITIO unica. Verba contumelie, convitii, & improperii prolatæ, non animo jocandi, vel corrigendi; sed animo inhonoriandi proximum, sunt ex se peccata mortalia, si adsit plena deliberatio ex parte agentis, & gravitas materiæ ex parte rei, quæ sane objectum illorum verborum; sunt verò peccatum veniale, si interveniat, vel inadverterat, vel levitas materiæ.

¶ Probatur 1º. Script. Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. 5. Ergo verba contumelie, convitii, & improperii sunt peccata mortalia, cum addicant inferno.

2º. Ex Aug. Euchyrid. cap. 78. ubi sic habet. Quædam sunt peccata, quæ levissima putantur, nisi in Scripturis demonstraremur opinione graviora. Quis enim dicentem fratribus suis, FATE, Reum gehennæ putaret; nisi verius digeret. & lib. 21. de Ciy. cap. 27. Si

quis, inquit, præoccupatus fuerit hoc delicto, ut fratri suo fatue dicat: Ergo ex Aug. delictum est contra proximos verbis uti injuriosis, quando nec joci causâ, nec correctionis gratia proferuntur: ergo peccatum mortale; quia delictum sonat peccatum mortale.

3º. Ratione. In peccatis verborum maxime considerandum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat: cum ergo convitium, vel contumelia de sui ratione importet quandam dehonorationem, si intentio proferentis ad hoc referatur, ut per verba, quæ profert, honorem alterius auferat. Hoc propriè & per se est dicere convitium, vel consumeliam, & hoc est peccatum mortale: non minus quam furtum & rapina; non enim homo amat minus suum honorem, quam rem possessim.

Consecularia hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Contumelia, scilicet omnis actio, quâ quis objicit proximo praesenti peccata mortalia, quæ commisit, est peccatum mortale, v. g. si objiciat ipsi, quod sit sur, potator, &c. quia eâ actione insigneriter offendit proximum.

C O N S E C T A R I U M II. Convitium, scilicet omnis actio, quâ quis objicit proximo peccata, quæ commisit, & pœnas, quas ob illa peccata sustinuit, est peccatum mortale; ut si dicat proximo, quod sit impudicus, quod gerat in corpore signa impudicitia, &c.

C O N S E C T A R I U M III. Improperium,

seu omnis actio , quâ quis objicit proximo paupertatem , miseriam , ignobilitatem , ei- que exprobrat , quas ei suppetias contulit , est peccatum mortale , si hoc ingentem affe- rat proximo tristitiam , & inhonorationem ; quia hæc exprobratio proximum gravi afficit tristitia ; de hac actione , ita Ecclesiæ. 20. *Exigua dabit , & improperebit.*

Contumelia , convitium , improprium eisdem circumstantiis aggravantur , quibus aggravatur infamatio , vide supra dicta.

ARTICULUS III.

De casibus , in quibus contumelia , convitium , improprium sunt absque peccato.

PROPOSITIO unica. Verba contume- lia , convitii , improprieti prolatæ animo jocandi vel corrigendi , modò id fiat pruden- ter , non sunt peccata.

Probatur 1º. Script. Deus Adamum irrisit , dicens : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Sic enim acrius suæ admonebatur stulti- tia , quâ divinitatem affectaverat. Deus in morte obstinatos peccatores irrisurus est : *Et ego , inquit , in interitu vestro ridebo & subsannabo ,* Prov. 1. v. 26. Deus irridebit damnatos , & innocens , inquit Job. subsan- nabit eos. Job. 22. v. 19. Sancti irridebunt reprobatum : *Videbunt justi , & timebunt & super eum ridebunt.* Psal. 51. v. 20. Christus irrisit Nicodemum : *Tu es magister in Israël , & hæc ignoras.* Joan. 1. v. 10. Christus dis- cipulis cunctibus Emmaus dixit ; o stulti &

tardi corde ad credendum. Luc. 24. v. 25. & Paulus ad Galatas 3. v. 1. ait: *ð insensati Galatæ*: Ergo licet uti verbis contumelie, convitii, & improperii, cum ita justa aliqua causa exigit.

2°. Ex D. Thom. *Sicut licet verberare aliquem*, vel in rebus *damnificare*, causâ *disciplinae*: ita etiam causâ *disciplinae* potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod *convictiosum dicere*; & hoc modo Christus *Dicípulos vocat stultos*, & *Apostolus Galatas insensatos*. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 2. tamen, ut monet Aug. Rarò & ex magna necessitate *objurgationes sunt adhibendæ*: *in quibus non nobis*, sed *ut Domino serviaur, inflemus*, ita refertur à Thom. loco citato.

4°. Ratione. Quod sit in bonum publicum multorum, vel in bonum privatum proximi, si fiat secundùm regulas prudentiæ, non potest esse peccatum: ergo verba contumelie, convitii, improperii prolata eo fine, ut peccatores à peccato deterreantur, vel eo fine ut convertantur, & erubescant non sunt peccatum.

Coniectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Verba dura, & contumeliosa, ironica, &c contra peccatores, non sunt peccata, si judicentur necessaria ad peccantium vel terrorem. vel conversionem. Jubet enim aliquando charitas nonnunquam aberrationes hominum irriteri, ut ab ipsis & rideantur & fugiantur. Iude præclara illa Augustini vox: *Hac tu mis-*

*sericorditer irride, ut eis ridenda & fugienda
commendes.* Inde etiam præclara illa Nazianzeni sententia : *Habet quoque spiritus man-
suetudinis & charitatis suam vehementiam,
suam iracundiam.*

CONSECTARIUM II. Verba dura, & contumeliosa, & ironica, &c. contra eos qui perversa docent dogmata, non sunt peccata, si possint inservire vel veritati tuerendæ, vel conversioni errantium, de hoc ita Tertullianus : *Multa sunt, inquit, si digna
revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati pro-
prie festivitas cedit. Congruit & veritati ride-
re; quia latans: de æmulis suis ludere; quia
secura est. Curandum planè ne risus ejus ridea-
tur si fuerit indignus. Cæterum ubicumque digne-
nus risus, officium est. Sacerdotes Baal sic
Elias risu arguendos censuit : Cumque esset
jam meridies, illudebat illis Elias dicens clama-
tare voce majore : Deus enim est, & forsitan
loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere,
aut certè dormit, ut excitetur. Et Christus
ipse Nicodemi fastum hac irrisione repressit :
*Tu es magister in Israël & hæc ignoras, ut do-
cent Chrysost. Aug. & Cyrillus.**

ARTICULUS IV.

De cooperantibus diffamationi & contumelie.

PROPOSITIO unica. Qui directè, vel indirectè cooperantur, vel diffamationi, vel inhonorationi proximi, peccant tanto gravius, quanto actio est magis voluntaaria, & magis iuiciens in diffamationem.

Probatur 1^o. Script. Digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, ad Rom. 1. v. 32.

2^o. Ex Innocent. I. Non mulium interesse arbitror inter committentiis animum, & consentientis furorem: addo amplius, plerumque descendit errare, cui nemō consenit, inter Epist. August. 93.

3^o. Ratione. Qui cooperatur efficaciter malo, censetur causā mali: ergo cooperatores, vel diffamationis, vel inhonorationis, peccant tantò gravius, quantò efficacius concurrunt ad malum. Qui autem cooperantur his verbis exprimuntur.

Fusio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Qui h̄c subjiciuntur directè influunt in diffamationem, vel inhonorationem proximi.

1^o. Qui expressè jubet alicui, ut detrahatur proximo, & inhonoret proximum aut qui implicitè id jubet, ostendens gratam sibi fore detractionem, aut inhonorationem proximi.

2^o. Qui consulit detractionem, calumniam, contumeliam, convitium, aut improperium,

3^o. Qui consentit positivè dum sit calumnia, detractione, contumelia, aut convitium, aut improperium.

4^o. Qui ad calumniam, detractionem, contumeliam, convitium, improperium excitat, laudando eum, qui aliquid eorum præstat;

5°. Qui addit animos detractori , calumniatori , convitiatori , fovendo illius pravum affectum , suppetias & auxilium promittendo.

6°. Qui detrahit , calumniatur , convitiatur , aut improperat simul cum eo qui hæc profert.

CONSECTARIUM II. Qui hæc subjiciuntur , indirecte influunt in diffamacionem ; & in honorationem proxim.

7°. Potens , & debens ex officio impedire denigrationem , & in honorationem proximi , & non impediens , peccat contra justitiam , si sit persona publica , & habens auctoritatem supra loquentem ; & quidem mortali ter , si taceat malo animo , & ex complacencia , & diffamatio aut contumelia gravis sit : quia hæc duo sufficiunt ad peccatum mortale ; venialiter vero , si id fiat ex indelibera tione , & materia sit levis ; quia peccatum ex suo genere mortale fit veniale , vel ob indeliberationem agentis , vel ob levitatem materiæ ; nullatenus vero peccat , si ex prud entia taceat , differens correctionem usque ad aliud tempus magis opportunum.

Sic peccant , qui pravè loquentes , non arguunt , v. g. superior , si non arguat sibi subditum , pater , si non arguat filium , Dominus servum , præceptor discipulum , Episcopus Diœcesanum , Curatus Parochianum : hujus correctionis exemplum dedit David , dicens : *Existimasti inique , quod ero tui similis , arguan te , & statuan contra faciem tuam.* Psal. 49. v. 21.

8°. Potens & debens ex charitate impedi re denigrationem & in honorationem proximi , & non impediens , peccat contra charitatem .

ritatem , non arguendo maledicūm : mortali-
ter quidem , si correctio omittatur. 1º. Ab
eo qui potest & debet. 2º. Si omittatur in
casu necessitatis. 3º. Si omittatur ex defectu
charitatis , v. g. ex timore mundano præva-
lente charitati , & materia dissam̄ationis &
inhonorationis sit gravis , ut̄ dictum est , ubi
de correctione.

Nullatenus verò , si correctio omittatur
ex justā causā , vel quia correctio prævide-
tur magis nocitura , quām profutura , vel
ob alias causas.

Tunc tamen dissam̄atio , & inhonoratio
aliquo signo potest dissipari , v. g. signo tristis-
titiae , ut monet Sapiens : *Ventus aquilo dis-
sipat pluvias. & facies tristis linguam detra-
hentem.* Proverb. 15. v. 23.

De restitutione famæ , & honoris dice-
mus , ubi de restitutione , in sequenti Tomo.

- Finis tertii Tomi.

In sequenti Tomo explicabimus septimum
præceptum his verbis expressum : *Non furum
facies , simulque agitabimus omnia , quæ ad
Tractatum de jure & justitiā pertinent , v. g.
de Dominio , de Jure , de Contractibus , de Do-
nationibus , de Testamentis , de Restitutione
&c.*

*Domine Deus une , Deus Trini-
tas quacumque dixi in his libris
detus , agnoscant & tui , si qua de
meo & tu ignosce , & tui , Amen.*
Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 51.

Tom. III.

Qq

492

MONITA.

*Circa quadam, quæ mihi relegenti visa sunt.
explicatione indigere.*

Pag. 11. & 18 dixi Juramentum per creaturam est attestatio creature, quatenus in ea relucet specialiter divinitas.

Non is meus sensus est, quod velim indicare per aliquas solum creaturas verum fieri juramentum; nam cum omnis creatura Deum ut autorem suum respiciat, sub tali respectu per quamlibet creaturam verum potest fieri juramentum: sed solum id volui indicare, quod juramentum per creaturam soleat fieri per eam, in qua specialiter relucet divinitas, vide D. Thom. 2. 2. q. 89. a 6. Ubi docet quod juramentum per simplicem contestationem, non nisi per Deum principaliter, secundariò autem per creaturas, ut in ipsis relucet divina veritas, perficiatur. In juramento autem per execrationem induci solent ex quas diligimus, creature; ut contra eas divinum exerceatur iudicium.

Pag. 32. dixi. Peccat mortaliter, qui à nemine interrogatus, jurat æquivocè; quia nulla est causa, quæ ad jurandum æquivocè impellat.

Non is meus sensus est, ut velim indicare juramentum æquivocum aliquando licitum esse, si aliqua interveniat causa; nam contrarium doceo in sequentibus consecutiis;

sed is est meus sensus, quod velim indicare eum, qui jurat æquivocè sine causa, gravius peccare eo, qui jurat æquivocè cum causa, quamvis uterque perjurus sit.

Pag. 55. dixi. Qui jurat se permansurum in aliqua congregacione, eximitur à jura-
mento, si eadem congregatio ei remittat obligationem juramenti.

Hoc est verum, si congregatio sit pure civilis & politica; quia juramenti promissorii obligatio cessat per relaxationem promissorii, sed hoc est falsum, si congregatio sit Ecclesiastica, & præcipue si in ea eliciantur vota etiam simplicia; quia tunc ad dis-
pensandum in votis, & relaxandum jura-
mentum, requiritur causa legitima, ut ipse-
met doceo in primo Tomo, ubi de dispen-
satione.

Pag. 57. dixi. Peccat mortaliter, qui ex motu iræ deliberato precatur, vel sibi, vel proximo, vel rebus irrationalibus ingens malum.

Hoc durius videretur dictum, nisi sup-
ponerem, quod vehementes illi motus iræ
rationem obtenebrant, quo in casu, ut ex-
pressè docet D. Thom. peccatur morta-
liter.

Pag. 87. dixi. Pingere, piscari, venari,
& radere barbas opera esse illicita diebus festis & addidi, quando non exercentur recrea-
tionis causâ.

Hoc verum est; sed addendum fuisset,
quod piscatio, venatio &c. Non debet per-
mitti etiam recreationis causâ tempore of-
ficii propter scandalum; nec venatio clamo-

sa, vel pro brevi tempore diebus festis excusanda est.

Pag. 88. dixi. Licet diebus festis vacare operibus servilibus ad vitandum grave damnum, &c.

Hoc est verum; sed in consecrariis omisi voces illas, *grave*, *certum*, & *præsens*: Ideo debent semper subintelligi. De gravitate damni & de egestate, ob quam permitto serviliter die festo operari, judicare debet vel prudens Curatus, vel discretus Confessarius; & peti debet licentia à Pastore.

Pag. 91. dixi. Licitum esse operari servi-
liter ad vitandum otium; modo id fiat post
Missam auditam, & Divinum Officium, &
in subsidium pauperum &c. Ita docet Syl-
vester. Periculosa est illa sententia, nisi limi-
tetur ad casum, in quo urgeat necessitas pau-
perum: non enim opus servile exerceri de-
bet in die festo ad vitandum peccatum;
sed alia media assumi debent, v.g. oratio,
lectio libri spiritualis, frequentatio Eccle-
siarum, &c.

Pag. 302. dixi. Pars desponsata requisita, ut sponsalibus satisfaciat, & matrimonium contrahat, potest matrimonium inire, licet sciat ejus comparatem matrimonii Sacramentum in peccato recepturam. Dixi pa-
riter, quod Notarius requisitus à partibus contrahentibus potest sine peccato contractus civiliter permissos recipere, licet illi con-
tractus ex occulta contrahentium intentione sint illiciti.

Hoc est verum; sed addendum erat, nisi

aliás vitare possit : charitas enim postulat ,
& ut correctione fraternā utamur erga pro-
ximum , & ut peccatum ejus , quantum pos-
sumus , impediamus .

Pag. 312. Definiendo stuprum non dixi
omnia .

Stuprum datur etiam , dum Virgo &
Virginis parentes in illicitam consentiunt
deflorationem ; sicut verum est adulterium ,
quamvis uterque conjux consentiat .

Pag. 456. dixi. Dubium , suspicio , judi-
cium sunt sine peccato , si fiant non animo
diffamandi proximum , sed animo præca-
vendi mala , quæ nobis aut aliis possunt
accidere .

Falsa est propositio , si intelligatur de du-
bio , suspicione , & judicio positivis : hi enī
actus sunt contra charitatem , de qua dicitur :
Non cogitat malum. Sed vera est propositio
in eo sensu , quod quilibet potest prudenter ,
& sibi , & rebus suis præcavere , præviden-
do omnia , quæ sibi nocere possunt . & non
æqualem omnibus fiduciam adhibendo .

Pag. 462. dixi. Detractio est peccatum
mortale , quando adest plena deliberatio &
materiæ gravitas .

Hoc est verum , sed in Consectariis omisi
vocab illam graviter , quæ debet semper
subiutelligi , ut peccatum sit mortale .

Errata tertii Voluminis.

- Pagina 12. linea 2. post illam vocem *nun-*
minis adde *vel in se.*
- Pag. 14. lin. 26. post vocem *re* adde *ac reue-*
rentia. Et lin. 28 post vocem *cum* adde *te-*
merè.
- Pag. 52. lin. 8 loco *firmasset* lege *firmasses.*
- Pag. 65. lin. 27. post vocem *legis* adde *Evan-*
geliciæ.
- Pag. 84. lin. 10. muta *sic ad pœnam vel ad*
moriem *judicatur.* Et lin. 18. post vocem
idem adde *definiunt.*
- Pag. 90. lin. 13. loco *vetat* muta *jubet.* Et lin.
 20. post vocem *diebus* adde *festis.*
- Pag. 95. lin. 21. loco *ridere* muta *radere.*
- Pag. 112. lin. 19. loco *&* muta *ut.*
- Pag. 113. lin. 11. loco *ix.* muta *x.*
- Pag. 130. lin. 31. loco *meliores* muta *miiores.*
- Pag. 153. lin. 14. loco *corpore* muta *carpere.*
- Pag. 156. lin. 1. loco *dirigi* muta *diligit.*
- Pag. 164. lin. 25. post *recipit* adde *non recipit.*
 Et lin. 27. post *pernit* adde *aliud spernit.*
- Pag. 179. lin. 30. loco *omnium* muta *sumnum.*
- Pag. 81. lin. 2. loco *optimatorum* muta *opti-*
matum.
- Pag. 232. lin. 19. loco *resurrectionem* muta
redemptionem.
- Pag. 350. lin. 23 loco *loquuntur* *committendis*
muta *committendis, loquuntur.*
- Pag. 391. lin. 10. loco *ligatur* lege *ligatus.*

